EX OPERIBUS EJUSDEM AUCTORIS

I. Histoire du canon de l'Ancien Testament dans l'Église grecque et l'Église russe, Paris, G. Beauchesne, 1909, in-16 de 140 p.

II. Nestorius et la controverse nestorienne (fait partie de la *Bibliothèque de théologie historique* publiée sous la direction des professeurs de théologie de l'Institut catholique de Paris), Paris, G. Beauchesne, 1912, in-8° de 326 p.

III. La prière pour l'unité chrétienne : *Motifs spéciaux de prier pour le retour des chrétiens dissidents d'Orient à l'unité catholique*, Paris, Bonne Presse, 1920, in-12 de IX-356 p.

IV. Joseph de Maistre et l'Église gréco-russe, Paris, Bonne Presse, 1922, in-12 de XVIII-198 p.

V. Homélies mariales byzantines. Textes grecs édités et traduits en latin dans la *Patrologia Orientalis* de R. Graffin-F. Nau, Paris, Firmin-Didot, fascicule I, 1922 (t. XVI de la *Patrologia Orientalis)*, 330 col.; fascicule II, 1925 (t. XIX de la *Patrologia Orientalis)*, 480 col.

VI. Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche (Controverse sur la passibilité du corps de Jésus-Christ), Paris, Bonne Presse, 1925, in-8°, 64 pages (extraits des *Échos d'Orient*).

VII. Theologia dogmatica christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium : t. I, *Theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum origo, historia, fontes*, Paris, Letouzey et Ané, 1926, in-8°, 726 p.; t. III, *Theologiæ græco-russicæ expositio de sacramentis*, Paris, 1930, in-8, 510 poges.

VIII. Œuvres complètes de Georges Scholarios, par Mgr L. Petit-X. A. Sidéridès, M. Jugie : t. I, *Œuvres oratoires. Traités théologiques sur la Providence et sur l'âme*, Paris, Bonne Presse, 1928, grand in-8°, LXIV-550 pages ; t. II : *Traités et dialogues sur la procession du Saint-Esprit*, Paris, Bonne Presse, 1929, grand in-8°, XXX-516 pages ; t. III, *Œuvres polémiques. Questions théologiques. Ecrits apologétiques*, Paris, 1930, LII-547 pages; t. V, *Résumé de la Somme contre les Gentils et de la première partie de la Somme théologique de saint Thomas d'Aquin* (sous presse).

THEOLOGIA DOGMATICA CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

AB ECCLESIA CATHOLICA DISSIDENTIUM

Auctore Martino JUGIE

EX AUGUST. AB ASSUMPTIONE

TOMUS IV

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ GRÆCO-RUSSORUM EXPOSITIO

DE NOVISSIMIS — DE ECCLESIA



PARISIIS

SUMPTIBUS LETOUZEY ET ANÉ, EDITORUM

87, Boulevard Raspail, 87

1931



NIHIL OBSTAT

Attenta relatione a censoribus deputatis Nobis facta, t. IV operis P. Martini Jugie, cui titulus : « Theologia dogmatica christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium, » *editionem permittimus.*

Romæ, die 19 julii 1930,

G. Quénard,
Augustin. ab Assumptione moderator generalis

IMPRIMATUR
Lutetiæ Parisiorum,
die 13ª novembris 1930,
V. Dupin, *v. g.*

LITTERÆ S. CONGREGATIONIS PRO ECCLESIA ORIENTALI

QUIBUS INCEPTUM OPUS LAUDATUR

S. CONGREGAZIONE
« PRO ECCLESIA ORIENTALI »

Roma, 14 Gennaio 1930.

Protoc. N° 792/29

Reverendissimo Padre,

Ai cultori delle discipline ecclesiastiche é ben noto l'intelligente affetto con cui la P. V. Revma attende da lunghi anni allo studio della Chiesa bizantina, e in modo particolare alla ricerca e alla illustrazione della sua letteratura teologica.

Mi piace, Revmo Padre, nel ricevere, a poca distanza dal primo, il terzo tomo della sua " Theologia dogmatica christianorum orientalium ", esprimere a Lei vive felicitazioni per un opera di tanta lena e di tanto polso, ricca di informazione, e una informazione sempre criticamente esatta e spesso nuova ed originale; limpida nell'esposizione, fedele alla dottrina della santa Chiesa.

Voglia gradire i miei ringraziamenti, che Le rivolgo anche per parte della Segreteria di questa S. C., cui il suo libro porgerà spesso sussidi; e nello stesso tempo il mio augurio che ben presto vengano gli altri volumi.

Rinnovando a lei, Revmo Padre, e ai suoi Confratelli,

che insieme con lei mantengono vivo l'ardore degli studi orientali, l'espressione della mia compiacenza ed incoraggiamento, con sensi di profonda stima godo professarmi della P. V. Revma devotissimo per servirla.

L. Card. SINCERO, *Segretario.*

A. J. CICOGNANI,
Assessore.

Revmo Padre P. MARTINO JUGIE
degli Assunzionisti,
ROMA

TRACTATUS
DE NOVISSIMIS

PROLEGOMENA

Interroganti quid de novissimis sentiant Græco-Russi haud facile respondetur. In nulla enim alia theologiæ dissidentis provincia, tanta occurrit opinionum varietas, tam frequentes per sæculorum decursum deprehenduntur, quam in ista, mutationes; unde mirum non est e nostris quotquot, sive data opera, sive per transennam, de hac re tractavere, diversa, vel omnino contraria non raro protulisse. Si, v. g., Arcudium vel Allatium consulueris, Græcos cum Ecclesia catholica in omnibus fere consentire comperies; si vero ad Richardum Simonem vel ad Renaudotium te vertas, diversa omnino audies, eosdemque Græcos a veritate catholica, præsertim circa tempus retributionis et purgatorium, longe aberrare credes; immo si *Responsionem Græcorum ad positionem Latinorum de igne purgatorio*, vel *tres Marci Ephesii orationes* de eodem argumento Ferraræ prolatas, quas nuper in *Patrologia Orientali*, t. xv, publici juris fecit L. Petit, perlegeris, te veram et authenticam dissidentium de re proposita doctrinam tandem tenere gaudere non poteris; in his enim documentis habes tantum vel particularem Ephesii circa animarum defunctorum sortem, ante judicium universale, opinionem, vel ad summum, quorumdam Græcorum de purgatorio sententiam; quam si inter dissidentes etiam

nostris diebus communiter vigere pronuntiaveris, a vero non parum errabis. Meminisse siquidem oportet Ecclesiam græco-russicam, inde ab schismate perfecto, depositum revelatum nulla nova definitione, quæ ab omnibus ejus fidelibus obligatorie tenenda sit, ditasse; sed in omnibus fere quæ septem prioria concilia œcumenica expressis verbis non decrevere, vel quæ in sacris Scripturis non evidenter continentur, opinionum diversitati apud illam liberam patere viam. Porro, post diligentem doctrinæ theologorum dissidentium de novissimis investigationem, hæc tantum ab omnibus, vel *a plerisque saltem* teneri invenimus :

1° Post mortem, neminem posse mereri, vel pænitentiam agere, vel pro peccatis satisfacere;

2° Omnium mortuorum resurrectionem fore;

3° Vivos et mortuos, et etiam dæmones, in fine mundi a Christo Domino judicandos esse, bonosque a malis in æternum tunc separandos;

4° Remunerationem quum pro justis tum pro peccatoribus secundum uniuscujusque meritum inæqualem fore;

5° Mundum seu totum hoc universum, secundum sacræ Scripturæ manifestam doctrinam, in temporum fine non in nihilum redactum iri sed renovandum esse ac transformandum;

6° Orationem et alia pia opera pro defunctis ad Ecclesiæ morem facta, legitima esse eisque pro quibus fiunt aliquo modo prodesse.

Circa autem omnes alias quæstiones, quæ de novissimis moveri solent, præsertim vero de judicii particularis existentia, natura et modo; de natura retributionis et animarum separatarum statu ante judicium universale; de existentia alicujus status et loci inter cælum et infernum medii; de natura efficaciæ orationis et aliorum suffragiorum pro defunctis a vivis oblatorum, necnon de essentia beatitudinis justorum : Ecclesia græco-russica nullam habet doctrinam certam ac firmam, ut luculente patet ex continua dissensione quæ tum præcedenti tempore, tum etiam nostris diebus, inter hujus Ecclesiæ theologos circa capita indicata semper exstitit et adhuc viget. Præfatæ vero quæstiones omnes, si ultimam de essentia beatitudinis, de qua in tractatu de Deo jam egimus, excipias, ad animarum post mortem et ante judicium sortem referuntur; de qua sorte neque sacra Scriptura, neque antiqua traditio clara et omnino perspicua ac certa documenta præbent, quanquam in eis non pauca inveniuntur, quæ Ecclesiæ catholicæ ulterioribus definitionibus aperte suffragantur. Cum vero Ecclesia græco-russica definitionibus hujus modi caruerit, vel potius eis semel atque iterum (in conciliis videlicet Lugdunensi et Florentino) receptis non steterit, mirandum non est quod inter ejus theologos tanta sententiarum varietas occurrat.

Hunc nostrum de novissimis secundum Græco-Russorum doctrinam tractatum in quinque capita dividimus, scilicet :

Caput primum : *De morte et judicio particulari.* Occasione mortis, modernorum compendiorum auctores de animæ immortalitate tum theologice tum præsertim philosophice disserere solent; de qua quæstione nos silebimus, cum in tractatu de Deo creante opportuna dixerimus;

Caput secundum : *De animarum diverso statu ac remuneratione post mortem,* seu de statu animarum quem vocant *medium* (ἡ μέση κατάστασις), illo scilicet, qui a tempore mortis usque ad judicium universale perdurat; quem *cum statu medio inter cælum et infernum* cave ne confundas.

Caput tertium : *De oratione pro mortuis ejusque efficacia.* De hoc capite disserentes, compendiorum auctores non pauci subjungunt quæstiones de sanctorum communione in genere, de beatorum cultu, invocatione, imaginibus, reliquiis; de quibus alibi diximus;

Caput quartum : *De fine mundi, mortuorum resurrectione et sæculi consummatione;* de quibus pauca tantum dicenda erunt, cum dissidentes in his nobiscum fere consentiant;

Caput quintum : *De retributione electorum et damnatorum post judicium universale.* A quæstione de natura beatitudinis essentialis abstinebimus, utpote quæ jam supra examinata fuit.

CAPUT PRIMUM

DE MORTE ET JUDICIO PARTICULARI

Quæ de morte necnon de judicio particulari dicere habemus, quatuor articulis complectimur :
1° De morte ejusque universalitate;
2° De existentia judicii particularis;
3° De modo judicii particularis. De teloniis;
4° De effectibus judicii particularis.

ARTICULUS I

De morte ejusque universalitate.

De diversis mortis speciebus, de quibus in sacra Scriptura sermo est, agunt quidam compendiorum auctores. « *Mortis* nomen, ait Sylvester Lebedinskii, accipitur *proprie* vel *figurate*. Mors figurate sumpta designat : 1° quamlibet rem mortiferam, seu omnis generis calamitates propter peccatum homini in hac vita tolerandas. Sic IV Reg., IV, 40; Exod., X, 17; 2° denotat *mortem spiritualem;* mors vero spiritualis stylo Scripturæ duplex est, *fidelium* et *infidelium*. Mors spiritualis fidelium est, qua *salutariter* dicuntur mori : a) *peccato*... b) *legi morali*, tum per justificationem, quatenus per fidem in Christum ab accusatione et damnatione legis sunt liberati, tum per sanctificationem, quatenus a legis imperio et coactione liberi, spontaneam obedientiam ex spiritu præstant (Rom., VII, c) [1]; c) *legi ceremoniali*, vel ceremoniis legalibus

1. Memento Sylvestrem fuisse scholæ Procopovitsianæ lutheranizantis alumnum.

Veteris Testamenti (Col., II, 20); d) *mundo,* quatenus non conformant se mundo huic, nec indulgent ejus voluptatibus (Gal., VI, 14). Mors spiritualis infidelium vel *temporaria,* vel *æterna* est. Illa consistit in gratiæ divinæ amissione in hac vita (Math., VIII, 22; Luc., IX, 60; XV, 24; I Timoth., V, 6; Col., II, 13; Ephes., II, 5); hæc est *finalis* et nunquam terminanda hominis a Deo separatio, cum cruciatibus infernalibus conjuncta, dicta alias *mors secunda* (Apoc., II, 11; XX, 14; XXI, 8). Mors *proprie accepta* significat animæ a corpore separationem [1]. »

Causam mortis esse peccatum originale omnes docent. Unde Lebedinskii hanc duplicem mortis theologicam definitionem tradit : *Mors est privatio vitæ per lapsum primorum parentum loco pœnæ introducta, animæ et corporis unionem solvens.* Alias : *Mors est solutio animæ a corpore, a Deo propter peccatum immissa, qua corpus in terram revertitur, anima aut in cælum aut in infernum migrat, in die extremo corpori redunienda* (sic) *vel in præmium vel in pœnam* [2]. »

Ad mortis universalitatem quod attinet, Græco-Russi, sicut et nostri theologi, duplicem exceptionem notant, illam scilicet quæ communiter asseritur de Henoch et Elia, et illam quæ respicit eos qui tempore secundi Christi adventus vivi reperientur. Et de Henoch quidem et Elia eodem fere modo loquuntur ac nostri, docentes eos non fuisse mortuos ; num vero in fine mundi morituri sint, in incerto reliquentes [3] ;

1. *Compendium theologiæ classicum,* Mosquæ, 1905, p. 551-553.
2. *Ibid.,* p. 554.
3. « Henoch et Elias morti non fuerunt obnoxii ex singulari Dei privilegio, ob eorum singularem pietatem et zelum... Multi doctores opinantur eos tempestate Antichristi adventuros, atque ab illo trucidatum iri. Pro Elia dant testimonium Malachiæ, IV, 5, pro utroque vero Apocal., XI, 3-7. Sed quod attinet ad locum Malachiæ, de præcursore Christus eum exponit. Verba autem Apocalypseos in medio relinquuntur.» Lebedinskii, *ibid.,* p. 558; cf. Andrutsum, Δογματική,. p. 408-409; Antonium, *op. cit.,* p. 367; Macarium, t. II, p. 524. In opella *de resurrectione,* Marcus Ephesius de Henoch et Elia hæc habet : « Τὴν 'Ηλιοὺ ἐν πυρὶ ἁρπαγὴν καὶ τὴν 'Ενὼχ μετάθεσιν ἔτι πρὸ τούτου τίς οὐκ οἶδε σύμβολον ἀναστάσεως οὖσαν; οἳ καὶ διαμένουσιν ἄχρι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἀφθαρτισθέτων αὐτοῖς τῶν σωμάτων. » In *cod. Paris. graeco 1292,* f. 75.

de ultimis vivis autem omnes fere præcise decernunt eos non esse morituros, testimonio Pauli Apostoli (I Corint., XV, 51-52; I Thessal., IV, 15-18; II Timoth., IV, 1; II Corinth., V, 2-3), Symboli (*Venturus est judicare vivos et mortuos*) et Patrum græcorum [1] innixi; quibus exegetæ catholici coævi consentiunt [2], dum compendiorum theologiæ dogmaticæ auctores in hac quæstione communiter adhuc dubii hærent [3]. Animadvertendum est autem Paulum justorum tantum qui tempore παρουσίας vivent, non vero peccatorum, immortalitatem atque in instanti gloriosam immutationem *directe* ex divina revelatione docere. Plerique tamen theologi dissidentes dicunt peccatores qui tunc vivent ab hac mortis immunitate non esse excludendos; qui immutabuntur quidem, sed ad instar corporum damnatorum : « Sicut resurrectio mortuorum, ait Malinovskii, communis erit, ita et omnes immutabuntur qui inter vivos reperientur in secundo Christi adventu; id est, non solum justi et credentes, sed etiam peccatores et infideles, quia et tales exstabunt in fine mundi. Verum quidem est Apostolum non memorare directe infideles; sed ex verbis ejus : *Omnes* (subauditur *nos*) *immutabimur,* colligere licet immutationem a morali dignitate hominis non pendere; et quanquam hujus modi verba ad fideles, ad Ecclesiæ membra referuntur, at inter istos inveniuntur semper qui præ sua indole morali in vitam æternam introitu indigni sint; quod sane sciebat Apostolus. Sed exinde sequitur omnes sine ulla exceptione qui inter vivos tunc remanebunt immutationem experturos esse [4]. » Hanc

1. Notum est plerosque Patres græcos textum I Corinth., XV, 51 sic legere : « Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα; » et docere superstites in secundo Christi adventu non esse morituros. Ita Origenes, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Theodorus, Heracleensis, Diodorus Tarsensis, etc., et etiam inter Latinos, Tertullianus et Hilarius.
2. Cf. Cornely, *Commentarium in I Corinth.,* p. 506 sq; F. Prat, *La Théologie de saint Paul,* t. I (1e éd.), p. 109-119.
3. Et hoc propter auctoritatem SS. Augustini et Hieronymi necnon antiquorum scholasticorum, quorum opinio fundatur supra lectione Vulgatæ : *Omnes quidem resurgemus* (vel moriemur), sed *non omnes immutabimur;* quæ, attentis locis parallelis Apostoli, certe mendosa apparet.,
4. Malinovskii, t. II, p. 515; cf. Lebedinskii, p. 558 : « Non morientur

interpretationem probabilitate non carere non unus concedet, præsertim cum in Symbolo fidei indeterminate profiteamur Christum ad judicandum *vivos* et *mortuos* venturum esse.

Quidam contenderunt hanc in instanti immutationem fieri non posse quin immutati vel ad instans mortem corporalem experiantur; quod rejicit etiam idem Malinovskii — et quidem, ut nobis videtur, omnino recte — utpote contrarium verbis Apostoli, qui expresse dicit : *Non omnes moriemur, sed omnes immutabimur*, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα [1].

Nota hanc doctrinam de immortalitate eorum, qui in secundo Christi adventu superstites erunt, non solum in compendiis theologiæ dogmaticæ, verum etiam in quibusdam catechismis, præsertim vero in *Catechismo Philareti*, apud dissidentes explicite tradi [2].

ARTICULUS II

De existentia judicii particularis.

Doctrinam Græco-Russorum de existentia judicii particularis hac brevi propositione declarari potest :

Propositio.

Græco-Russi plerique docent existentiam alicujus judicii particularis post uniuscujusque mortem a judicio universali distincti; quidam tamen hujusmodi judicium aperte rejiciunt;

communi morte, transmutationem tamen, quæ mortis loco simulque resurrectionis est futura, patientur; servato interim inter pios et impios discrimine. » Item, p. 564 : « Vivi deprehensi in novissima die non morientur, aut corporis et animæ dissolutionem patientur, attamen aliquid sicut morti, ita et resurrectioni ἀνάλογον experturi sunt. Mutabuntur enim non quidem quoad substantiam, sed quoad statum et qualitates. » Macarius, p. 633; Antonius, p. 367. Eamdam doctrinam in opusculo : Περὶ τῆς δευτέρας παρουσίας τοῦ Κυρίου καὶ περὶ τῆς τῶν σωμάτων ἀναστάσεως, tenet Georgius Scholarius; cf. *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, t. III, Parisiis, 1930, p. 332 sq.

1. Malinovskii, *loc. cit.*

2. Cf. Calliphronem, Σύνοψις ἱερᾶς κατηχήσεως, Constantinopoli, 1857, p. 34. Hanc Græcorum communem doctrinam sæculo XII bene

multi ejus naturam perperam explicant momentumque enervant.

1° *Judicii particularis existentiam plerique docent.* — Apud antiquos Patres græcos, judicii particularis *expressa* mentio, quanquam non deest, raro tamen occurrit; *indirecte* vero hujusmodi judicii existentia toties affirmatur, quoties immediate post mortem immutabilis animarum retributio docetur. Præterea, in quibusdam veteribus documentis aliqua judicii particularis forma describitur, quin *judicii* nomen memoretur : quod ex iis patebit, quæ mox de judicii particularis *modo* dicetur. Idem omnino affirmandum est de traditione Byzantinorum usque ad sæculum XVI : existentia judicii particularis ubique fere supponitur, et indirecte innuitur, quamvis raro vox ipsa pronuntietur. Ad formam hujus judicii per *telonia* persæpe alluditur, quin *telonia* voce judicii notentur. Inter auctores qui judicium, quod statim post mortem fit, memorant, citari potest Gregorius Sinaita, qui in *Capitibus per acrostichidem* dicit : « Qui non credit *certe condemnabitur in morte,* sed et jam judicatus est, ut dicit Dominus [1]. » Et in *Præceptis ad Hesychastas* : « Multi inexperti multos imprudentes perdiderunt; *de quibus judicium subibunt post mortem* [2]. »

Inde autem a sæculo XVI, sub manifesto influxu theologiæ catholicæ, judicium particulare a plerisque theologis expressis verbis prædicatur. Doctores Kiovienses in sermonibus ad populum et catechismis hanc doctrinam aperte proponunt; quam in ipsa *Confessione orthodoxa* Petri Moghilæ a se correcta Meletius Syrigus reliquit, adjecta tamen longa et non ex omni parte clara explicatione. Hæc enim legimus in

animadverterat Hugo Etherianus. « Sed et illos, qui tunc (in resurrectione universali) erunt, celerrimo raptu in mortem et rursus mortuos in vitam permutabit (judex). Græci tamen illos, qui tunc vivi reperti erunt, non morituros, sed de mortalitate in immortalitatem mutandos tantum putant; quod epist. Pauli ad Corinthios firmant. » *De anima corpore exuta*, c. XXVI, *P. L.*, t. CCII, col. 221. Nostro judicio, hæc immortalitas justorum, qui tempore secundi Christi adventu vivent, est veritas *formaliter revelata*, et ad fidem divinam pertinens, etsi nondum ab Ecclesia definita.

1. « Ὁ δὲ ἀπιστῶν κατακριθήσεται πάντως ἐν ἐξόδῳ. » Cap. CIII, *P. G.*, t. CL, col. 1273 B.

2. « Ὧν τὸ κρῖμα ἕξουσι μετὰ θάνατον. » *P. G.*, col. 1341 A.

Interrogatione LXI 1ae *partis : Num illo tempore* [judicii scilicet universalis], *omnes homines daturi sint rationem de suis operibus; vel privatim unusquisque moriendo det rationem suæ vitæ, et utrum datur judicium particulare* (καὶ ἂν εἶναι κριτήριον μερικόν) ? Respondetur :

« Quemadmodum illo extremi judicii die ratio de unoquoque singillatim non exigitur; siquidem omnes res simul cognitæ sunt apud Deum, et unusquisque tempore mortis cognoscit sua peccata; ita eodem prorsus modo post mortem unusquisque operum suorum remunerationem probe novit. Quoniam itaque opera ipsius manifesto patent, patet etiam Dei in illum sententia (καὶ ἡ ἀπόφασις τοῦ Θεοῦ εἶναι φανερὴ εἰς αὐτόν), sicut dicit Gregorius Theologus (*Laudatio funebris in fratrem Cæsarium*) : *Sapientium verbis adducor, ut credam pulchram omnem animam et Deo charam, postquam corporis vinculis soluta hinc excesserit, protinus bonum, quod eam manet, persentientem ac contemplantem*, etc. Pari ratione decet nos cogitare et de animabus peccatorum e contrario, quod et ipsæ intelligant et cognoscant pœnam, quæ ipsos exspectat. Quamvis vero non habeant neque justi neque peccatores perfectam remunerationem operum suorum ante extremum judicium, non tamen sunt omnes in uno eodemque statu, neque in eumdem locum mittuntur. *Hinc palam est quod tale quid non fiat ante extremum judicium sine peculiari judicio. Est igitur particulare judicium;* et quando dicimus quod non quærat Deus vitæ nostræ rationem a nobis, hoc intelligitur quod non reddatur hæc ratio nostro modo [1]. »

Theologi russi sæculi XVIII, quum ii qui traditioni adhærent, tum novitatum Theophanis Procopovitch studiosi eamdem doctrinam aperte profitentur. Illam invenies apposite elucidatam in *Petra fidei* Stephanis Iavorskii [2]. Eamdem

1. «'Από τοῦτο γίνεται φανερὸν, πῶς τὸ τοιοῦτο νὰ μὴ γίνεται πρὶν τῆς τελευταίας κρίσεως χωρὶς κρίσεως μερικῆς· εἶναι λοιπὸν μερικὸν κριτήριον.» In textu primigenio Petri Moghilæ hæc occurrebant : « Judicium fit pro unoquoque singillatim statim post mortem. » Sakovitch, *Descriptio synodi kioviensis* (polonice), 1641, p. 176; cf. *Tchteniia Societatis imperialis historiæ et antiquitatum apud Universitatem Mosquensem*, 1877, t. I, p. 141-146.
2. *Kamen viery*, ed. Mosq., 1843, t. II, p. 369-372.

in suo compendio Theophylactus Gorskii his verbis proponit :

« Cum vero homines a Deo tanquam a judice suo salventur et damnentur, ab eo quoque sententia vel absolutoria vel condemnatoria ferri et pronunciari debet, cujus unusquisque statim post migrationem ex hac vita certior redditur. Hic vero actus, quo Deus hominem ad vitam vel mortem destinat, illique hanc suam sententiam manifestat, merito dicitur *judicium*, et quidem, ut a *futuro* et *universali* distinguatur, *particulare*. Animæ ergo separatæ mox post egressum a corpore a Deo judicantur. Hic pertinent loca : Eccl., III, 21; XII, 7 [1]. »

Item Sylvester Lebedinskii : « Judicium extremum, inquit, est vel *particulare* vel *universale*. Judicium *particulare* est quod cuivis seorsim et in individuo subeundum in extremo mortis agone [2]. » Sequentem vero difficultatem sibi objicit : « Cui promulgatur sententia definitiva in hora mortis, illi non est promulganda in die mundi novissimo; neque enim probabile est eamdem sententiam bis a judice cælesti latum iri. Atqui sententia definitiva, absolutoria aut condemnatoria, promulgatur in hora mortis. Ergo Minor patet, quia animæ a corpore solutæ e vestigio assignatur paradisus cælestis, aut infernus (Luc., XVI, 22-23); » quam in hunc modum solvit : « Respondeo distinguendo inter judicium particulare et universale : illud seorsim in hora mortis subeundum est; hoc publicabitur in extremo mundi die, ut tum justitia Dei ab omnibus palam agnoscatur et celebretur, tum totus homo, constans ex anima et corpore, judicetur et reportet, prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum [3]. »

Eadem fere invenire est in recentioribus theologiæ dogmaticæ compendiis ad usum clericorum editis necnon in catechismis haud paucis [4].

2° *A quibusdam negatur.* — Quanquam in sua *Confessione*

1. *Ecclesiæ orientalis orthodoxa dogmata*, ed. Mosq., 1831, p. 290-291.
2. *Op. cit.*, p. 569.
3. *Ibid.*, p. 574.
4. Antonius, ed. græc., p. 370; Macarius, t. II, p. 523-528; Sylvester Malevanskii, t. V, p. 85-86; Andrutsus, p. 409-410; Bernardakis, p. 151; Khamudopulus, p. 93; Koidakis, p. 74-76; Olariu, p. 332.

fidei, cap. xviii, judicium particulare aperte docet[1], Cyrillus Lucaris Lutheri et Calvini negationi aliquando adhæsit, hancque doctrinam falsam commentitiamque habuit[2].

Quod vero tibi admirationem magis movebit animo recogitanti illam solenmem approbationem Confessioni Petri Moghilæ a quatuor patriarchis orientalibus concessam anno 1643, est quod circa annum 1668-1669 Methodius patriarcha Constantinopolitanus, in quodam rescripto dogmaticæ indolis Russis dato, judicii particularis existentiam aperte negaverit. Ibi enim hæc ad verbum leguntur :

« *Noni solutio quæsiti* : Ad hæc quaerebatur utrum sit judicium particulare : per hoc autem intelligunt recentiores animas solutas corpore statim coram Domino sisti et rationem eorum reddere quæ fecerunt, judicarique simul et debitos accipere fructus. Nos vero unum et solum judicium agnoscimus coram Dei tribunali in die resurrectionis, et tunc temporis putamus animas unitas corpori accepturas esse coronam aut damnationem; e corporibus vero abeuntes legimus solum præsentire futuram gloriam aut pœnam[3]. »

Sæculo xviii ineunte, Elias Meniates in sua *Petra scandali* idem fere docet, quatenus retributionem retardat usque ad judicium universale, suaque facit verba Lactantii : « Nec tamen quis putet animas post mortem protinus judicari; nam omnes una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen (*Inst. div.*, l. III, c. xxi). » « Et revera, inquit, si interveniente, quod volunt Latini, judicio particulari, animæ peccatorum in supplicium æternum jam abierunt, justorum

1. « Ἐκδημοῦντας γὰρ ἀπὸ τῶν σωμάτων παραυτίκα ἢ πρὸς Χριστὸν ἢ πρὸς κατάκρισιν ἐκδημεῖν. Οἶος γάρ τις εὑρίσκεται ἀποθνήσκων, παρόμοιον ἀπολαμβάνει τὸ τάλαντον, μὴ οὔσης μετὰ θάνατον μετανοίας. » Kimmel, p. 38.

2. In bibliotheca Lugduni Batavorum servatur exemplar versionis græcæ catechismi S. Bellarmini a Leonardo Philara factæ, præferens autographas adnotationes Lucaris, ubi τὸ περὶ τῆς μερικῆς κρίσεως δόγμα inter mendacia et commenta collocatur : ψέματα, ψευδὲς καὶ ἐπίπλαστον; cf. E. Legrand, *Bibl. hellénique du XVII*e *siècle*, t. i, p. 242.

3. In tomo v, fol. 305 sq., operum manuscriptorum Renaudotii in bibliotheca Parisiensi asservatorum; cf. Malvy-Viller, *La Confession orthodoxe*, Parisiis, 1927, p. 165-166.

vero in vitam æternam, ultimam sane receperunt remunerationem, quid ergo opus est extremo judicio[1] ? »

Circa finem sæculi xviii, Eugenius Bulgaris ejusque discipuli judicium particulare aperte rejiciunt. In suo Θεολογικῷ (l. i, c. 17), Eugenius de industria et ex professo impugnat hanc doctrinam, quam inter latinas novitates recenset : « Circa operum retributiones, inquit, Latini, plus æquo festini, et diem non exspectantes in qua Deus ad judicandum vivos et mortuos sedebit, hos quidem vix vita functos in cælos mittunt statimque beatitudine donant; illos vero in æternum ignem compellunt, ab eisque ultimas exigunt pœnas[2]; » verbaque Lactantii supra memorata recitans, subjungit : « Graecus vir et apud nos orientalis dogmatis magister saniorem ac clariorem de hoc capite sententiam proferre non posset... Si post mortem statim anima judicata est debitamque accepit retributionem, quid tunc judicabitur? Num inanimum corpus, cujus operationes sine consensu animæ neque pœnam neque præmium merentur? Fateri ergo necessario coguntur aut corpus inanimum tunc judicatum iri, aut si totum compositum judicium subiturum sit, animam ante judicium nihil recepisse, ex qua actionum omnis bonitas vel malitia pendet[3]. » Neque obstat, inquit, de Lazaro et divite parabola, quia Salvator non dogmatice sed *parabolice* locutus est, et futura ibi minatur, perinde ac si præsentia essent. Idem dicendum de promissione Christi ad latronem : *Hodie mecum eris in paradiso.* Vox *hodie* æternitatem significat[4].

Eugenio Bulgari suffragatur ejus discipulus, Theophilus Papaphilus, Campaniæ episcopus, qui in Ταμείῳ τῆς ὀρθοδοξίας hæc habet : « Sancta nostra Ecclesia unum et solum judicium agnoscit recipitque omnium hominum in secundo Christi adventu; *particulare judicium neque novit neque recipit*[5]. » Eadem sentiebat Athanasius Pariensis, Bulgaris

1. Πέτρα σκανδάλου, ed. Ath., 1840, p. 131-132.
2. Θεολογικόν, p. 122.
3. *Ibid.*, p. 131-132.
4. *Ibid.*, p. 133-134.
5 « Μερικὸν κριτήριον οὔτ᾽ ἔγνω, οὔτε δέχεται. » Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, éd. Ath., 1908, p. 237.

alius alumnus, qui opus Papaphili inspexit præfationeque laudatoria honestavit; immo, anno 1860, Synodus hellenica fidelibus orthodoxis idem valde commendavit tanquam χρήσιμον, ψυχωφελὲς καὶ ἀναγκαῖον [1]; quod sane admirationem quamdam excitare natum est.

3° *Multi hujus judicii naturam perperam explicant momentumque enervant.* — Juxta doctrinam catholicam, hoc ad essentiam judicii particularis pertinet, quod in eo sors æterna cujusque animæ *immutabiliter decernitur*. Jam vero Græco-Russi non pauci huic positioni aperte contradicunt, dum docent quosdam ex iis qui in infernum descendunt, etiam peccatis gravibus oneratos, ante judicium universale Dei misericordia per Ecclesiæ preces implorata liberari posse, et ad partem transire beatorum. Ejusdem judicii momentum multo plures enervant, dum retributionem, quæ in eo fit, dicunt omnino esse imperfectam et tantummodo inchoatam. De illorum et horum sententia sermonem infra facimus, ubi de retributione post mortem, atque de oratione pro mortuis.

ARTICULUS III

De modo judicii particularis. De teloniis.

Quomodo judicium particulare revera fiat, nos plane latet. Theologi catholici verisimiliter conjiciunt hoc *in instanti* effici per internam mentis illuminationem et locutionem intellectualem, qua anima judicata sua merita et demerita clare perspicit, sibique pro his justam a Deo remunerationem decerni cognoscit. Hanc explicationem, quæ in *Confessione orthodoxa* innuitur [2], quidam theologi græco-russi, præsertim

1. Hæc synodalis commendatio editionibus recentioribus semper præmittitur; unde qui hunc solum librum de theologia Græcorum legeret, eos judicium praticulare communiter negare putaret.

2. « Unusquisque, tempore mortis cognoscit sua peccata... et operum suorum remunerationem probe novit. Quoniam itaque opera ipsius manifesta patent, patet etiam Dei in illum sententia. » I p., q. LXI; cf. supra, p. 17.

inter recentiores, suam faciunt. Ita, v. g., Malinovskii sententiam judicii ab ipsa conscientia a Deo illustrata proferri dicit. Sed longe communior est apud illos doctrina seu theoria de *teloniis* dicta, quæ non est nisi quædam judicii particularis figurata et imaginata descriptio, ab oratoribus quum antiquis tum recentioribus usurpata ad fidelium mentibus inculcandam aliquam veritatis suprasensibilis cognitionem.

Summa theoriæ hæc est : Deus in præparanda et in exsequenda judicii sententia angelorum quum bonorum tum malorum ministerio utitur. Ideo autem hic judicii modus *teloniorum* nomine (τελωνείοις) designatur, quia anima, antequam a Deo judice suam sententiam audiat, per diversas aeris stationes, quæ teloniis assimilantur, quibusque tanquam *publicani* (τελῶναι, τελώνια πνεύματα) præsunt dæmones, transire debet. In unaquaque vero statione, anima super aliquo vitio speciali examinatur a malis spiritibus, qui ab ea de lapsibus in hocce vitium rationes expetunt, dum boni angeli eam defendunt et excusant, actus virtutis vitio oppositæ ab ea perfectos producentes.

Teloniorum per singula descriptio diversa apud diversos occurrit; apud quosdam longior, apud alios brevior est. Hujus miræ rationis prima delineamenta apud quosdam veteres Patres invenire est. Ad eam commendandam theologi græco-russi sequentes proferunt auctoritates : Tertullianum, *De anima*, c. LIII; Origenem, *In Joannem*, 4; *In Levitic.*, *hom.* IX, 4; Clementem Alexandrinum, *Strom.*, IV, 18; S. Ephræm, *Sermo in eos qui in Christo dormierunt*; *Adversus eos qui dicunt resurrectionem mortuorum non esse*; *Testamentum*; S. Athanasium Alexandrinum, *Vita sancti Antonii Magni*; S. Macarium Magnum, *Sermo de duplici statu defunctorum;* S. Joannem Chrysostomum, *Sermo* XI, *de commemoratione dormientium; Homilia* II *in Lazarum*, 3; *Homilia* LIII *in Matthæum;* S. Basilium, *Epistola* XLIII *ad virginem lapsam;* S. Gregorium Nyssenum, *De baptismo;* Eusebium Cæsariensem, *Demonstratio evangelica*, III, c. V; Palladium, *Historia Laus.*, c. XXIV; Macarium Alexandrinum, *Sermo de exitu animæ;* S. Cyrillum

1. *Op. cit.*, p. 461-462.

Alexandrinum, *Homilia* XIV, *De exitu animæ et de secundo adventu*; S. Joannem Eleemosynarium, *Sermo de exitu animæ;* S. Maximum Confessorem, *Epistola ad Cubicularium;* S. Joannem Climacum, *Scala paradisi*. In plerisque testimoniis hujusmodi ad telonia breviter tantum alluditur; quandoque tamen descriptio fusius evolvitur, et theoria jam plene expolitur; ita, v. g., apud sanctum Cyrillum Alexandrinum, qui sequentia profert :

« Quantus animæ metus, terror, certamen, æstus sit sustinendus, cum a corpore separatur! Præsto sunt enim nobis exercitus et potestates cælestes et contrariarum potestatum tenebrarum principes, improbitatis præpositi, mancipes *publicani* et rationum exactores actionumque *censores aerei* (οἱ τελωνάρχαι καὶ λογοθέται καὶ πρακτοψηφισταὶ τοῦ ἀέρος) et cum eis ille homicida diabolus, in malitia potens, cujus lingua acutior est novacula, qui tenebrarum potestati præsidet, qui mortis habet imperium et quodammodo judicium, retinens animam, objiciens et sententia sua condemnans omnia quæ re, quæ verbis, quæ scienter, quæ imprudenter commisi, deliqui, peccavi; quæque deinceps a pueris usque ad diem exitus feci, ea omnia perscrutans. Quanto metu et terrore putas animum conflictari in illa die, cum videt terribiles illos, truces, immites, immisericordes et sævos dæmones, tanquam atros quosdam Æthiopes præsentes adesse, quorum vel sola facies quovis cruciatu molestior; quos aspiciens anima tumultuatur, pavet, dolet, turbatur et contrahitur, ad Dei angelos confugiens? Tenetur igitur anima a sanctis angelis per aerem sublimis præteriens, invenitque quosdam quasi *publicanos* ascensum custodientes (εὑρίσκει τε τελώνια φυλάττοντα τὴν ἄνοδον), et ascendentes animas prehendentes prohibentesque : nam quisque publicanorum propria habet peccata (ἕκαστον τὸ τελώνιον τὰς οἰκείας ἁμαρτίας προσφέρει αὐτῶν), quæ illis objiciat : alius perperam dicta, quæcumque ore et lingua commissa sunt mentiendo, jurando et perjurando, cum superflua, nugatoria et vana verba, tum helluationes, vinique abusum, et luxum, et immodicos indecorosque risus, levia et inhonesta oscula, et impudica cantica. At sancti angeli animam ducentes, proferunt et ipsi quæcumque ore linguaque locuti sumus bona, supplicationes, gratiarum actiones, psalmos, carmina, laudes, divinos cantus scriptorumque lectiones, et quæcumque per os et linguam bona Deo præmisimus. Secundum telonium est oculorum visus, quæcumque indecoro aspectu curiosoque et effrenato intuitu et fallaci nutu committuntur. Tertium telonium est auditionis, et quæcumque per hunc sensum impuri spiritus accipiunt. Quartum est olfactus odoriferorum unguentorum et suavium odorum, quæ mimas et impudicas decent mulieres. Quintum est eorum quæ manuum tactu perverse et improbe facta sunt... Breviter, eodem modo deinceps suos quilibet animæ morbus et peccatum publicanos habet et tributi quæstores (ἕκαστον πάθος ψυχῆς καὶ πᾶν ἁμάρτημα ἰδίους τελώνας ἔχει καὶ φορολόγους).

« Animam igitur ejus qui hæc et his majora pluraque cernit, quanto putas in metu et terrore ac trepidatione esse *donec sententia feratur*, et ejus libertas adveniat... Nam et divinæ potestates et impurorum facies spirituum astant; quorum hi prave, illi recte facta proferunt, sive quid verbis, sive opere, aut cogitatione atque mente factum est: cum interim media astans anima, hæc trepide ac pavide considerat, donec ex suis actionibus factisque et dictis aut condemnata vinciatur, aut absoluta liberetur. Nam suorum quisque peccatorum catenis constringitur. Quod si digna fuerit, pie et ad Dei voluntatem traducta vita, assumunt eam angeli, et deinceps secura pergit comites habens sanctas potestates... Tunc a pravis, improbis et horrendis illis spiritibus liberata, vadit in illud ineffabile gaudium. Sin autem inventa fuerit dissolute et luxuriose vixisse, audit gravissimam illam vocem. *Tollatur impius, ne Domini gloriam videat* (Is., XXXV, 10). Tunc invadunt eam dies iræ, afflictionis, angoris et angustiæ, dies tenebrarum et caliginis. Tunc a sanctis Dei angelis derelictam prehendunt Æthiopes illi dæmones, et eam crudeliter verberantes deferunt ad terram eaque diffissa infractis colligatam vinculis præcipitant in tenebricosam et caliginosam terram, ad infima loca, in subterraneos loci carceres atque custodias, ubi conclusæ sunt nocentum animæ [1]. »

Quinque telonia tantum Cyrillus expresse memorat; in qui-

1. *P. G.*, t. LXXVII, col. 1073-1076.

busdam autem documentis hagiographicis multo plura notantur. Celebrior porro teloniorum descriptio illa est, quæ in *Vita sancti Basilii Junioris* († 944) a Gregorio ejus discipulo conscripta legitur; quam sæpe memorant auctores quum antiqui tum recentiores. Ibi non minus quam unum et viginti telonia recensentur[1], et ea omnia quæ breviter tetigit sanctus Cyrillus fusiori calamo extenduntur; quorum narratio in ore ponitur alicujus sanctæ feminæ, Theodoræ nomine nuncupatæ, quæ sancti Basilii Junioris discipula fuerat eique, dum viveret, ministraverat. Hanc jam defunctam Gregorius in quadam visione contemplari sui patris spiritualis precibus obtinuit; quam de iis, quæ post mortem animæ obveniunt, interrogavit. Illa animæ terrores in mortis agone primum descripsit; postea de suo per viginti et unum telonia transitu minutatim locuta est; jam vero præterito ultimo telonio, Theodora cæli januam a longe conspexit, sanctisque angelis comitantibus, sanctissimæ Trinitati primum præsentata est; deinde, eisdem ducibus, quum sanctorum mansiones, tum inferorum domos damnatorumque habitacula invisit, et nonnisi quadragesima post mortem die ad mansionem sibi paratam tandem pervenit[2].

1. Horum teloniorum nomina hæc sunt : τελώνιον τῆς καταλαλίας, τελώνιον τῆς ὕβρεως, τοῦ φθόνου, τοῦ ψεύδους, τοῦ θυμοῦ καὶ τῆς ὀργῆς, τῆς ὑπερηφανείας, τῆς μωρολογίας, τοῦ τόκου καὶ τοῦ δόλου, τῆς ὀκνηρίας καὶ κενοδοξίας, τῆς φιλαργυρίας, τῆς μέθης, τῆς μνησικακίας, τῆς μαγείας καὶ γοητείας, τῆς πολυφαγίας, τῆς εἰδωλολατρείας, τῆς ἀρσενοκοιτίας, τῆς μοιχείας, τοῦ φόνου, τῆς κλοπῆς, τῆς πορνείας, τῆς ἀσπλαγχνίας καὶ σκληροκαρδίας.

2. *Vita S. Basilii Junioris*, cujus festum celebratur die 26 martii, russice versa recenter edita est hoc titulo inscripta : *Vita sancti Basilii junioris et narratio beatae Theodoræ de processu teloniorum*, 3 ed., Odessæ, 1911. Hujus documenti ea pars quæ ad telonia spectat in græcam dialectum vulgarem versa, Athenis, anno 1920 publicata est cum hoc titulo : Τὸ μυστήριον τοῦ θανάτου καὶ ἡ νίκη κατὰ τοῦ διαβόλου περιέχον τὸν βίον καὶ τὴν πολιτείαν τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου τοῦ νέου, καὶ τὴν ἀπολύτρωσιν ἐκ τῶν ἐναερίων τελωνίων τῆς Θεοδώρας τῆς μαθητρίας αὐτοῦ; cf. A.N. Veselovskii, *Inquisitiones in provincia poeseos ecclesiasticæ russicæ*, in *Sbornik sectionis linguæ russicæ ac litteraturæ Academiæ imperialis scientiarum*, t. xvi, 6, 1889, suppl., 4-8, 10-16, 77-81. Nota sanctum Andream Cretensem docere omnem animam justam post mortem ad inferos, exemplo Christi, descendere, ut de triumpho a

Non solum Patres et hagiographi antiqui de teloniis sermonem texerunt, sed etiam in liturgia græca ad ea haud semel alluditur. In *officio agonizantium* hæc et his similia occurrunt : « Ecce malorum spirituum turba præsto est; peccatorum meorum chirographa in manibus habent, et cum tremendis clamoribus miseram animam impudenter expetunt. Miseremini mei, sancti angeli Dei omnipotentis, et ab omnibus teloniis malitiæ me liberate. » In canone in angelum custodem item sequentia leguntur : « Totam vitam meam in magna vanitate transegi : ecce finis præsto est. Angele, mei custos, esto mihi, oro, defensor, protector invictus, *quando telonia pertransibo* crudelis tyranni mundi hujus. »

Non solum testimonio traditionis patristicæ et liturgiæ, sed etiam sacræ Scripturæ locis doctrinam teloniorum firmant Græco-Russi; hanc enim sequentibus textibus insinuari contendunt : 1º Luc., xvi, 22 : « Factum est autem ut moreretur mendicus *et portaretur ab angelis* in sinum Abrahæ; » 2º Luc., xii, 20 : « Stulte, hac nocte *animam tuam repetunt a te* [subaudiunt : *mali spiritus*] ; » 3º Ephes., ii, 2; vi, 12 : « Secundum *principem potestatis aeris hujus*, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. — Adversus *principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*; » 4º Epist. Judæ, 19 : « Cum Michael archangelus *cum diabolo disputans altercaretur* de Moysis corpore; » 5º Hebr., i, 14 : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus, *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis*[1] ? »

De teloniis quæstiones particulares movent quidam theologi. Ita Simeon Thessalonicencis Gabrieli Pentapolitano quærenti num unus an plures angeli egressas a corporibus

Christo reportato congruam notionem acquirat, *Homilia I in dormitionem B. Mariæ*, *P. G.*, t. xcvii, col. 1049-1052. In diversis narrationibus apocryphis de transitu B. Mariæ virginis, B. Virgo, Christo et apostolis comitantibus, cæli mansiones et inferorum habitacula invisit.

1. Non tantum hos textus, sed etiam alios, qui ad influxum angelorum in homines in genere spectant, citant quidam theologi, ut Macarius.

animas excipiant, et num sine angelo egrediantur, hæc respondet :

« Animæ justorum a sanctis angelis, impiorum vero a dæmoniis auferuntur; et hoc multorum historicorum et Patrum sermonibus cognoscimus, idemque dixit Evangelium de paupere Lazaro mortuo, quod ab angelis sublatus sit in sinum Abrahæ... Numerum autem non scimus angelorum ad hoc deputatorum. Sæpe unum legimus in sermonibus Patrum[1] ; vidit enim Euthymius Magnus angelum tenentem tridentem, et duos vel plures angelos præpositos ad suscipiendam animam; et illud forte propter dignitatem animarum suscipiendarum; et animas justorum a pluribus angelis suscipi pro earum merito, vel a paucioribus; animas denique peccatorum a dæmonibus rapi [2]. »

Josephus Bryennius, in suo *secundo de futuro judicio sermone*, quærit utrum tunc τελώνια ἀέρος suum officium adhuc exercituri sint; et respondet negative : « Præsente judice, inquit, et omnibus judicandis, ego non puto *telonia* aeris adfutura esse, et judicandos examinatura; ipsi enim publicani isti, spiritus scilicet malitiæ ministri, Domini terrore percellentur [3]. »

Aliud dubium est num omnes animæ, quum justæ tum peccatrices, per hujusmodi telonia transire debeant. Et respondent alii affirmative [4], negative alii. Cæterum, omnes concedunt animas perfecte justas et in cælos introitu dignas

1. Joannes, archiepiscopus Thessalonicensis († circa 620), in *Sermone de dormitione Deiparæ*, quem nuper edidimus, hæc habet : « Duo angeli super hominem (morientem) veniunt, unus justitiæ, malitiæ alter; et una cum morte ingrediuntur. Et quando mors conturbat animam, accedunt angeli isti duo, et corpus ejus contrectant. Et si justitiæ opera fecisse inventus fuerit homo, eo gaudet angelus justitiæ, quia nihil in illo habet malignus. Tunc plures angeli ad animam veniunt, coram ea hymnos canentes usque ad locum justorum omnium. Tunc luget angelus malitiæ, quia non habet partem in eo. Si quis vero mala opera patrasse deprehensus fuerit, gaudet et hic, aliosque malos spiritus secum assumit, qui animam tollunt ac divexant, et angelus justitiae dolet vehementer. » *Patrologia orientalis*, t. xix, p. 382.
2. *Ad Gabrielem Pentap.* quæstio iv, *P. G.*, t. clv, col. 841-844.
3. *Opera*, ed. E. Bulgaris, t. ii, p. 389.
4. Ita, v. g., Truskovskii, *Theologia polemica*, p. 103.

in teloniis a malis spiritibus retineri ac retardari non posse [1]. Quidam tamen opinantur iter per aerea telonia necnon per diversa animarum habitacula pro omnibus usque ad quadragesimam post mortem diem durare, sicut Theodoræ, sancti Basilii Junioris discipulæ, contigit; ita ut judicii particularis sententia nonnisi illa die a Deo pronuntietur; et hoc modo explicant commemorationem quadragesimæ diei, quæ pro unoquoque defuncto fieri solet [2]. Hanc sententiam invenimus expressam in compilatione canonica Manuelis Malaxæ (can. 162), quæ apud Rumenos inde ab anno 1652 recepta est :

« Die tertia, nona et quadragesima, post mortem fiat commemoratio defuncti, et dentur cibi pauperibus; et quidem die tertia ideo, quoniam animæ defunctorum usque ad tertium diem a separatione a corpore, in societate angeli in terra commorantur, ac tertio solum die se coram Deo sistunt, atque usque ad nonum diem in superioribus cæli oberrant ad videnda habitacula sanctorum; post nonum autem diem usque ad quadragesimum, ostendit eis angelus paradisum et omnem cruciatum inferni, donec quadragesimo die, *recepta a Deo sententia*, locum occupat suum usque ad secundum Domini adventum [3]. »

1. Antonius, *Theologia*, ed. gr., p. 371-372; Anonymus in articulo : *De morte et animarum a corpore separatarum statu*, in *Pribavleniia ad op. Patrum*, t. ix, 1850, p. 60.
2. « L'Église orthodoxe d'Orient a toujours enseigné... que les âmes, après leur décès (*sic*), sous la conduite de leurs anges gardiens, avaient à franchir des gradations ou stations successives pour s'élever ou descendre à leur partage éternel... C'est pourquoi elle a prescrit de multiplier les oraisons les plus instantes pour assister ses enfants décédés dans l'espace des quarante premiers jours qui suivent leur séparation d'avec leurs corps. » Alexandre Stourdza, *Double parallèle*, Paris, 1858, p. 14-15, 75-76. Monachus russus Metrophanes, in suo opere : *Quomodov ivunt nostri defuncti* ,2 vol., Petropoli, 1880-1881, t. i, ed. 6, Petropoli, 1897, p. 18, docet animam defuncti per duos dies remanere prope corpus suum; tertia die, telonia pertransire, postea usque ad decimam diem, brevi adoratione facta ante thronum Dei, paradisum invisere; deinde, per triginta dies in inferno deferri; demum quadragesima die, suam sententiam audire. Operis Metrophanis versio gallica Petropoli edita est, anno 1884, hoc titulo inscripta : *La vie de nos défunts et la nôtre après la mort.*
3. Cf. J. Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Ecclesiæ orientalis catholicæ*, ed. 2, Magno-Varadini, 1880, p. 38, 48-49.

Alii vero teloniis significationem omnino specialem attribuerunt eaque in verum purgatorium transmutarunt; de quorum sententia infra dicemus.

Fatendum est huic judicii particularis figuratæ descriptioni theologos dissidentes non paucos nimium valorem theologicum tribuisse et adhuc tribuere. Illam siquidem catechismis inseruerunt [1]; de ea in compendiis theologiæ dogmaticæ fuse loquuntur [2]. Macarius asserit eam super *traditione apostolica* fundari [3]; quod omnino improbat Andrutsus [4]. Verum quidem est hos theologos plerumque dicere telonia non sensu carnali sed spirituali esse accipienda; de eis tamen loquuntur perinde ac si revera existerent diversæ aeris stationes, per quas defunctorum animæ transire necessario debeant, antequam a Deo judicentur. Admitti quidem potest aliquis angelorum interventus, præsertim in exsequenda judicis sententia [5]; at vero telonia ipsa non sunt nisi mera figura et allegoria. Et in hunc sane sensum ea accipiebat sanctus Cyrillus Alexandrinus, qui eorum descriptioni hoc monitum theologo vere dignum præmiserat : « Nihil accusatoribus eget judex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque reprobationibus. Sed quæcumque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium affert ob oculos nocentum [6]. »

Præter hanc figuram de teloniis dictam, aliam apud quosdam auctores invenire est, quam ab antiquis Ægyptiis

1. Laurentius Zizanii in suo *Magno catechismo* ea telonia enumerat quæ in *Vita Basilii Junioris* occurrunt, dicitque illa multiplicari secundum diversas peccatorum species. Monet tamen non omnes omnia telonia subire, animasque sanctorum statim ad Deum avolare; cf. *Trudy Kiov.*, 1898, t. II, p. 244 sq. Bernardakis in suo *Catechismo*, p. 150, de eis mentionem facit.
2. Macarius, *op. cit.*, t. II, p. 528-538; Antonius, p. 371-372; Sylvester Malevanstii, t. V, p. 86-96; Malinovskii, t. II, p. 462-464.
3. *Loc. cit.*, p. 535.
4. Δογματική, p. 415, nota 2.
5. In liturgia latina, Michael archangelus declaratur præpositus ad animas suscipiendas : « Constitui te principem super omnes animas suscipiendas. » Et in offertorio Missæ defunctorum : « Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam. » Hæc de ministerio Michaelis traditio antiquissima est, et in plerisque de transitu B. Mariæ apocryphis occurrit.
6. *P. G.*, t. LXXVII, col. 1072.

mutuati sunt : Judicium videlicet particulare actionum ponderationi libræ ope factæ comparant. Hanc metaphoram sic proponit auctor tractatus *De iis qui in fide obdormierunt*, sancto Joanni Damasceno vulgo, sed immerito, tributi :

« Aiunt viri divinitus illuminati hominum actiones in extremo vitæ spiritu velut in trutina appendi; ac si quidem dextra lanx supra alteram efferatur, non dubitandum quin, quisquis ille sit, inter dextros angelos animam exhalet. Sin autem paria utrinque momenta sint, Dei clementiam procul dubio vincere. Quin, ut a divinarum scripturarum interpretibus proditum est, etiamsi trutina nonnihil ad lævam vergat, Dei quoque misericordia supplet quod desideratur. Habes itaque triplicem Domini sententiam, quarum prima justa est, altera humanitatis plena; tertia, immensæ bonitatis. Sequitur quarta, quæ tunc denique locum habet, cum flagitiosæ actiones nimium præponderant [1]. »

Quidam demum utramque metaphoram simul usurpant, nobisque repræsentant dæmones chirographa acervosque peccatorum in lance sinistra apportantes, bonos vero angelos bonas actiones in altera imponentes. Sic Philippus Solitarius, qui primum de actionum in libra examinatione loquitur; postea animæ per telonia diversaque cæli et inferni habitacula peregrinationem describit [2].

ARTICULUS IV

De effectibus judicii particularis.

Juxta doctrinam catholicam, quæ tamen non dum *quoad omnia* solenni definitione proposita est, judicium particulare sequentes effectus habet :

1° Merito, pænitentiæ salutiferæ ac satisfactioni *proprie dictæ* finem imponit;

2° In bono vel in malo processui viam præcludit, ita ut

1. *De his qui in fide dormierunt*, 25, *P. G.*, t. XCV, col. 272.
2. *Dioptra*, l. IV, c. XX, *P. G.*, t. CXXVII, col. 872-874.

anima post judicium neque melior, neque pejor fiat, et in eodem morali statu permaneat;

3° Sortem uniuscujusque ita determinat, ut hæc nunquam mutanda sit: ut reprobus nunquam possit fieri electus, et vice versa; quanquam animæ justæ nondum plene purificatæ ab adeptione aeternæ beatitudinis in purgatorii carcere per certum tempus retardantur;

4° Retributionem essentialem, ad animam quod spectat, unicuique decernit et affert, quanquam aliquod beatitudinis augmentum, post judicium universale, non necessario excluditur, corpusque animæ felicitati aut supplicio tunc sociandum est.

Circa hæc quatuor multi theologi græco-russi cum Catholicis conveniunt; multi etiam ab eis dissentiunt. In hoc articulo, duo prima puncta tantum examinabimus, de tertio et quarto in secundo capite hujus tractatus acturi.

1° *Merito, pænitentiæ salutiferæ ac satisfactioni judicium particulare finem imponit.* — Hæc propositio a Græco-Russis communissime docetur, etiam ab eis qui opinantur quosdam damnatos precibus Ecclesiæ ab inferno liberari: quod revera contradictionem implicat. Nam quomodo damnati, qui cum peccatis mortalibus e vita cesserunt, ad sortem electorum aliquando transire poterunt sine vera de peccatis commissis pænitentia? Hanc contradictionem non effugit *Confessio orthodoxa*, in qua hæc legimus:

« Quæstio lxiv (I p.): *Annon et aliqui sic moriuntur, ut beatorum damnatorumque medii sint* (ὅπου νὰ εἶναι ἀνάμεσα τῶν σῳζομένων καὶ ἀπολλυμένων)?

« Responsio: Hujus ordinis homines nulli reperiuntur. At probe constat multos ex peccatoribus de vinculis inferni liberari *non sua quidem ipsorum pænitentia sive confessione..*, sed vivorum suffragiis et Ecclesiæ pro ipsis deprecationibus, præcipue vero incruento Missæ sacrificio, quod Ecclesia pro vivis mortuisque omnibus communiter quotidie offert, quemadmodum et Christus pro iis pariter mortuus est. Ceterum haudquaquam suapte opera animos hujusmodi ex inferis liberari docet Theophylactus in cap. vi Lucæ, ea Christi verba, quibus potestatem remittendi peccata in terra sibi vindicat, exponens: « Observa, inquit, remitti peccata in terra. Quamdiu enim in hac terra commoramur, peccata nostra expungere possumus; at postquam e terra demigravimus, non possumus deinde ipsimet ope confessionis peccata nostra delere. Jam enim clausa est janua ». Et in *cap.* xx, Math., v. 13, hæc verba interpretans: *Colligantes illius manus ac pedes*, per quæ animæ facultates activæ designantur, ait: « In sæculo quidem præsenti, agere operarique licet, sed in futuro vinciuntur omnes activæ facultates animæ (δεσμοῦνται πᾶσαι αἱ πρακτικαὶ δυνάμεις τῆς ψυχῆς), nec tunc quidpiam boni efficere possumus in peccatorum nostrorum compensationem. » Et in *cap.* xxv ejusdem Evangelii: « Non est pænitentiæ operationisque tempus post discessum ex hac vita ». Quibus ex verbis clarum evadit post mortem liberari per se animam, pænitentiamque agere non posse, nihilque ejus modi facere, quo infernis eximatur vinculis. Solæ igitur sacræ liturgiæ precesque et elemosynæ, quæ animæ causa a viventibus præstantur, illam plurimum adjuvant, atque a vinculis inferni liberant. »

Theologorum testimonia referre qui nostræ propositioni expressis verbis suffragantur, quin in contradictionem supra dictam incidant, longius esset. Unum laudabimus Macarium: « Mors, inquit ille, est limes quo finitur pro homine tempus meritorum, et inchoatur tempus retributionis, ita ut, post mortem, nobis omnino imperviæ sint tum pænitentia tum emendatio vitæ. Hanc veritatem expressit Christus Salvator sua parabola de divite et Lazaro, ex qua patet hunc et illum statim post mortem suam remunerationem accepisse, divitem vero non potuisse per pænitentiam a suis tormentis liberari [1]. »

Inter eos qui possibilitatem liberationis damnatorum a vinculis inferni per Ecclesiæ preces admittentes, pænitentiæ etiam possibilitatem post mortem pro peccatoribus hujusmodi omnino logice docent, citari potest Malinovskii, qui in suo theologiæ compendio hæc habet: « Inveniuntur in inferno animæ, in malo non penitus induratæ, quæ *vividos pænitentiæ sensus pro peccatis in hac vita commissis concipere valeant, hæc peccata abominari*, corde et mente tendere in

1. *Theologia*, t. ii, p. 524.

bonum sæpius hic neglectum. Ex divinæ clementiæ lege, hujusmodi animæ a tormentis inferni liberari possunt per Ecclesiæ preces, per bona opera et potissimum per oblationem incruenti sacrificii, necnon sanctorum Ecclesiæ cælestis et ipsius Salvatoris interventu [1]. »

2° *Progressui in bono vel in malo viam præcludit.* — Hoc etiam a theologis dissidentibus communiter admittitur. Quidam tamen docent animas justorum post mortem in bono perfici; animas vere peccatorum in malitia et induratione gradatim consummari. Hujus sententiæ disertus propugnator exstat C. Dyovuniotis in suo opusculo : Ἡ μέση κατάστασις τῶν ψυχῶν.. Secundum hunc theologum, animæ omnes, per totum *status medii* tempus, id est a mortis instante usque ad judicium universale, progressui et evolutioni morali obnoxiæ sunt : animæ justæ, post mortem, non habent nisi imperfectam sanctificationem et imperfectam beatitudinem; item animæ peccatrices non sunt nisi in imperfecta excæcatione (ἐν ἀτελεῖ πωρώσει). Mors quidem animarum mutationi et conversioni finem imponit, quatenus justus et electus non potest amplius fieri malus et damnatus, et vice versa ; sed evolutionem et processum moralem in eamdem partem eamdemque viam non sistit; instans enim separationis animæ a corpore non potest subito et quasi mechanice dispositiones et statum moralem animorum transmutare. Profectus ergo in bono pro bonis, in malo pro damnatis usque ad judicium universale admittendus est. Præterea, pro iis omnibus qui in hac vita ad fidei christianæ cognitionem non fuerunt vocati (infideles negativi), vel sufficientem doctrinæ christianæ scientiam inculpabiliter non sunt assecuti (ut rudes, insipientes, parvuli baptizati; item parvuli non baptizati), suppletivum aliquod probationis tempus theologo græco videtur esse statuendum. Hæc autem nova probatio, inquit, prædicationi Christi in inferis omnino assimilanda est. Quemadmodum enim Christo prædicante evangelium inferni incolis, ii soli crediderunt qui, dum in terra viverent, sua agendi ratione

1. *Op. cit.*, t. II, p. 472. Quidam, ut Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 281, simpliciter dicunt sortem *impænitentium* nondum esse definite statutam.

quasi fidei semina in seipsis deposuerant; ita etiam ex iis animabus in statu medio versantibus, pro quibus necessaria est aliqua suppletiva christianæ fidei propositio, illæ solæ ad Christum convertentur et salvabuntur quæ, dum hic degerent, futuræ salutis initia et fundamenta sua vivendi ratione posuerunt [1] : quod quidem pro infidelibus, qui pleno rationis usu potiti sunt, sat bene concipi potest, non vero pro parvulis et amentibus. Cæterum, hæc gratis supponuntur et temeritate non vacant.

Progressui et evolutioni morali animarum separatarum suffragatur etiam Russus N. Bielaiev, quatenus docet eos peccatores qui Ecclesiæ precibus ab inferno liberantur, non mechanice liberari, sed post mortem aliquam mutationem internam experiri, *quæ ab ipsorum vita terrestri pendeat* [2] : quæ haud parva obscuritate laborant.

Alii, ut Antonius [3], Macarius [4], etc., progressum et evolutionem admittunt pro animabus quæ in fide et pænitentia a corpore solutæ sunt, antequam dignos ferrent pænitentiæ fructus. Sub influxu, inquiunt, fervidarum Ecclesiæ obsecrationum cum Dei benedictione, germina virtutum, quæ hujusmodi animæ in se retinent, pullulant seseque explicant. Hic oratorius dicendi modus tolerari posset, si Macarius *vim purificativam ac liberativam satispassionis* animarum non negaret.

Omnem progressum animarum separatarum, etiam illum quem propugnat Macarius, præcise rejicit C. Andrutsus tanquam doctrinae de judicio particulari adversantem [5].

1. *Op. cit.*, p. 91-114.
2. *Romano-catholica doctrina de satisfactione*, in *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, 1876, t. I, p. 439.
3. *Op. cit.*, p. 373, 376.
4. *Op. cit.*, p. 598, 601.
5. Δογματική. p. 429-431.

CAPUT SECUNDUM

DE ANIMARUM DIVERSO STATU AC RETRIBUTIONE POST MORTEM

Prænotamina.

Huic intricatissimae quæstioni de animarum separatarum statu ante judicium universale quædam necessario præmittenda sunt de controversia, quæ inde a saeculo XIII Græcos inter et Latinos exorta est, duasque inter utramque Ecclesiam differentias dogmaticas genuit, illam scilicet quæ est de tempore retributionis, et alteram de purgatorio. Quonam autem anno hæc litigatio primum inceperit, præcise jam determinare possumus. Ad nos enim usque pervenit relatio [1], saltem ex parte, primæ de igne purgatorii disputationis, quæ inter Fratrem Bartholomæum, Ordinis Minorum et Georgium Bardanem, episcopum dissidentem Corcyræ, circa finem anni 1231, vel ineunte anno 1232, in monasterio græco Cazulensi, prope Hydruntium, habita est. Georgius, quem apud imperatorem Fredericum II miserat legatum Manuel Commenus, Epiræ et Thessalonicæ despota, dum per Italiam iter ageret, morbo correptus, die 15 octobris anni 1231 in prædicto monasterio constitit usque ad mensem aprilem anni 1232. Ibi ergo dum ægrotus accumberet,

1. Initium hujus relationis asservatur tum in *cod. Barber. græco 297*, a quodam Joanne Nardensi mense junio anni 1236 exarato, tum in *cod. Laur. græc. 36*, n. 3 (p. 6b-8a) *Plutei* v.; cf. Bandini, *Catalogus codd. græc.*, *Bibl. Laurent.*, t. II, p. 60. Hæc relatio, seu potius primus tractatus adversus ignem purgatorium in formam dialogi inter Græcum et Latinum conscripta est. De Fratre Barthomaeo, vide G. Golubovitch, *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Sancta e dell' Oriente francescano*, t. I, p. 170-175, Quaracchi, 1906. De Georgio Bardane vero, vide E. Kurtz, *Georgios II IBardanes, Metropolit von Kerkyra*, in *Byzantinische Zeitschrift*, t. XV (1906), p. 603-613; Vassilievskii, *Epirotica*, in *Vizantiiskii Vremennik*, t. III (1896), p. 248-263; A. Mustoxidi, *Delle cose Corciresi*, t. I, Corcyræ, 1848, p. 424-428, et append., L-LVI.

Frater Bartholomæus, unus ex legatis Gregorii papæ IX ad Græcos pro unione Ecclesiarum instauranda, eum invisit, de unione cum eo collocutus est, eumque interrogavit de sorte eorum, qui hac vita decedunt antequam pænitentiam (τὰ ἐπιτίμια) a confessore impositam adimplere potuerint. Franciscanus præsuli græco doctrinam catholicam de purgatorio clare exposuit, de purificatione animarum inter electos et damnatos mediarum per ignem locutus est, ad auctoritatem sancti Gregorii Magni, quem Græci Διαλόγον appellant, provocans, ut ignis purgatorii existentiam astrueret. Græcus animadvertit Latinum docere non solum ignem purgatorium, sed etiam immediatam retributionem post mortem. Unde ipse primum quidem retributionis dilationem usque ad judicium universale diserte professus est; ignem vero purgatorium (τὸ πῦρ καθαρτικόν) tanquam origenismum sapientem rejecit [1]. Neque, ut videtur doctrinam catholicam bene intellexit [2].

1. Titulus *Dialogi* Georgii in *cod. Barber. græc. 297* hic est : Ἀρχὴ σημειώσεων πρὸς ἅπερ ἠρωτήθημεν κατακείμενοι ἀσθενῶς ἐν τῇ ἁγίᾳ μονῇ τῶν Κασούλων παρὰ τῶν λεγομένων φρατομινουρίων, οἵτινες παραδιδάσκουσι καὶ παραδογματίζουσιν εἶναί τι πῦρ καθαρτήριον, ἐν ᾧ οἱ τελευτήσαντες ἐν ἐξαγορεύσει, μήπω δὲ φθάσαντες ἀποκλαύσασθαι τὰ οἰκεῖα πλημμελήματα, ἀπάγονται καὶ καθαίρονται πρὸ τῆς τελευταίας κρίσεως, τέλος εὑρίσκοντες ἀπαλλαγὴν τιμωρίας πρὸ τῆς τελευταίας κρίσεως, ἅμα προϊστῶντες σύμμαχον τοῦ τοιούτου λόγου καὶ τὸν ἐν ἁγίοις Γρηγόριον τὸν Διάλογον· καὶ ἡ μὲν πεῦσις τοῦ Λατίνου· ἐκαλεῖτο δὲ οὗτος Βαρθολομαῖος· τοιάδε τις ἦν· « Θέλω μαθεῖν ἀφ'ὑμῶν τῶν Γραικῶν. » *Initium considerationum earum de quibus in sancto Casulorum monasterio male affecti, a Fratribus Minoribus interrogati sumus, qui perverse docent et male adstruunt esse quemdam ignem purgatorium, in quem, dum confessi moriuntur, nec propria crimina deplorarunt, exportantur ac purificantur ante finale judicium, tandem aliquando poenæ finem ante dictum judicium adipiscentes; et hujusce dicti advocatum afferunt sanctum Gregorium, cognomento Dialogum. Interrogatio porro Latini, qui Bartholomaeus vocabatur, hæc fuit : Cupio a vobis Græcis perdiscere*, etc.

2. Hoc conjicimus ex paucis, quæ in *cod. Barb. græc. 297* leguntur. Ibi enim Latinus igni purgatorio mandat eos, qui ἀμετανοήτως e vita cesserunt, ut fures, adulteri et homicidæ et quotquot venialiter peccant : « δι' οὗ μεθιστάμενοι τῶν ὧδε ἀμετανόητοι, οἷον εἰπεῖν κλοπεῖς καὶ μοιχοὶ καὶ φονεῖς, καὶ ὅσοι τὰ φορητὰ ἁμαρτάνουσι, κακοπαθοῦσι μὲν ἐν τῷ τοιούτῳ πυρὶ πρὸς καιρόν. » *Cod. cit.*, fol. 1, Prima interrogatio Latini his verbis concipitur : « Θέλω μαθεῖν ἀφ'ὑμῶν τῶν Γραικῶν ποῦ ἀπέρχονται αἱ ψυχαὶ τῶν τελευτησάντων ἀμετανοήτως καὶ μὴ φθασάντων ἐκδουλεῦσαι (*sic*) τὰ ἐπιτίμια ἐν οἷς οἱ πνευματικοὶ πατέρες αὐτῶν αὐτοὺς

Ex hoc primo de novissimis inter hos duos colloquio initium sumpsit tota de beatitudine sanctorum necnon de purgatorio controversia. Mox enim Georgius Bardanes non solum disputationem, quam cum Franciscano habuerat, in formam dialogi litteris consignavit, verum etiam, ut videtur, Germanum II, Constantinopolis patriarcham, qui tunc Nicææ degebat, de litigatione monuit, simulque ut contra errores Latinorum noviter detectos aliquid conscriberet, hortatus est; cui Germanus morem gessisse et contra purgatorium ignem quemdam tractatum conscripsisse fertur [1]. Ex parte vero Latinorum, rumor brevi sparsus est Græcos purgatorium negare, et remunerationem animarum usque ad ultimi judicii diem retardare. Hæc duo jam anno 1252 Græcis exprobrant Dominicani conventus Peræ in suo tractatu polemico *Contra errores Græcorum* : « Secundus articulus, inquiunt, in quo deviant a nobis, asserit « defunctorum animas nec paradisi gaudiis perfrui, nec infernorum suppliciis, vel igne purgatorio » citra diem judicii, aut ante latam sententiam extremam judicis posse subjacere... sequentes quemdam hujus hæreseos inventorem, archiepiscopum quondam Cæsareae Cappadociæ, Andream nomine, qui dicit animas propria corpora præstolari, ut cum eis, cum quibus bona vel mala commiserint, retributiones similiter factorum recipiant; qui etiam ad confirmandam suam opinionem erroneam, auctoritatem Apostoli ad Hebraeos pro se introducit : *Et hi omnes testimonio fidei probati* etc. (Heb., xi, 38) [2]. »

Quosdam tamen Græcos Georgii Bardanis sententiam de

περιώρισαν. » Voces ἀμετανόητοι, ἀμετανοήτως. ambigua sunt. Intelligi enim possunt vel de iis qui *sacramentum paenitentiæ* in articulo mortis non receperunt, vel de impaenitentia proprie dicta.

1. Allatius, *De consensione*, etc., p. 712, de Germano hæc habet : « Scripsit item de azymis, *Purgatorio* et de tribus modis administrandi baptismum. *Ipse non vidi.* » Hunc Germani tractatum de purgatorio in catalogis codd. manuscrip. incassum quæsivimus.

2. *P. G.*, t. cxl, col. 487, 511. Ex his verbis patet hujus tractatus auctores in theologia Græcorum parum fuisse versatos. Andreas enim Caesariensis non primus docuit dilationem retributionis; non pauci ante ipsum, et multi post, eamdem tenuerunt sententiam; quam etiam apud quosdam Patres antiquos invenire est.

purgatorio igne non amplecti, verum summam doctrinæ catholicæ de hoc argumento recipere compererunt Latini in insula Cypro commorantes. Unde Innocentius papa IV, die sexta martii anni 1254, hæc ad Ottonem cardinalem Tusculanum, suum ad Cyprios legatum, rescripsit :

« Cum Veritas in Evangelio asserat quod si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei : per quod datur intelligi quasdam culpas in præsenti, quasdam vero in futuro sæculo relaxari; et Apostolus dicat quod uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit, et cujus opus arserit detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem (I Corinth., iii, 15) : et ipsi Græci vere ac indubitanter credere et affirmare dicantur animas illorum, qui suscepta pænitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen et minutis decedunt, purgari post mortem et posse suffragiis Ecclesiæ adjuvari : nos, quia *locum purgationis hujusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus certo et proprio nomine* indicatum, illum quidem juxta traditiones et auctoritates sanctorum Patrum *purgatorium nominantes, volumus quod de caetero apud illos isto nomine appelletur.* Illo enim transitorio igne peccata utique, non tamen criminalia seu capitalia, quæ prius per pænitentiam non fuere remissa, sed parva et minuta purgantur : quæ post mortem etiam gravant, si in vita non fuerint relaxata[1]. »

Paulo post, anno scilicet 1267, cum de unione paciscenda inter Clementem papam IV et Michaelem Palaeologum actum est, Papa aliquam fidei professionem imperatori proposuit, in qua doctrina catholica de novissimis his concipiebatur verbis :

« Propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos, dicit et prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pænitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere pænitentes in caritate decesserint, antequam dignis pænitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et

1. *Innocenti IV epistola ad Ottonem cardinalem Tusculanum.* Mansi, *op. cit.*, t. xxiii, col. 581-582.

omissis, eorum animas pœnis purgatoriis seu catharteriis [1], sicut nobis frater Joannes explanavit, post mortem purgari : et ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, mox in cælum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus, puniendas. Eadem sacrosancta Ecclesia romana firmiter credit et firmiter asseverat, quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem [2]. »

Huic fidei professioni subscripserunt Michael Palæologus græcique præsules qui secundo concilio Lugdunensi (1274) interfuerunt. Neque tunc doctrinæ de purgatorio vel de novissimis in genere specialis respectus habitus est ; tota enim controversiæ vis, totus concertandi fervor circa processionem Spiritus Sancti conferebatur. Cæterum, si quæstionem de igne et ipsum *purgatorii* nomen excipias, doctrina eschatologica multorum Byzantinorum, cæteris contradicentibus, cum doctrina catholica quoad essentialia congruebat, ut ex infra dicendis apparebit.

Ab unione Lugdunensi disrupta usque ad concilium Florentinum, polemistæ antilatini de igne purgatorio necnon de tempore retributionis parum curarunt. Duo vel tres de hac materia tractatus vix citari possunt [3]. In concilio autem

1. In textu vulgato ab A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum*, Vindobonæ, 1872, p. 9, legitur : *penis purgatoriis, hoc est catharterii.* In versione græca vero ejusdem confessionis, prout ab Andronico Palaeologo anno 1277 subscripta est, habetur : ποιναῖς πουργατορίου ἤτοι καθαρτηρίου.. *Ibid.*, p. 47.

2. Denzinger-Bannwart, *Enchir. def.*, n. 464, p. 203.

3. *Opusculum de purgatorio igne* Angeli Panareti ; cf. t. I, hujus operis, p. 447-448 ; *Dissertatio* Manuelis Calecæ in l. IV *adversus Græcos, ibid.*,

Ferrariensi-Florentino, multum de utraque quæstione disceptatum est, donec tandem circa ipsam formulam in *Confessione fidei Michaelis Palaelogi* contentam, paucis tantum adjectis [1] vel verbotenus immutatis [2], consensus perfectus est. Post concilium, adversarii unionis, in suis dissertationibus polemicis contra Latinos, quæstiones de purgatorio et de sanctorum beatitudine, quæ ad *quinque differentias* (πέντε διαφοραί) pertinebant, communiter retinuerunt, et adhuc etiam retinent, si coævos Russos excipias, qui a programmate *theologiæ polemicæ* contra Catholicos, caput de sanctorum beatitudine expunxerunt, illud tantum, quod de purgatorio est, servantes [3].

p. 483 ; *Invectivæ in purgatorium* Symeonis Thessalonicensis, ubi doctrina catholica perperam exponitur, *P. G.*, t. CLV, col. 116-117 (*Dialogus contra haereses*, c. XXIII) ; col. 844 (*Resp.* IV *ad Gabrielem Pent.*). Polemistæ græci errorem Origenis de purgatorio igne damnatorum aliquando finem habituro generatim Latinis tribuunt. Ita, v. g., Panaretus in *Elencho* τῶν ἀτοπημάτων *Latinorum* : « XXVII. Καθαρτήριον πῦρ δοξάζουσι καὶ τέλος κολάσεως· ὅπερ ἐστὶν τῆς Ὠριγένους δόξης, ὃν καθεῖλεν ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ε' σύνοδος. » P. Risso, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli*, p. 88-89 (Excerptum ex *Roma e l'Oriente*, an. IV-VI). Ab hac falsa criminatione Latinos vindicat Scholarius in *Epistola ad Joannem Thessalonicensem de purgatorio* : « Γίνωσκε τοὺς Λατίνους οὐκ ἀποκατάστασίν τινα λέγειν τῶν ἐν ᾅδου κολαζομένων ψυχῶν μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν ἐν περιόδοις χρόνων τισί, πουργατόριον λέγοντας, ἀλλὰ πρὸ τῆς παρουσίας ἐκείνης κάθαρσίν τινα λέγειν τῶν συγγνωστῶν ἐν ταῖς τῶν ἀνθρώπων ψυχαῖς ῥύπων διὰ πυρὸς γινομένην· τοῦτο δὲ πολὺ διενήνοχε τοῦ προτέρου. » *Œuvres complètes*, t. I, p. 531-532 ; cf. p. 537-538.

1. Post : *in cælum recipi*, hæc verba, essentiam beatitudinis exprimentia, ex *Constit. Benedicti* XII (1336) adduntur : *et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius* ; quæ doctrinæ palamiticæ directe opponuntur. De aliis additionibus vel mutationibus, vide Cavallera, *Thesaurus doctrinæ catholicæ*, n. 1456, p. 711 ; cf. etiam infra, p. 85.

2. Quoad verba græca utrinque usurpata, multæ sunt variationes. Textus Florentinus græcitatem magis redolet.

3. Præcipui tractatus de purgatorio post concilium Florentinum conscripti notantur in t. I, hujus operis ; cf. p. 455 ; 456 ; 458 ; p. 464 (ubi falso asseritur Scholarium quatuor dissertationes de purgatorio scripsisse : duæ primæ enim et quarta non sunt nisi Marci Ephesii orationes ; sola *Epistola ad Joannem Thessalonicensem* ad Scholarium pertinet ; loquitur tamen Scholarius de purgatorio non solum in hac epistola, verum etiam in tertio et quarto tractatu de anima, ubi de sorte animarum post morten ex professo agit ; cf. *Œuvres complètes* de

Cæterum, nulla inter istos polemistas unquam exstitit consensio, sed opinionum maxima varietas deprehenditur, ut mox luculente patebit.

Totam hanc disquisitionem de Græcorum et Russorum doctrina circa statum animarum a corpore separatarum in septem partimur articulos, quorum tres primi erunt de duplici statu ab omnibus admisso, sanctorum videlicet et damnatorum; alii quatuor de statu medio inter statum sanctorum et statum damnatorum, quem multi dissidentes rejiciunt, multi admittunt; de quo haud pauci ambigue loquuntur. Circa statum electorum et damnatorum, quæstio controversa cum Catholicis et inter Græco-Russos ipsos refertur ad naturam retributionis, quæ post mortem et ante finale judicium fit : Ambigitur nempe utrum animæ electorum perfecta beatitudine jam fruantur, animæ vero damnatorum tormenta inferni jam sustineant, an vero hæ et illæ suam remunerationem adhuc exspectent, aut nonnisi inchoatam habeant. Cum autem quidam primam sententiam teneant, alii alteram propugnent, alii demum inter utramque dubii hæreant, aut saltem incerta et indeterminata proferant, nostri tres primi articuli ita ordinabuntur :

1º De theologis retributionem immediatam docentibus;

2º De theologis retributionem retardantibus, aut nonnisi inchoatam et imperfectam propugnantibus;

3º De theologis dubie de retributione loquentibus.

Quibus tribus quatuor alii de tertio statu hoc ordine hocceque titulo apponentur;

4º De theologis qui statum medium seu tertiam classem animarum admittunt;

5º De multiplici differentia existente inter communem doctrinam Catholicorum et doctrinam dissidentium statum tertium docentium circa minores de purgatorio quæstiones;

6º De iis qui statum tertium negant et liberationem ab inferno docent;

7º De iis qui circa tertium statum ambigua proferunt.

Georges Scholarios, t. I, Parisiis, 1928, p. 487, 488, 494, 500, 502, 503, 511, 513, 519, 535, 561, 568, 584. Alia quædam opera indicabuntur infra.

ARTICULUS I

De theologis retributionem immediatam docentibus.

I. — Prænotamina.

Secundum doctrinam catholicam a Benedicto papa XII, anno 1336, expressis verbis definitam, animæ sanctorum omnium, inde ab ascensione Domini nostri Jesu Christi in caelum, *statim post mortem*, vel post *perfectam earum purificationem — ergo ante resumptionem suorum corporum et judicium generale* — « fuerunt, sunt et erunt *in caelo, caelorum regno et paradiso cælesti cum Christo*, sanctorum angelorum consortio aggregatæ... *et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali...* sicque videntes eadem divina essentia perfruuntur, et ex tali visione et fruitione eorum animæ, qui jam decesserunt, *sunt veræ beatæ et habent vitam et requiem æternam;* et etiam [animæ] illorum, qui postea decedent, eamdem divinam videbunt essentiam *ipsaque perfruentur ante judicium generale...* Insuper, *secundum Dei ordinationem communem*, animæ decedentium *in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt*, ubi pœnis infernalibus cruciantur [1]. » His verbis duo definiuntur, scilicet : 1º retributionem *veram* tam pro justis quam pro peccatoribus fieri *statim post mortem* (vel, pro quibusdam justis : *statim post debitam temporalem purificationem*), ita ut animæ justæ sint *vere in caelo et paradiso caelesti cum Christo beatae*, *vitamque et requiem æternam habeant a Deo promissam;* animæ vero peccatorum, *secundum communem Dei ordinationem*, *statim item post mortem ad infernum descendere pœnisque infernalibus vere cruciari*; 2º beatitudinem animarum sanctarum in *visione intuitiva et faciali divinæ essentiæ essentialiter consistere*. De hac secunda quæstione non erit sermo in præsenti articulo et duobus sequentibus, sed tantummodo de prima, id est de *vera retributione*, quæ fit tam pro justis quam pro peccatoribus *post mortem statim.*

Ante schisma byzantinum consummatum, nulla data fuit

1. Denzinger, *op. cit.*, n. 530-531, p. 216-217.

ab Ecclesia solennis definitio de tempore *veræ retributionis*, concedendum vero est quosdam antiquos Patres vel revera docuisse, vel *docere visos fuisse* [1] dilationem remunerationis usque ad judicium universale. Sed multo communior erat sententia quæ nunc est ipsa doctrina catholica definita. Cæterum, in hac quæstione ad diversos loquendi modos doctorum et theologorum diligenter attendendum est. Controversia inter Græcos et Latinos de animarum sanctarum beatitudine his verbis plerumque proposita est : *Beatitudo justorum estne perfecta an imperfecta ante communem resurrectionem ?* Haec propositio ambiguitate non vacat, et erroribus *logomachiisque* ansam facile præbere potest. Beatitudo enim justorum ante judicium universale est *imperfecta sub aliquo respectu,* quem nemo negare potest, quatenus videlicet *sola anima,* et *non totus homo,* beatitudinem participat. Hanc beatitudinis imperfectionem theologi catholici utique admittunt. Præterea quidam ex eis — inter quos ipse Benedictus XII computandus est [2] — opinantur ipsam beatitudinem animæ justæ, *qua anima est*, esse imperfectam, quatenus post resurrectionem, *beatitudo ipsius animæ augebitur et intensior fiet.* Hæc sententia, quanquam a plerisque nostrorum rejicitur, libere tamen inter ipsos agitatur; cui adhærent, ut videbimus, quidam ex Orientalibus. Beatitudo demum justorum dicetur imperfecta, si eis, ante judicium universale, non concesseris nisi meram futurorum bonorum exspectationem lætitiamque ex ea provenientem; vel aliquem prægustum quamdamve promulsidem æternæ felicitatis in paradiso terrestri aliove loco qui non sit verum caelum verumque caelorum regnum, ita ut anima sancta bonis a Deo promissis nondum *vere* fruatur, neque dici possit *vere beata* veramque vitam æternam habens, quæ in visione Dei consistit. *Hæc sane beatitudinis imperfectio dogmati catholico omnino adversatur*; quam multi Græco-Russi temporum decursu propugnaverunt et adhuc docent. Sed exstiterunt etiam inter ipsos sem-

1. De doctrina Patrum circa tempus retributionis vide articulum: *Benoît XII et sa Constitution*, a X. Le Bachelet conscriptum, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, col. 657-696.

2. *Ibid.*, col. 670, 686.

per haud pauci qui cum Catholicis omnino consenserunt, asserentes animas justas in caelo paradisoque cælesti æterna felicitate gaudere Deumque trinum et unum non amplius in ænigmate sed facie ad faciem contemplari; earum vero beatitudinem in hoc tantum dici posse imperfectam, quod corpus nondum animæ felicitati societur, vel, ad summum, quod post judicium universale ipsius animæ beatitudo aliquantum sit augenda.

Quod de perfectione vel imperfectione beatitudinis justorum affirmatur et discernitur, idem, servatis servandis, de retributione damnatorum tenendum est. Si dices damnatos, ante finale judicium, *pœnis infernalibus nondum vere cruciari,* doctrinæ catholicæ *definitæ* certe contraibis; non ita vero, si simpliciter contenderis animas damnatorum *pœna damni* seu Dei privatione nunc quidem vere torqueri, hanc autem pœnam post resurrectionem *acerbiorem* factum iri; item, nostro judicio, non ita, si easdem, ante judicium, *pœna ignis eximeris*, quia definitum non est : 1° pœnam ignis, *quatenus a pœna damni distinguitur*, ad *essentiam remunerationis* peccatorum pertinere; 2° hanc pœnam statim post mortem a Deo infligi [1]. Certe autem doctrinæ catholicæ adversaberis, si opinaberis : 1° animas damnatorum ad inferna non descendere, sed in alio loco debitam retributionem adhuc exspectare; atque eum tantum experiri dolorem et cruciatum, qui ex comminatione ac horrore futurorum suppliciorum oriatur; et 2° Dei privationem, quanquam hanc nunc revera subeunt, *veram pœnam, quam damni vocant*, eisdem nondum afferre.

Jam vero in præsenti articulo de Græco-Russis catholice sentientibus circa retributionem quæ statim post mortem tum pro justis tum pro damnatis fit, acturi sumus; quorum nomina et verba antequam referamus, quædam de doctrina in libris liturgicis Græcorum de argumento proposito contenta præmittere utile ducimus.

1. Immo, ut notum est, de natura ignis infernalis nullam hactenus habemus Ecclesiæ definitionem.

II. — Librorum liturgicorum Græcorum doctrina de retributione.

Infitiari nemo potest Ecclesiæ græco-russicæ libros liturgicos continere multos textus, quibus diserte asseritur animas sanctorum jam nunc visione Dei frui in caelo, animas vero peccatorum inferni pœnas, *igne non excepto*, jam subire. En primum quædam de sanctorum beatitudine testimonia :

« Recordare nostri, pater Basili, *consubstantiali Trinitati assistens* [1]. — Et nunc in cælis, speculis effractis, Antoni, *pure sanctam inspicis Trinitatem, eique sine medio uniris* [2]; — Nunc, [o Paule], non in ænigmate neque in speculo Christus a te conspicitur; *immo facie ad faciem aspicitur, integram tibi divinitatis gloriam detegens;* — Nunc non in ænigmate, Pater, non in speculo aspicis lucem numinis omnium principii, facie ad faciem sapientissime, qui et splendoris et *visionis divinæ dignus effectus es* [3]; — Caeleste regnum concupivisti, *quo nunc*, beatissime, *vere frueris*; — Non in ænigmate gloriam, quam a puero concupivisti, vides, beate Eutychi, *imo facie ad faciem nunc, solutis carnis speculis*, pater noster, etc., [4]. »

Non minus diserte in iisdem libris pœnæ, quas in inferno tolerant animæ peccatorum, memorantur: a quibus ut animæ eorum, qui in fide mortui sunt, liberentur, orat Ecclesia in hunc modum :

« Ab *igne*, qui semper ardet et a densissimis tenebris, a dentium stridore et a verme sine fine puniente, ab omnique supplicio, erue, Salvator noster, omnes qui in fide mortui sunt [5]. — Salva, Christe, salva animas... easque a gehenna et

1. « Παρεστῶς τῇ Τριάδι τῇ ὁμοουσίῳ. »
2. « Καὶ νῦν ἐν οὐρανοῖς, τῶν ἐσόπτρων λυθέντων, 'Αντώνιε, καθαρῶς ἐποπτεύεις τὴν ἁγίαν Τριάδα, ἐντυγχάνων ἀμέσως. »
3. « Τῆς ὑπὲρ νοῦν λαμπρότητος καὶ θεοπτίας ἀξιούμενος. »
4. Præcedentes locos et alios multo plures in unum collectos invenies apud Josephum Methonensem, *Apologia pro concilio Florentino*, c. IV, *P. G.*, t. CLIX, col. 1285-1292; cf. etiam Nilles, *Kalendarium utriusque Ecclesiæ*, t. II, p. 25-29, et *Euchologium Cræcorum*, ad *Officium sepulturæ*.
5. « Πυρὸς ἀεὶ φλέγοντος, καὶ ἐκ σκότους ἀφεγγοῦς, βρυγμοῦ ὀδόντων καὶ σκώγηκος ἀλήκτως κολάζοντος, καὶ πάσης τιμωρίας ῥῦσαι, Σωτὴρ ἡμῶν, πάντας τοὺς θανόντας πιστῶς. » *Officium sabbati* τῆς ἀπόκρεω (sabatti ante Dominicam Sexagesimæ), *ad Laudes, ode quinta.*

tormentorum acerbitate libera [1] — Terribilis est finis, qui cum morte venit, et tremendum Domini judicium; illic enim præparatus est *ignis inextinguibilis*, vermis indesinenter crucians; tenebræ exteriores adsunt et æterna damnatio: ideo ad Salvatorem clamamus [2]. »

Jure quidem theologi catholici hos et his similes textus, quos ex libris liturgicis colligere in promptu est, theologis dissidentibus dilationem retributionis docentibus objecerunt; verum forsan non satis animadverterunt eosdem libros suis adversariis arma etiam præbere posse; non enim in eis desunt textus, quibus remunerationum divinarum dilatio usque ad judicium universale affirmari videatur; neque omnes hujusmodi textus interpretationem benignam tolerare possunt. Et hoc quidem admirationem nostram non adeo excitare debet. Cum enim in Ecclesia græca circa retributionem duæ semper exstiterint oppositæ sententiæ, quid novum si libris liturgicis, qui temporum decursu non unam interpolationem vel additionem accepere, hujus dualismi aliqua vestigia irrepserunt ? Ita in *Synaxariis*, quibus sæculo XIV Nicephorus Callistus Xanthopullus *Triodion* ditavit, expresse legitur neque justos neque peccatores suorum operum remunerationem recipere ante judicium finale : « Scire oportet, ait Nicephorus, animas justorum nunc inveniri in quibusdam statis locis; animas item peccatorum sua propria habitacula habere. Illæ quidem gaudio, quod ex spe est, fruuntur; hæ vero tormenta futura cum amaritudine recogitant. Sancti namque bona promissa nondum receperunt, secundum illud divi Apostoli : *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur* (Heb., XI, 40) [3]. »

1. « Σῶσον... ψυχὰς... καὶ ῥῦσαι τῆς γεέννης καὶ πικρίας βασάνων. » *Officium Sabbati animarum* (ψυχοσάββατον, in vigilia Pentecostes) *ad Laudes, ode octava.*
2. « Φοβερὸν τὸ τέλος τὸ τοῦ θανάτου, καὶ φρικτὴ ἡ κρίσις ἡ τοῦ δεσπότου· τὸ πῦρ γὰρ τὸ ἄσβεστον ηὐτρέπισται ἐκεῖσε· σκώληξ ἀκοίμητος κολάζων, καὶ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, σκότος ἐξώτερον ὑπάρχει καὶ αἰωνία δίκη· διὸ κράξωμεν πρὸς τὸν Σωτῆρα. » *Ibid.*, *Sticherum* προσόμοιον α'.
3. Οἱ μὲν τῇ ἐλπίδι χαίροντες· οἱ δὲ τῇ τῶν δεινῶν προσδοκίᾳ λυπούμενοι. Hic locus in *Triodiis* græcis nostri termporis adhuc legitur. Synaxaria Nicephori ab editione librorum liturgicorum S. C. Propagandæ Fidei remota sunt.

In officiis item liturgicis, judicii universalis frequens mentio, judicii particularis rara occurrit, ita ut in pluribus locis, quos dilationis sectatores ad se facile trahere possunt, remuneratio usque ad diem ultimum proferri videatur. Sic in *Oratione pro agonizantibus*, haec verba in ore defuncti ponuntur : « In inferno non est Domini memoria; sed tenebris horrendis involutus *sedeo, omnium mortalium resurrectionem exspectans; judicio, examinatus, in ignem projiciar* [1]. » *In Officio sepulturæ monachorum* exstat troparium ita sonans : « Qui a principio mortui sunt omnes cum timore tuo adstant, Salvator, tremendo tribunali, *justam sententiam tuam opperientes.* Illo tempore, Domine, mox ad te in fide profecto parce, eique æternae beatitudinis delicias largiri digneris[2]. »

Equidem hæc in bono sensu accipi posse non negamus; ne mireris tamen quod remunerationis dilatores ad eadem contra te vicissim recurrant.

III. — Retributionis immediatæ sectatores qui ante concilium Florentinum fuerunt.

Inde a Photii ævo ad nostra usque tempora, nunquam, ut jam diximus, inter Græco-Russos defuerunt qui retributionem immediatam explicite docuerint; quorum testimonia si in unum colligere velles, permagnum volumen non ægre concinnares. Ex his quædam tantum proferre nobis satis erit; quæ in singulis sæculis, quantum fieri poterit, seligemus, ut traditionis orientalis de hoc capite continuitas clare patescat. Hujusmodi autem testimonia in documentis hagiographicis et sanctorum encomiis potissimum abundant, dum textus remunerationis dilationi faventes apud exegetas et dogmatistas necnon apud operum patristicorum studiosos frequentius occurrunt. Cæterum non raro accidit, ut unus idemque auctor utramque sententiam vicissim amplectatur [3].

Pro sæculis IX et X doctrinæ catholicæ testes sunt : 1° Naucratius, Studitarum monasterii post sanctum Theodorum Studitam hegumenus, qui in *Encyclica de obitu ejusdem Theodori* hæc habet : « Neque, si volumus, nos dereliquit [Theodorus]... *prius per speculum in ænigmate, nunc autem facie ad faciem purius splendidiusque* Deo servit ac ministrat [1]; 2° Leo Sapiens imperator, qui in quadam *Oratione in sanctum Demetrium* gloriam martyris ita depingit : « Hac ratione martyr, testaceorum velaminum impedimentis disruptis, ad immateriales stationes avolavit, *ibique absolute votorum compos factus est. Vidit pure quem in ænigmatibus videns immorari non sustinebat... Hæres factus est gloriæ, ob quam humanam gloriam nihili fecerat*; annumeratus est cum angelis, quorum institutum æmulatus fuerat [2] » — Et in *Oratione in omnes sanctos* : « Loco conflictationis cum fame et siti proponitur vobis mensa *ejusmodi ferens bona, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt* [3] »; 3° Nicetas Paphlago in *Encomio in sanctam Theclam* [4]; 4° *Menologium Basilii II* imperatoris (963-1025), passim [5]; 5° Arethas Cæsariensis, qui in *Epitaphio in Euthymium patriarcham*, de sancto viro hæc dicit : « Surrexit ad rem desideratam egregius amator. Migravit ad agonothetam cursor.... Pulchritudinem eorum, quorum causa certavit, contemplatur; præmia jam ab omnipotenti dextra obtinet, fruique æterna beatitudine jam incepit. Quocirca exsultare ac lætari oportet, *quod cælestibus ille potitur præmiis*, quod lacrymarum suarum sementis, quam flens sparsit in terram, nunc gaudens manipulos colligit ac beatus triumphat [6] ». Nota tamen hunc Aretham, ubi Apocalypsim

1. « Σκότει δεινῶς καλυπτόμενος, κάθημαι περιμένων τὴν ἐξανάστασιν πάντων τῶν βροτῶν· ἀνακριθεὶς, εἰς πῦρ βληθήσομαι. » *Euchologion*, ed. Venet, 1851, p. 391.

2. « Οἱ ἀπ' αἰῶνος νεκροὶ ψῆφον ἀναμένουσι τὴν σὴν δικαίαν. »

3. Non pauca congessit Allatius in suo opere *Contra Hottingerum*, Romæ, 1661, c. XI, p. 155-222. Vide etiam nostram dissertationem : *La doctrine des fins dernières dans l'Église gréco-russe*, III. *L'époque de la rétribution*, in *Échos d'Orient*, t. XVII (1914), p. 209-228, 402-421.

1. « Νῦν δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον καθαρωτέρως καὶ λαμπροτέρως τῷ Θεῷ λατρεύων. » *P. G.*, t. XCIX, col. 1833 c.

2. « Εκληρονόμησε δόξαν δι' ἣν τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀπέθετο δοξαν. » Allatius, *op. cit.*, p. 171.

3. Allatius, *ibid.*, p. 172.

4. *P. G.*, t. CV, col. 332.

5. *P. G.*, t. CXVII, col. 28, 266, 332, 334, etc.

6. « Ἐντρυφᾶν ἤδη τῆς ἐκεῖσε ἐνῆρκται μακαριότητος. Ἀνθ' ὧν ἔδει σκιρτᾶν, ὅτι τῶν ἐν οὐρανοῖς ἐπαπολαύει μισθῶν. » *Epitaphium in Euhymium*, 1, *P. O.*, t. XVI, p. 490.

commentatur, sententiam Andreæ Cæsariensis supra citatam[1] referre, et tanquam probabilem commendare[2].

Pro sæculo XI : 1º Michael Psellus, in *Tropariis in Simeonem Metaphrastem* : « Et nunc *una cum angelis habitans in cælo, Triadis lumen inextinctum cum gaudio conspicis*[3] »; 2º Joannes Mauropus, Euchaitarum metropolita, in *Canone octavo in sanctum Nicolaum* : « *Apertæ sunt tibi portæ cælorum*, et supernam Sion ingressus es.... et angelorum et archangelorum consors apparuisti... *Jam aspiciens expressius splendorem ter beatum et tribus hypostasibus consistentem*, et *splendoribus incorruptibilis deitatis divina participatione deificatus*, recordare eorum qui desiderio tui recordantur[4]. » Et in quodam *Canone in sanctum Gregorium Nazianzenum* dicit: *En jam immediate vides, Gregori, principem Trinitatem*[5]; 3º Philippus Solitarius docet quidem animas sanctorum esse vere beatas cum Deo et Christo in cælo et paradiso *cælesti* (non terrestri, ut quidam aiebant), Deum contemplari, habere bona, *quæ neque oculus vidit, neque auris audivit*[6]; hanc tamen beatitudinem nimis deprimit ac minuit præ futura illa, quam sancti post resurrectionem consequentur : « Nunc, inquit, pars modica gloriæ illius universæ, aut pignus potius quoddam conceditur; unde tanquam ex ungue leonem conjicias; gloriæ, inquam, quam justi sunt adepturi, quando, ut docuimus, in gloria judicatum venerit... In caelis nunc quidem [animæ justorum] perfecte habitant, Creatorique assistentes, eum contemplantur et gaudent. Sed cum tandem corpus quoque in resurrectione illa omnium communi receperint, tunc etiam gratiæ gloriam et laborum præmia *plenissima* coronasque adipiscentur[7]. » Idem de sorte animarum damnatorum similem profert sententiam : Istæ ad inferna

1. P. 38.
2. *P. G.*, t. CVI, col. 596.
3. « Τριάδος φῶς τὸ ἀνέσπερον βλέπεις ἀγαλλόμενος. » Allatius, *op. cit.*, p. 192.
4. « Ἤδη καθορῶν τρανώτερον τὴν τρισολβίαν αἴγλην καὶ τρισυπόστατον. » *Ibid.*, p. 184-185.
5. « Ἰδοὺ ἀμέσως ὁρᾷς, Γρηγόριε, τὴν ἀρχικὴν Τριάδα. » *Ibid.*, p. 186,
6. *Dioptra*, l. II, c. IX; l. IV, c. XVI-XVII, *P. G.*, t. CXXVII, col. 773-774. 865-867.
7. *Ibid.*, l. IV, c. XVI, col. 866.

descendunt, ibique dolores et diros cruciatus tolerant, præsertim ex remorsu conscientiæ[1]; attamen, inde a descensu Christi ad inferos, non parvam tormentorum suorum mitigationem expertæ sunt; a tyrannide namque diaboli liberatæ sunt, quanquam in inferno adhuc manent, « quoad dies extremi et generalis judicii illucescat, et de omnibus justa sententia pronuntietur[2]. »

Sæculo XII, Nicolaus Methonensis, in *Vita Meletii Junioris:* « Hic sanctus, inquit, somno justorum obdormivit, et ad patres suos appositus est. Eorum virtutes imitatus, eorum felicitate jure potitus est... *Ex hoc nunc suorum pro virtute certaminum præmia recipit*[3]. » De eodem Meletio Theodorus Prodromus eadem fere asserit : « Sanctus jam pura mente radios ex Trinitate in se immissos immediate recipit eisque inclarescit[4]. »

Sæculo XIII, Græcos invenimus unioni Lugdunensi addictos, qui *Confessioni fidei Michaelis Palaeologi*, de qua supra, subscripserunt, animasque sanctorum *in cælum mox recipi*, animas vero peccatorum *mox in infernum descendere* professi sunt; quibus addi possunt : 1º Nicetas Acominatus, qui in *Thesauro Orthodoxiæ* hæc habet : « Quæcunque animæ puras se integrasque conservaverunt, nec creatoris Patris ullo sunt oblitæ modo, imo assiduis in eum meditationibus ejus exemplar in imagine illæsum custodierunt, illæ, inquam, *grata illa requie fruuntur*, quæ supra totius mundi fastigium beatis parata est, eisque aulæ cælestis, prati et paradisi loco, sublimis ordo eorum quæ sunt, divinorumque bonorum participatio proponitur[5]; » 2º Nicetæ frater, Michael Acominatus,

1. *Ibid.*, l. II, c. I, col. 797.
2. *Ibid.*, l. II, c. IX, col. 774; c. XI, col. 780 : « Si animas adhuc in inferno manere audis, scito neutiquam tormenta sustinere ut prius, nec etiam vinculis teneri ferreis, utpote a tyrannide vindicatas. »
3. *Vitæ Meletii junioris a Nicolao Methonensi et Theodoro Prodromo conscriptæ*, a Vassilievskii in *Sbornik Societatis imper. Palæstinæ*, fasc. XVII editæ, Petropoli, 1886, p. 37.
4. *Ibid.*, p. 67.
5. « Ὑπερκοσμίους τὰς λήξεις λαγχάνουσιν· ἔστι δὲ αὐταῖς αὐλὴ καὶ λειμὼν καὶ παράδεισος ἡ ὑπερφυὴς τάξις τῶν ὄντων, καὶ ἡ τῶν θείων ἀγαθῶν ἀποκλήρωσις. » *Thesaurus orthodoxiæ*, l. II, c. LXXVIII; cf. Allatium, *op. cit.*, p. 197.

qui in *Oratione funebri in suum fratrem*, de ipso dicit : « Nicetas ad amicos suos, sanctos videlicet, evolavit ; in æterna tabernacula, ubi habitant ipsi, ingressus est. *Ibi infinita felicitate satiatur*, et pro nobis libere intercedit [1]. » Et in alio *Epitaphio in eumdem* : « Christus Nicetam prope seipsum collocavit, suique regni cohæredem, sui epuli convivam effecit [2]. »

Sæculo xiv, doctrinæ catholicæ clarissimos testes habemus Nicephorum Gregoram, Nicolaum Cabasilam, Philotheum Kokkinum patriarcham, Theophanem Nicænum. Nicephorus Gregoras imperatricem Theophanonem, cujus vitam conscripsit, his verbis alloquitur : « Nunc non veluti in speculis et ænigmatibus Christum sponsum, cujus amore flagrabas, intueris, sed immediate et pure cum eo conversaris [3]. » Nicolaus Cabasilas, in *Expositione sacræ Liturgiæ*, errorem refutat eorum, qui contendebant Ecclesiam vere orare pro sanctis et pro eis quædam a Deo postulare, quæ ipsis deessent, his missæ græcæ decepti verbis : *Præterea offerimus tibi rationabilem hunc cultum pro iis qui in fide requieverunt proavis, patriarchis, prophetis, apostolis.... præcipue pro sanctissima, intemerata, gloriosa domina nostra Deipara et semper virgine Maria*, etc. :

« Si pro sanctis, inquit, orat Ecclesia, illa omnino oraverit, quæ semper orare consuevit. Quænam antem sunt quæ orantur iis qui dormierunt ? Remissio peccatorum, regni hæreditas, quies in sinu Abrahæ cum consummatis sanctis (μετὰ τῶν τετελειωμένων ἁγίων). Hæc sunt oratio Ecclesiae. Præter hæc, nihil eam orantem inveneris iis qui emigrarunt. Ergo orabunt quidem iis qui rei non sunt, tanquam adhuc reis et obligatis, remissionem peccatorum; orabunt cum sanctis requiem iis qui sancti sunt tanquam non sanctificatis; *orabunt perfectis consummationem tanquam nondum consummatis*, et sic necesse est eos alterutrum peccare : Vel enim confitentes beatitudinem et perfectionem sanctorum, libentes

1. *Michaelis Acominati opera*, ed. Lampros, Athenis, 1879, t. I, p. 366.
2. *Ibid.*, p. 70.
3. « Νῦν γὰρ οὐχ ὡς ἐν ἐσόπτροις, οὐδ' ὡς ἐν αἰνίγμασι βλέπεις, ὃν ἐπόθεις, νυμφίον Χριστόν, ἀλλ' ἀμέσως καὶ καθαρῶς ἐντυγχάνεις αὐτῷ. » Allatius *ibid.*, p. 205.

volunt apud Deum nugari et inanem pro eis orationem contexere : quod est virorum divina ludibrio habentium potius quam sacerdotum; vel serio facientes orationes, tanquam existimantes se sanctos per eas juvare, *eorum gloriam inficiantur, quod est blasphemare non ipsos tantum, sed etiam Deum ipsum, ut qui promissa non servaverit*, qui promisit se eos glorificaturum et regnum impertiturum [1]. »

Secundum doctum sacrorum commentatorem, hæc sanctorum commemoratio de sola gratiarum actione pro beneficiis a Deo sanctis, dum hic degerent, collatis interpretanda est : unde et incruenti sacrificii oblatio vocatur *eucharistia* [2]. Cæterum, non negat Cabasilas sanctos post resurrectionem quoddam suæ felicitatis augmentum adepturos : « Quibus gratiam accipere et conservare contigit, atque in gaudium Domini sui intrarunt, et cum Sponso in cubiculum nuptiale convenerunt et aliis perfruiti sunt in cœna deliciis, *non tunc ea adipiscentur, sed quod jam possibebant*, Christo manifestato, *liquidius sentient* [3]. »

Philotheus, Constantinopolis patriarcha, in *Encomio in tres hierarchas*, asserit eos nunc purius excelsiusque lumini magnæ Triadis oculos figere, et quæ inde manant illuminationes *immediate excipere, solutis tandem speculis* et simulacris [4]. In pluribus aliis sanctorum laudationibus similia profert [5].

Theophanes Nicaenus item, in diversis *Encomiis et orationibus panegyricis in sanctos*, *Dei visionem et vitæ æternæ præmia* animabus sanctis ante judicium universale tribuit [6].

Initio sæculi xv et instante jam concilio Florentino, nobis occurrunt Manuel Palaeologus imperator, ejusque amicus Demetrius Chrysoloras. Manuel dolorem de morte fratris

1. *Expositio liturgiæ*, c. XLIX, *P. G.*, t. CL, col. 473-476.
2. « Διὰ ταυτὴν τὴν ὑπὲρ τῶν ἁγίων εὐχαριστίαν, ἡ αὐτὴ τελετὴ εὐχαριστία καλεῖται. » *Ibid.*, col. 481; cf. quæ dicuntur infra de oratione pro sanctis, p. 170 sq.
3. « Ὃ κομίζοντες ἦλθον, τούτου διαδειχθέντος, καθαρώτερον αἰσθανόμενοι. » *De vita in Christo*, l. IV. *in fine*, *P. G.*, *ibid.*, col. 625.
4. « Τὰς ἐκεῖθεν ἐλλάμψεις ἀμέσως δεχόμενοι, τῶν ἐσόπτρων λυθέντων καὶ τῶν ἐμφάσεων. » Allatius, *De Purgatorio*, Romæ, 1655, p. 770-771.
5. Allatius, *Contra Hottingerum*, p. 217.
6. Allatius, *ibid.*, p. 187-191.

Theodori mulcet, cogitando defunctum «jam Christo Salvatori et Ecclesiæ capiti tanquam cohæredem uniri [1]. » Demetrius vero asserit patronum suum, sanctum martyrem Demetrium, terrenæ felicitatis contemptu « totum invenisse regnum verum et nullo termino circumscriptum [2]. »

Marcus Ephesius ipse, qui mox in synodo Florentina sententiam de dilatione beatitudinis contra Latinos acerrime propugnavit, in *Laudatione sancti Eliæ prophetæ* ad Cretenses missa, doctrinam catholicam docere videtur. Scribit enim :

« Ego vero quod ei (= Eliæ) veluti sanctorum animabus, quotiescumque voluerit, ad tempus alibi morari liceat, et in æde dicata versari et ad deprecantes passim commeare, necessarium et verum esse existimo. At non ideo eum cælo carere dixerim, aut non una cum splendoribus angelorum Domini throno assidere. Nam aliis inferior esset qui fere super omnes eminebat si, quod carne induitur, eorum societate et Dei ad faciem visione, qua per omne vitæ tempus in primis potitus est, spoliaretur [3]. »

IV. — Retributionis immediatæ testes inde a concilio Florentino.

Quæstio de retributione post mortem in concilio Ferrariensi-Florentino agitata est, et dissensio quæ inter Græcos de hoc capite vigebat, palam manifestata, donec ipsi collatis inter se sententiis, doctrinæ catholicæ, paucis exceptis, tandem adhæserunt; quod primum Ferraræ, die 17 julii, anno 1438, iterum Florentiæ, die 9 junii anni 1439, contigit. Hæc enim legimus in narratione Dorothei Mytilenensis de concilio :

« Die mensis julii 16,...imperatoris mandato convenerunt omnes antistites in patriarchæ ædes,...collatisque ad deliberationem sententiis, studiose exquisierunt : *Sancti perfectam beatitudinem sint consecuti, an non sint.* Qua de re multis sanctorum scriptis recitatis, imperator jussit, ut suam quisque sententiam scriberet. Et quidam putabant sanctos beatitudinem nondum esse assecutos, quemadmodum velit Apostolus : *Et hi omnes testimonio fidei probati*, etc. (Heb., XI, 39). Alii dicebant sanctorum animas bona esse jam adeptas, et perfectam coronam habere in cælis, et nulla re interposita Trinitati assistere. Nonnulli sic statuebant : animas esse in loco quietis, videre autem et lætari paululum. Quam suam quisque confessionem ac sententiam imperatori scriptam dederunt. Et multa inquirentes eadem repetebant a mane usque ad horam diei sextam. *Multa erat de hac re controversia.* In fine, imperatori placuit ut postridie redirent et de eadem re agerent. Convenerunt itaque iterum die 17 julii, multumque iisdem de rebus disseruerunt; et statuerunt : *sanctos et consecutos, et non consecutos esse bona aeterna*; hoc est : *animas quidem, ut animas, ad perfectam beatitudinem pervenisse*; *in resurrectione tamen perfectionem esse consecuturas cum propriis corporibus* ac fore ut fulgeant ut sol, vel ut ea lux, qua in monte Thabor Dominus noster Jesus Christus resplenduit [1]. »

Eadem fere in sessione vigesima quinta, die 9 junii 1439, repetita sunt : *Sanctorum animæ, quatenus animæ sunt, perfectam in cælis acceperunt coronam, et animæ peccatorum perfectum supplicium* [2]. Ad hanc communem sententiam, cui tamen Marcus Ephesius reclamavit, privatis suis colloquiis et disputationibus sponte devenerunt græci præsules; verum huic unanimitati, post concilium et unionis destructionem, non diu steterunt theologi dissidentes, et in diversas, sicut prius, de sanctorum beatitudine sententias rursus abierunt. Doctrina catholica suos semper habuit propugnatores non solum inter unionistas, ex quibus statim post concilium claruerunt Gregorius Mammas et Josephus Methonensis, verum etiam inter dissidentes, et hoc ad nostrum usque

1. *Theodori despotæ laudatio funebris, P. G.*, t. CLVI, col. 301.
2. Ὅλην εὗρε τὴν βασιλείαν καὶ πέρας οὐκ ἔχουσαν. Allatius, *op. cit.*, p. 210.
3. « Ἦ γὰρ ἂν ἔλαττον εἶχεν ὁ ὑπὲρ πάντας σχεδόν, εἴγε διὰ τὸ τὴν σάρκα φορεῖν ἀφεστήκει τῆς μετ' αὐτῶν κοινωνίας καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ πρὸς πρόσωπον θεωρίας. » *In cod. Barocciano Oxoniensi 145*, f. 107; cf. Allatium, *De Purgatorio*, p. 785. Vide tamen quæ de Marci sententia infra adduntur, p. 70 sq.

1. *Sanctum Florentinum universæ Ecclesiæ concilium editum a monacho Benedictino*, ed. latina, Romæ, 1865, p. 16-17; Mansi, *op. cit.*, t. XXXI, col. 491.
2. *Ibid.*, p. 255.

ævum perduravit. Non multo post concilium, Georgius Scholarius, quanquam Ephesii amicissimus et unionis acerrimus adversarius, definitioni Florentinæ circa beatitudinem sanctorum necnon supplicium peccatorum post mortem aperte adhæret, ut patet ex hoc loco ejus *Epistolæ ad quemdam Joannem Thessalonicensem* :

« Ecclesia nostra, sicut et Romana, cælestem requiem animabus beatorum, qui cum perfecta charitate corpora reliquerunt, statim attribuit; animabus vero peccatorum inferni supplicia decernit, non obstante illo effato apostolico ubi dicitur : « *Quod repromissionem non acceperunt, ut non sine nobis consummarentur* (Hebr., xi, 38-40). Hoc enim non retardationem significat præmiorum vel tormentorum animabus in seipsis consideratis debitorum, sed retributionis dilationem debitæ corpori, quod, secundum Domini promissum, tunc resurget, ut sive bonorum animæ particeps sit, sive cum illa æterna supplicia sustineat; quandoquidem hominis perfectio in anima et corpore simul consistit; et non per accidens, sed per se et essentialiter hæc duo in homine uniuntur; per accidens vero ab invicem separantur, homine pœnam originalis peccati luente in morte, quæ est partium essentialium hominis dissociatio. Tunc autem quod est per accidens cessabit, et quod est per se redibit homini. Donec autem homo est anima tantum, corpore nondum resuscitato, natura imperfectus est; ergo et imperfecte beatus est. Hoc autem beatitudinis augmentum secundus Christi adventus hominibus afferet, et tunc consummabuntur, quippe qui sola nunc animæ beatitudine perfruuntur, tunc vero et beatitudine corporis donabuntur; oportet siquidem et carne ipsa gaudere [1]. »

1. « Ταῖς μὲν τῶν ψυχῶν τὴν οὐράνιον ἀποδίδωσι λῆξιν εὐθύς· δηλονότι ταῖς μακαρίαις καὶ σὺν ἀγάπῃ τελείᾳ τὰ σώματα ἀπολειπούσαις· ταῖς δὲ τὰς ἐν τῷ ᾅδῃ κολάσεις, ἀπονέμει, μὴ προσισταμένου τοῦ ἀποστολικοῦ ἐκείνου λογίου τοῦ μὴ κομίσασθαι τὴν ἐπαγγελίαν, ἵνα μὴ χωρίς ἡμῶν τελειωθῶσι· τοῦτο γὰρ οὐ τὴν ἀναβολὴν σημαίνει τῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς ὀφειλομένων ἄθλων ἢ ποινῶν καθ'αὑτάς, ἀλλὰ τῶν τῷ σώματι ὀφειλομένων... Ἕως ἂν ἔτι ψυχὴ μόνον ὁ ἄνθρωπος ᾖ, μήπω τοῦ σώματος ἀναστάντος, ἀτελής ἐστι κατὰ τὴν φύσιν· οὐκοῦν καὶ ἀτελῶς ἐστι μακάριος. » *Epistola ad Joannem Thessalonicensem. Œuvres complètes*, t. i, p. 535; cf. etiam *Tratactum quartum de anima, ibid.*, p. 522, ubi expresse retractat illam de animarum sanctarum beatitudine mere naturali ante judicium universale sententiam, quam aliquando tenuit : « Ψυχῶν μὲν δὴ τῶν ἀπαλλαττομένων τοῦδε τοῦ σώματος ἡ μὲν οὐθὲν ἐπιφερομένη κώλυμα πρὸς τὴν ἐν οὐρανοῖς φυσικῶς τε ἅμα καὶ ὑπερφυῶς διαδεχομένην τὰς τοιαύτας ζωὴν αὐτίκα ἐκεῖ ἄνεισιν ». Et paulo post, p. 527 : « Ὁ μὲν γὰρ Παῦλος ἀποκεῖσθαί φησιν αὐτῷ τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον ἀποδοθησόμενον ἐκ τοῦ δικαίου κριτοῦ ἐν ᾗ ἔδει μὲν αὐτὸν ἡμέρᾳ τὴν ἐπίγειον τοῦ σκήνους οἰκίαν καταλελυμένην ἀπολιπεῖν. »

Aliquando tamen Scholarius diversam de hoc capite tenuit sententiam. In *Tertio* enim *tractatu de anima* docuit sanctorum animas in cælo cum Christo nonnisi beatitudine *naturali* gaudere ante communem resurrectionem, de qua opinione infra dicetur [1].

Sæculo xvi, Manuel Corinthius, Rhetor dictus, et Gabriel Severus eodem fere modo, quo Scholarius, de retributione loquuntur. Audiatur primus :

« Animæ, quæ recte et ut Deo complacuit, vitam egerunt, et ad perfectam purgationem pervenerunt.... cum a corporis vilitate separatæ fuerint, statim a pellucidis angelis in cælum deferuntur, uti Paulus insinuat : *Scimus quod si terrenum nostrum domicilium hujus tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo habemus non manufactam in cælis.* (II Corinth., v, 1). Per illud : *non manufactam*, intellectuale (τὸ νοερὸν) illius vitæ et stationis insinuans; per illud : *habemus*, illico et sine mora atque immediate, postquam ex hac vita quis excesserit, indicans. Neque hoc affirmat post communem mortuorum resurrectionem. Namque post resurrectionem, ait: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die* (II Timoth., iv, 8), cum corpus nempe resurrexerit, ut una simul cum duobus divinam ac beatam illam felicitatem consequatur, cum corpore scilicet quocum decertavit. Et hoc quidem de animabus perfectis sanctorum, eas scilicet in cælum ascendere, divinæ illuminationis immediate factæ participes [2]. »

Non minus diserta sunt verba Gabrielis Severi, Orthodoxiæ orientalis luminis, sæculo xvi :

« Hæc, inquit, de hac quæstione sentio. Sanctorum ac

1. Vide p. 74.

2. « Καὶ τοῦτο μὲν περὶ τῶν τελείων ψυχῶν τῶν ἁγίων, ὅτι εἰς οὐρανὸν ἀνέρχονται ἀμέσως ἐντρυφῶσαι τῆς θείας ἐλλάμψεως. » Allatius, *op. cit.*, p. 772-774.

beatorum animæ, *qua animæ*, vident Dei felicitatem et gloriam, secundum illud Scripturæ : *Animæ sanctorum in manu Dei sunt...*; quatenus autem anima et corpus divina beatitudine aliquando perfecte fruentur, dico sanctos plenam felicitatem nondum habere; qua satientur, quando Christus omnem terram judicabit et reddet unicuique secundum opera ejus [1]. »

Sæculo XVII, doctrinæ catholicæ adhærent Cyrillus Lucaris in *Confessione fidei*, Petrus Moghila, Dositheus, in *Confessione fidei*, Gregorius hieromonachus Chiensis. Quidquid alibi dixerit [2], Cyrillus Lucaris, in capite XVIII suæ *Confessionis fidei*, retributionem immediatam aperte docet : « Credimus defunctorum animas esse vel in beatitudine vel in damnatione, prout quisque gesserit : migrantes enim ex corporibus illico ad Christum vel in infernum migrant, quia qualis unusquisque in morte invenitur, talis judicatur [3]. »

Confessio orthodoxa Petri Moghilæ, prout nunc legitur, dilationi remunerationis potius suffragratur, ut infra dicemus; aliunde tamen scimus ipsum Petrum ad doctrinam catholicam propensum fuisse. In synodo enim Kioviensi anni 1640, in qua hujusmodi confessio (seu catechismus) primum a theologis Malorussiæ examinata fuit, brevis controversia de tempore retributionis exorta est, ut olim inter Græcos in concilio Ferrariensi contingerat. Isaacus, Lutskii episcopus, contendebat animas sanctorum in paradisum terrestrem migrare; Petrus vero metropolita *eas in cælum ire declaravit*, quamvis illas *perfecta beatitudine* nondum frui concederet. Cum autem, disputatione habita, adhuc dissentirent, rem

1. « Ἐγὼ δ'ὅμως τοιαύτην γνώμην ἔχω περὶ ταύτης τῆς ὑποθέσεως, ὅτι αἱ τῶν ἁγίων καὶ μακαρίων ψυχαὶ βλέπουσι μέν, καθὸ ψυχαί, τὴν μακαριότητα καὶ δόξαν τοῦ Θεοῦ..... καθὸ δὲ μέλλουσι πάλιν ψυχὴ καὶ σῶμα νὰ λάβωσι τὴν τελείαν ἀπόλαυσιν τῆς θείας μακαριότητος, λέγω ὅτι οὔπω τελείως ἀπέλαυσαν οἱ ἅγιοι. » Περὶ τῶν πέντε διαφορῶν. Constantinopoli, 1627.

2. Vide supra, p. 20.

3. « Πιστεύομεν τὰς τῶν κεκοιμημένων ψυχὰς εἶναι ἢ ἐν μακαριότητι ἢ ἐν κατακρίσει, καθ'ὅ, τι ἕκαστος ἔπραξεν· ἐκδημοῦντας γὰρ ἀπὸ τῶν σωμάτων παραυτίκα ἢ πρὸς Χριστόν, ἢ πρὸς κατάκρισιν ἐκδημεῖν. » Kimmel, *op. cit.*, p. 37-38.

ad judicium patriarchæ œcumenici deferre statuerunt [1]; quod in collationibus anno 1642 Iasii habitis factum est.

Dositheus Hierosolymitanus, qui aliquando cuidam documento subscripsit, in quo beatitudinis retardatio expresse docebatur [2], in ipsa sua *Confessione fidei*, cap. VIII, catholice, omnino loquitur :

« Non solum, dum hic peregrinantur, profitemur sanctos esse nostros apud Deum mediatores et legatos, sed et post mortem maxime, quando sublatis speculis sanctissimam Trinitatem clare contemplantur, cujus infinitum lumen eorum menti revelat ea quæ nos spectant. Quemadmodum enim prophetas sensibile corpus gestantes ea scivisse, quæ in cælo fiunt, non dubitamus, unde et futura vaticinabantur; ita et angelos et angelis æquatos sanctos in infinito Dei lumine videre nostra non modo non ambigimus, verum etiam firmiter credimus et confitemur [3]. »

Hæc verba Dositheus, in secunda editione *Confessionis*, Bucarestii, anno 1690 facta, immutata reliquit. Cæterum, in capite XVIII ejusdem Confessionis docet « defunctorum animas aut in requie aut in pœnis esse, prout quisque gesserit, nondum tamen eis concessa integra beatitudine aut perfecta damnatione. Etenim post communem resurrectionem, quando anima unietur corpori, quocum aut bene gessit aut male, tunc beatitudinis ac pœnarum perfectam unusquisque vicem recipiet [4]. »

Gregorius Chiensis, Coressii alumnus, ad illam theologorum classem pertinet, qui, quamvis teneant sanctos jam vera in caelis beatitudine gaudere, opinantur tamen hanc beatitudinem, post resurrectionem, haud parum auctum iri; quod sane dogmati catholico definito non adversatur. En ejus verba in sua *Synopsi Ecclesiæ dogmatum*, ubi Symbolum exponit :

1. Vide infra, p. 75.

2. Cf. Sakovitch, *Descriptio synodi Kioviensis* (polonice), Varsaviæ, 1641, p. 176.

3. « Ἀλλὰ μετὰ θάνατον μάλιστα, ὅτε καὶ τῶν ἐσόπτρων λυθέντων καθαρῶς ἐποπτεύουσι τὴν ἁγίαν Τριάδα, τὸ ἅγιον ἐκείνης φῶς τούτων ἐν τῷ νῷ τίθησι τὰ ἡμέτερα. » Kimmel, p. 435.

4. *Ibid.*, p. 463.

« Vita æterna est una perfecta felicitas animæ et corporis, ab omni malo libera, et omni bono tum corporis tum animæ abundans. Et hæc felicitas vocatur beatitudo, quæ est speculatio et visio beatæ Triadis. Nam post uniuscujusque obitum accipiunt angeli animam nudam, et si justa est, eam in cælum transvehunt, et hoc firmamentum, quod empyreum ac cristallinum dicitur, pertranseunt, ut sanctus Anastasius dicit. Ibi reperiuntur et animæ justorum insimul cum sanctis angelis; et *qua animæ sunt*, Dei gloriam possident, et vident beatitudinem, ut insinuat Salomon : *Justorum animæ in manu Dei* (Sap., III, 1). Et hanc sancti nuncupant particularem laetitiam et fruitionem, ut tradit sanctus Athanasius et plerique alii sancti Patres tum orientales tum occidentales. *Quia vero et anima et corpus perfectam divinæ beatitudinis fruitionem participare debent, nondum perfecte receperunt divinam visionem*, ut dicit unus ex occidentalibus Patribus; et causa est quod unio et conjunctio, quam corpus habet cum anima naturalis est et essentialis; unde fieri potest, ut natura animæ non habeat absque corpore suo perfectam beatitudinem [1]. »

Sæculo XVIII, dum Græcorum major pars remunerationem usque ad judicium universale retardat, Kiovienses et Moscovitæ, quum illi qui veteri Orthodoxiæ addicti remanent, tum Theophanis Procopovitch alumni ad nostram partem consistunt. Inter primos eminet Stephanus Iavorskii, cujus *Petra fidei* integrum tractatum, sextum scilicet, habet *de animabus beatorum*, ubi diserte et copiose confutantur Lutheri et Calvini placita de dilatione remunerationum. Thesis a theologo Kioviensi propugnata hæc est : *Animæ sanctorum jam nunc in cælo manent, et gloria cælesti coronantur ante secundum Christi adventum. Christo autem adveniente, postquam animæ suis corporibus rursus fuerint unitæ, sancti plenitudinem felicitatis recipient et quantum ad animam et quantum ad corpus* [2]. Hæc probatur argumentis tum a sacra Scriptura

1. « Καθὸ μὲν ψυχαὶ ἔχουσι τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, καὶ βλέπουσι τὴν μακαριότητα... Καθὸ μέλλουσι πάλιν νὰ λάβωσι καὶ ψυχὴ καὶ σῶμα τὴν τελείαν ἀπόλαυσιν τῆς θείας μακαριότητος, ἀκόμη δὲν ἀπολαύουσι τελείως τὴν θεωρίαν. » Apud Allatium, *De Purgatorio*, p. 777-778.

2. *Kamen Viery*, ed. Mosq. 1843, t. II, p. 338.

tum a Patribus necnon a liturgia byzantina mutuatis. « Sancta Ecclesia catholica orientalis tota, ait Stephanus, in suis libris ecclesiasticis pie profitetur animas sanctorum in cælo esse.... Adversarii dicunt : « In cælo non sunt ante secundum Christi adventum. » Interrogamus : « Ubinam ergo ? » Diversa respondent. Quidam asserunt eas in paradiso terrestri manere; alii in sinu esse Abrahae, alii in manu Dei. Sunt qui eas sub altari cælesti tanquam in quodam carcere collocant. Alii eas dormire somniant, dum alii cum corpore eas commori volunt, ut postea cum eo resurgant [1]. » Hos omnes errores probe refellit, variasque adversariorum difficultates ac objectiones copiosa eruditione et scholastica sagacitate dissolvit. Tractatui finem imponit longum operis sancti Cypriani *De mortalitate* recitando locum, ubi hic Pater civitatem cælestem magnifice describit.

In secundo dimidio hujus sæculi, compendia theologiæ dogmaticæ ad mentem Theophanis redacta eamdem de retributione sententiam proferunt; ex quibus laudare satis sit *Ecclesiæ orientalis orthodoxa dogmata* Theophylacti Gorskii et Sylvestri Lebedinskii *Compendium theologiæ classicum*. In primo opere sequentia legimus :

« Animas beate defunctorum jam statim post mortem ad *statum beatitudinis* pervenire, animas autem impiorum ad *statum damnationis*. Cum enim animæ defunctorum facultatum illis propriarum usum retineant, adeoque et gaudii atque doloris sint capaces, fieri aliter nequit, quam ut pro diverso, in quo homines mortui sunt, statu, aut beatitudinem aut damnationem suam sentiant. Idque etiam Scriptura tum exemplo divitis istius atque Lazari, tum aliis testimoniis, quæ deinceps afferemus, confirmat. Eleganter hac de re Paulus loquitur, quando inquit : *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum* (II Corinth., V, 8). Duplex nimirum hic notatur fidelium *status* : prior, quo sunt præsentes in corpore, sed absentes a Domino, scilicet secundum animam, quæ quidem, qua fidem (sic) apud Dominum est, sed nondum qua visionem beatificam. Posterior autem est, quo sunt absentes a corpore, per mor-

1. *Kamen Viery*, ed. Mosq., 1843, p. 357, 359-360.

tem separatæ, et hactenus in statu imperfectiore, sed *tamen præsentes ad Dominum per visionem beatificam*. Ista autem animarum beatitudo complebitur totali perfectione, ea nimirum quæ illis, postquam cum corpore iterum unitæ fuerint, obtingat : quemadmodum et impiorum poena nondum perfecta est, quippe quam adhuc cum tremore exspectant (Hebr. x, 27). Nimirum, *manifestari nos prius oportet coram tribunali Christi*, ut quisque eorum quæ fecit in corpore etiam suo, retributionem accipiat (II Corinth., v, 10) [1]. »

Sylvester Lebedinskii hæc habet :

« Animarum perseveranter fidelium et a corpore separatarum *status est beatus in cælo*. Animarum infidelium a corpore solutarum *status est damnatus* in inferno. Uterque tamen status intelligendus est inchoativus, quia Deus sententiam executivam ultimam nonnisi consummato hoc sæculo exsequi decrevit. — *Initium plenariæ perceptionis ineffabilium horum bonorum* [cæli scilicet] *est hujus vitæ finis*, ratione animæ separatæ (Luc., xxiii, 43; Apoc., xiv, 13); at plenissima perceptio obtinget post animæ cum corpore redunitionem et ἐνθρονισμὸν illum solemnem (Math., xxv, 34-36) [2]. »

Post hæc, Sylvester præcipuas objectiones ex Scriptura petitas solvit, quas retributionis immediatæ adversarii urgere solent, scilicet : Apoc., vi, 9-11; II Timoth., iv, 8; Col., iii, 4; Heb., xi, 39-40; Ps., vi, 6: Ps. cxv, 17 [3].

Plerique theologi russi sæcul. xix et xx de statu animarum post mortem ambigue loquuntur : de quibus in tertio articulo hujus capitis pauca dicemus. Inter eos qui doctrinæ catholicæ sat aperte suffragantur, nominandus est Philaretus Gumilevskii, qui docet animas sanctorum gloria cælesti perfrui videreque Deum facie ad faciem, et eorum opinionem improbat, qui animas sanctorum mittunt in locum a cælo distinctum vel in regni cælorum vestibulum [4]. Insuper notandum est : 1º Philaretum Drozdov, in editione russica *Confessionis Dosithei* integrum servasse caput viii supra citatum; 2º Opus Javorskii *Kamen viery*, jussu Synodi Dirigentis, Mosquæ anno

1. Ed. Mosq., 1831, p. 289-290.
2. *Op. cit.*, p. 555, 570.
3. *Ibid.*, p. 581-583.
4. *Op. cit.*, t. ii, p. 283-284.

1843 fuisse editum; 3º In *programmate theologiæ polemicæ contra confessionem romano-catholicam*, unam tantum quæstionem controversam circa novissima notari, illam videlicet quæ de purgatorio est; de retributione vero sanctorum et peccatorum post mortem nihil dici.

Ad Græcos recentiores quod attinet, fatendum est illos vel dubia et incerta de præsenti quæstione proferre, ubi, v. g., generatim asserunt beatitudinem animarum sanctarum esse imperfectam; vel doctrinæ catholicæ sat aperte adversari, horumque antiquorum Byzantinorum sententiæ de dilatione remunerationis adhærere, de quibus nunc agendum.

ARTICULUS II

De theologis remunerationis dilationem propugnantibus, vel nonnisi retributionem inchoatam et omnino imperfectam docentibus.

I. — De dilationis assertoribus qui a Photio usque ad concilium Florentinum fuerunt.

Primus dilationis assertor sæculo ix nobis occurrens est ipse Photius, qui in quæst. vi et xv *ad Amphilochium*, verba Christi ad latronem : *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc., xxiii, 42) explicans, docet latronem non in cælum, sed in paradisum terrestrem receptum fuisse, regnum autem cælorum a paradiso terrestri multum differre; paradisum vero terrestrem dici posse quasi præludium arrhabonemque regni cælorum, quod nonnisi post judicium universale sanctis patebit :

« Quidnam revera esset regnum cælorum latro omnino ignorabat, dum hoc petebat..., sed boni alicujus beatæque voluptatis compotem se fieri postulavit. Jam vero, quia bonis cæteris notior ei erat paradisus..., idcirco paradisum illi Dominus spondet : neque aliud pro alio largitur, sed id omnino quod petenti erat concupitum. Is vero cupiebat, ut sui memoria haberetur in Christi regno, id est, ut bonis atque beatis annumeraretur; unde paradisi incolatu potitur, quem nostri auctores ante violatum præceptum sortiti fuerant.

Quod si quis paradisum latroni tanquam præludium arrhabonemque regni cælorum datum dicat, neque eum prædicto regno cariturum, ista quidem opinio rationi minime repugnat : *rem autem in communi omnium resurrectione ac judicio actæque vitæ remuneratione* accuratius cognoscemus [1]... *Cum autem tunc communi æternorum bonorum retributioni nondum esset locus, non erat æquum, ut ipse solus ex omnibus, qui ab initio chari gratique Deo fuerant, ad finem extremæ beatitudinis perveniret, et sine innumeris illis sanctorum cœtibus consummaretur*, ut et divus Paulus protestatur [2]. »

Non solum autem pro hominibus, sed etiam pro dæmonibus Photius tardat retributionis tempus, ut patet ex *hoc fragmento in Marcum*, cap. v, 10 : « Quanquam supra modum dæmones improbi sunt ac contumaces, agnoscebant tamen se in posterum graves pœnas luituros suorum scelerum. Ideo putantes punitionis tempus jam sibi imminere, timuerunt, et postulabant, ut cruciatus ante tempus non sustinerent [3]. »

Sæculo xi, Theophylactus verba Christi ad latronem in eumdem fere sensum accipit ac Photius; ab eo tamen dissentit in hoc quod paradisum a cælorum regno non distinguit :

« Quærunt quidam, inquit, quomodo Domino dicente latroni : *Hodie mecum eris in paradiso*, Paulus dixerit nullum sanctorum adhuc recepisse promissionem (Heb., xi, 39). Et quidam dicunt Apostolum non de omnibus sanctis asserere quod non receperint repromissionem, sed de his tantum, quos ipse enumeravit. Enumeravit autem alios quidem multos, latronis autem non meminit... Alii autem dixerunt latronem nondum esse sortitum in paradiso conversationem; sed cum Domini promissio immutabilis sit et nullo modo fallax, ideo

1. « Καὶ λαμβάνει λοιπὸν τὴν ἐν παραδείσῳ διαγωγήν... Εἰ δέ τις τὸν παράδεισον αὐτῷ οἱονεί τινα προοιμιαζόμενα δῶρα καὶ ἀρραβῶνα τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας λέγοι δεδόσθαι,....., τοῦτο δὴ οὐδὲν μὲν ὅλως μάχεται τῷ λόγῳ. » *Quæst VI ad Amph.*, 2, *P. G.*, t. ci, col. 105-108.

2. *Quæst. XV ad Amphil.*, 2, *ibid.*, col. 136.

3. *Fragmenta in Marcum, P. G., ibid.*, col. 1212; cf. *Contra manichæos*, iv, 25, *P. G.*, t. cii, col. 236. Hergenrother, *Photius*, t. iii, p. 634-635, 641-642, putat Photium retributionem immediatam docuisse in quibusdam ex suis epistolis; verum, locis ab eo notatis diligenter inspectis, Photium in hoc capite sibi constare invenimus.

dictum esse : *Hodie mecum eris in paradiso*, hoc loquendi genere in dominicis verbis occurrente, ut de futuris dicat tanquam de iis quæ jam fiant.... Alii autem torquent verbum, punctum post *hodie* ponentes, ut is sensus sit : *Amen dico tibi hodie : mecum eris in paradiso*. Quidam vero, qui sensum maxime assequi visi sunt, sic exponunt : « Promissa nobis bona non sunt ingressus in paradisum vel reditus, sed regnum cælorum; unde et oramus : *Adveniat regnum tuum*, non vero conversatio illa in paradiso. Neque enim mihi dicat aliquis idem esse paradisum et regnum. Bona enim regni *neque auris audivit, neque oculus vidit, neque in cor hominis ascenderunt* (I Corinth., ii, 6). Paradisum autem et oculus Adæ vidit et auris audivit de eo... Atque ideo non est contrarium quod Paulus dicit. Latro itaque paradisum sortitus est, non autem regnum assecutus est : assequetur vero, quando et omnes quos Paulus enumeravit; nunc autem hoc tempore paradisum habet, qui est locus spiritualis quietis. » Hæc quidem multi sæpe numero dixerunt. *Dicendum autem est idem esse regnum cælorum et paradisum.* Nihil prohibet ergo et Dominum vera dicere, et Paulum. Nam latro quidem est in paradiso, hoc est in regno, et non solus ipse, sed etiam omnes quos enumerat Paulus. Atqui non fruitur perfecta bonorum participatione. Nam sicut condemnati in regiis non sunt, sed in custodiis clausi tenentur in deputatis pœnis, honorabiles vero et in regias ingrediuntur et nunc in eis versantur; deinde cum venerit tempus distributionis regalium donorum, illa assequuntur; ita et sancti, tametsi nondum perfecte bonis fruantur, jam tamen versantur in locis lucidis et fragrantibus et regiis denique tabernaculis, etiamsi nondum distributionem regiorum bonorum perfecte assequantur. Ita et latro in paradiso fuit, etiamsi nondum quod perfectum est acceperit, ut ne absque nobis perfectus sit. Et hoc opinor verissimum omnium... Promissionem dicendo, Apostolus integram felicitatem declaravit. At illam sancti nondum integram acceperunt, et sunt in regno ac paradiso [1]. »

Suam sententiam expressius adhuc declarat Theophylac-

1. *Enarratio in evangelium Lucæ*, c. xxiii, 39-43, *P. G.*, t. cxxiii, col. 1104-1105.

tus, dum verba Pauli ad Hebr., xi, 39-40, commentatur : « Deo de nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. *Melius aliquid*, hoc est : ad honorem nostrum. Ne videantur enim nobis esse potiores, si primi coronarentur, *unum omnibus coronarum tempus* statuit. Nec dixit : *ut non coronarentur*, sed : *ut non consummarentur*. Proinde tunc perfecti videbuntur; *nunc autem arrhabonem et pignus honoris habent*. Unde enim eis potestas auxiliandi se invocantibus ? Unde ipsis fiducia intercedendi ? Perfectionem autem et consummationem tunc accipient. Nonne igitur injustus est illis Deus, si nos anteverterint laboribus, in coronis autem nos exspectent ? Minime : *nam et illis hoc gratum est, ut cum fratribus consummentur*. Corpus unum omnes sumus. Majorem igitur corpori voluptatem præbet, si communiter secundum omnia membra sua coronetur. Deus est pater liberorum amantissimus, qui varios habet filios : alii quidem, perfectis operibus suis, ex agris celerius redeunt; alii vero laborantes, adhuc ibi persistunt. Dedit iis qui primum laboraverunt prægustationem quamdam, dicens ac mandans eis, ut ad perfectum convivium fratres exspectent : qui, humani cum sint, læti exspectant, ut in commune exhilarentur [1]. »

Ad retributionem vero peccatorum quod spectat, item eam sat aperte retardat, dum docet peccatores, etiam illos qui *gravibus peccatis onerati* ex hac vita decedunt, in gehennam non necessario præcipitari, sed Ecclesiæ precibus liberari posse [2].

In suis *Commentariis in Lucam* et in *Epistolam ad Hebræos* Euthymius Zigabenus Photii et Theophylacti vestigiis inhæret. Cum illo enim paradisum latroni promissum a cælorum

1. « Ἕνα πᾶσι καιρὸν ὥρισε τῶν στεφάνων. » *Expositio in epist. ad Hebr.*, c. xi, 40, *P. G.*, t. cxxv, col. 365-368. Bernardus de Rubeis, *Dissertatio de Theophylacti gestis et scriptis*, 21, *P. G.* t. cxxiii, col. 99-102, putat verba Theophylacti in sensum dogmati catholico congruentem accipi posse; cui nos non assentimur; nobis enim videtur Theophylactus *coronarum* nomine beatitudinem essentialem designare; quando vero dicit animas sanctorum esse in regno caelorum, de loco potius quam de vero statu beatitudinis res illi est.

2. *Enarratio in Evangelium Lucæ*, c. xii, 5, *P. G.*, t. cxxiii, col. 880. Hunc locum infra recitamus, p. 141.

regno sanctis in fine mundi tradendo distinguit [1]; hujus vero unum tempus coronarum pro omnibus communiter decernentis verba repetit [2].

Michael Glykas, *Pseudo-Athanasii responsis ad Antiochum* [3] innixus, dilationem beatitudinis sanctorum in suis *Capitibus de sacræ Scripturæ difficultatibus* non semel docet, quamvis obscuriora quædam proferat [4]. Post Photium, paradisum latronis, qui sit paradisus terrestris, a regno cælorum secernit [5]; ad sententiam vero Theophylacti aliquatenus accedit, dum dicit animas sanctas in paradiso terrestri non detineri tanquam in carcere vel custodia, sed eis liberum ad cælos accessum patere, ita ut cælos pro libitu invisere possint [6]. Nondum tamen iis fruuntur bonis, quæ oculus non vidit, nec auris audivit; horum tantum arrhabonem possident [7]. Pari modo, animæ damnatorum nondum suum subeunt supplicium, nondum igni infernali traduntur, quidquid in contrarium protulerit Gregorius *Dialogus*; sed suam punitionem adhuc exspectant, tristitiam et dolorem interim expe-

1. « Οὔπω γὰρ οὐδεὶς τῶν δικαίων ἐκομίσατο τὴν ἐπαγγελίαν, ὕστερον δὲ μεταδώσει κα ταύτης ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἀνταποδόσεως. » *Comment. in Lucam*, xxiii, 43, *P. G.*, t. cxxix, col. 1092.

2. « Οὔπω δὲ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, ἤτοι τὴν τῶν πόνων ἀντίδοσιν, τὴν ἀμοιβὴν τῶν κατορθωμάτων. » *Comment. in XIV epistolas Pauli apostoli*, ed. *Athenis*, *N. Kalogheræ*, 1887, t. ii, p. 445.

3. Hæc *Responsa ad Antiochum* non parvum influxum habuerunt in theologiam eschatologicam Byzantinorum, quandoquidem hi sancto Athanasio illa communiter tribuerunt. Dilatio autem retributionis in eis expresse docetur. Glykas ea passim laudat. Occurrunt in *P. G.*, t. xxviii, col. 597-710. Vide præsertim col. 610, 612, 616, 618, 628.

4. In capite xx, Glykas quosdam locos patristicos recitat retributioni immediatae aperte suffragantes; cf. ed. S. Eustratiadis, t. i, p. 241. In Capite xxi, *ibid.*, p. 251, animas sanctas asserit esse cum Christo et ejus gloriam videre : quod de gloria humanitatis videtur intelligendum, nisi dicas hunc auctorem in uno eodemque capite non sibi constare, cum ibidem, p. 247, scribat : « Οὔπω ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν..., ἀρραβῶνα δὲ ὅμως ἐσχήκασι τῶν ἀποκειμένων αὐτοῖς, ἀγαθῶν. »

5. Cap. xi, t. i, p. 136-149.

6. « Ἀλλὰ καὶ πρὸς οὐρανοὺς ἀνάγεσθαι οὐκ ἀπείργονται. » *Ibid.*, p. 142.

7. Cap. xxi, *ibid.*, p. 247.

rientes ex conscientiæ remorsu et futurorum tormentorum repræsentatione [1].

Joannes Zonaras, Glykae coævus, distinctionem inter paradisum et regnum cælorum item probat : « Latro in paradisum quidem introductus est; nondum tamen regnum Dei obtinuit; hoc adipiscetur, quando omnes qui Deo placuerunt eodem donabuntur [2]. »

Theologos dilationis remunerationis tenaces sæculo XIII non defuisse ex controversia, quæ tunc de hoc capite, sicut et de purgatorio, inter Græcos et missionarios latinos exorta est, comperimus. Ipse Georgius Bardanes, qui disputationem de purgatorio cum fratre Bartholomæo anno 1232 auspicatus est, retributionem peccatorum retardabat usque ad judicium universale [3].

Sequenti sæculo, Nicephorus Callistus Xanthopullus eamdem sententiam tenebat, eamque, ut supra vidimus [4], in synaxariis Triodii expressit.

Sæculo XV ineunte, duos non mediocris notæ theologos, Simeonem videlicet Thessalonicencem et Josephum Bryennium, inter retributionis immediatæ adversarios invenimus. Primus duas classes animarum sanctarum distinguit et utrique diversum locum assignat :

« Animæ proficiscuntur, ut a sanctis doctoribus discimus, ad loca earum vita et meritis digna. *Quædam in cælum ascendunt; quarum scilicet conversatio in cælis erat*, et quæ, dum in corpore essent, ad cælos translatæ sunt, ut docet Paulus,

1. Cap. LXXXV, t. II, p. 380-382.
2. « Ὁ λῃστὴς εἰς τὸν παράδεισον εἰσήχθη, τῆς δὲ τοῦ Θεοῦ βασιλείας οὔπω τετύχηκεν, ἀλλὰ τετήρηται αὐτῷ ἡ ταύτης ἐπίτευξις, ὅτε καὶ πάντες οἱ τῷ Θεῷ εὐηρεστηκότες ἀξιωθήσονται. » *Expositio canticorum anastasimorum Joannis Damasceni, e cod. Monac. 286*, sæc. XV· fol. 171*b*-172*a*. Ab Hergenrother, *op. cit.*, t. III, p. 639, laudatus.
3. « Ἀπέρχονται αἱ ψυχαὶ τῶν ἁμαρτωλῶν οὐκ ἀπεντεῦθεν μὲν εἰς κόλασιν αἰωνίαν· οὔπω γὰρ ὁ μέλλων κρίνειν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην μετὰ δόξης ἐλήλυθε, διαχωρίζων δικαίους ἀπὸ ἁμαρτωλῶν· πλὴν ἀπέρχονται εἰς τόπους σκυθρωποτέρους προζωγραφοῦντας τὴν μέλλουσαν ἀποδέχεσθαι βάσανον τοὺς τοιούτους· ὡς γὰρ πολλαὶ μοναὶ καὶ ἀναπαύσεις τοῖς δικαίοις ἀποκεκλήρωνται ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Πατρὸς κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος φωνήν, οὕτω καὶ διάφοροι κολάσεις τοῖς ἁμαρτήσασι ἐναπόκεινται. » Ex *cod. Barb. græc. 297*. fol. 1*a*.
4. Cf. p. 47.

qui illuc raptus est, et dissolvi cupiebat ut cum Christo esset. Alii sunt in paradiso, secundum illud : *Hodie mecum eris in paradiso*; ibi enim esse credendum est animas omnium qui cum paenitentia mortui sunt, sicut et animam hujus cauti sapientisque latronis. Et jure quidem qui in cælo sunt, utpote Christum perfecte imitati, cum eo cælum ingresso conversantur. Qui vero in paradiso sunt, merito ibi commorantur; qui, sicut latro, paenitentiam egerunt. Nam et cælum et paradisum aperuit Christus. Porro, anima quæque juxta viam suam consolationem a Deo accipit. *Cæterum, omnes sunt imperfectæ, usque dum veniat Dominus*, sicut docemur : *Ut non sine nobis*, inquit, *consummentur* (Hebr., XI, 40). Et hi omnes per fidem consummati, *nondum receperunt repromissionem* [1]. »

Animabus tamen quæ *in cælo sunt*, non vero iis quæ *in paradiso*, initium quoddam beatitudinis essentialis tribuere videtur, dum asserit eas clarius Jesum videre ejusque lucis suavissimæ consortes sine fastidio esse [2]. Ad animas autem peccatorum quod attinet, in tantum earum supplicium differt, quantum sanctorum felicitatem retardat :

« Peccatorum et infidelium animas in inferno esse credendum est, quemadmodum sanctorum in cælo; et [insuper eas esse] in aliis locis obscuris et tristibus, peccatis eorum atque infidelitati congruentibus, ibique sub dæmonum tyrannide cruciari. Nondum tamen perfectæ punitioni traduntur, quandoquidem nondum corporibus, quibuscum peccavere, unitæ sunt, neque de cælo Dominus descenderit, qui judicabit omnes, et reddet unicuique secundum opera ejus... *Pæna, quam nunc luunt, est quasi futuræ arrhabo....* Si sanctus Gregorius Dialogus dixit animas in igne torqueri, hoc spiritaliter dixit, ut intelligamus *eas esse quasi captivas in quodam loco, et condemnatas; quas conscientiæ ignis cruciat et adurit....* Hoc insuper cognoscimus ex sacra Scriptura, quæ nobis innuit diabolum nondum cum dæmonibus esse in vinculis

1. « Πᾶσαι δὲ εἰσὶν ἀτελεῖς, ἕως ἂν ὁ Κύριος ἔλθῃ. » *Resp.* IV *ad Gabrielem Pentap.*, *P. G.*, t. CLV, col. 844.
2. « Καθαρώτερον ἄρτι τὸν Ἰησοῦν βλέπουσιν... καὶ ἕν εἰσι μετ' αὐτοῦ καὶ τοῦ φωτὸς αὐτοῦ τοῦ γλυκυτάτου καὶ θείου ἀκορέστως μετέχουσιν. » *De sacra precatione*, c, 295; *P. G.*, *ibid.*, col. 544 c.

et in igne ipsi præparato, sed adhuc malitiam in mundo operari[1].... Nullus inter sanctos agnoscit præviam punitionem [ante judicium universale] præter eam quæ est in mœrore esse et in locis tristitiæ, veluti in carcere, ubi animæ peccatrices supplicium exspectant[2]. »

Statum animarum post mortem Josephus Bryennius his describit verbis in sua *secunda de futuro judicio oratione* :

« Animæ defunctorum duo loca pro domicilio sortitæ sunt : sanctorum quidem, cælos, peccatorum vero, terræ centrum, hoc est infernum. Porro animæ sanctorum libertate honorantur, quippe quæ domicilium habent mundum universum et Eden, deliciarum locum. Quæ vero animæ ad inferni stationem usque ad diem judicii damnatæ sunt, exinde aliquantisper exire, aut luce vel quolibet alio solatio perfrui prohibentur ; non quod ante judicium puniantur — non enim sancti *ante judicium æternis illis bonis perfruuntur*, *neque peccatores interminabili supplicio subjiciuntur* — sed quod in tenebricoso carcere detenti, dæmones habeant præfectos molestos, crudeles, immisericordes, qui ignem videntes ignemque spirantes, nocti vultibus similes, præ sua invidia suoque in homines odio, e carcere eos aliquantulum prospicere non permittant[3]. »

II. — De dilationis assertoribus post concilium Florentinum.

Ut diximus supra, Græci in concilio Ferrariensi-Florentino de tempore retributionis inter se multum disputarunt, antequam eorum major pars doctrinæ Latinorum accederet. Inter eos qui dilationem remunerationum propugnabant, vel nonnisi imperfectam omnino retributionem admittebant, notandus est præsertim Marcus Ephesius, qui tum in suis *Orationibus secunda et tertia de purgatorio*, tum in *Epistola encyclica omnibus ubique terrarum orthodoxis*, doctrinam

1. *Resp. IV ad Gabrielem*, *ibid.*, col. 844-845.
2. « Καὶ οὐδεὶς αὐτῶν προτέραν δοξάζει κόλασιν, εἰ μὴ τὸ ἐν ὀδύνῃ εἶναι καὶ ἐν τόποις ἀπαρακλήτοις τὰς ἡμαρτηκυίας ψυχὰς ὡς ἐν εἱρκτῇ ἀναμενούσας τὴν τιμωρίαν. » *Dialogus contra hæreses*, c. XXIII, col. 117.
3. *Oratio II de futuro judicio*, *Opera*, ed. Bulgaris, Lipsiæ, 1768, p. 392-393.

dogmati catholico contrariam diserte professus est. Ejus error circa beatitudinem sanctorum duplex est : primum quidem doctrinæ palamiticæ de essentia beatitudinis adhæret, docetque sanctos, etiam post resurrectionem, non ipsam essentiam divinam sed quemdam splendorem ex ea dimanantem esse visuros[1]. Præterea, animabus sanctorum post mortem imperfectiorem felicitatem tribuit, quamvis concedat eas in cælo esse cum angelis et coram ipso Deo ; immo beata Dei visione perfrui. Hæc tamen visio, secundum ejus dicta, non est nisi quoddam præludium vel prægustus respectu visionis futuræ[2] ; nec est continua, sed interrumpi potest[3] : quod etiam de angelorum visione affirmat[4]. De animabus vero damnatorum asserit eas nonnisi inchoative pœnam damni experiri, et a pœna ignis eximi usque ad resurrectionem. Interim, in inferno quasi in quodam carcere detinentur, ubi suppliciorum futurorum, quæ ut præsentia intuentur, formidine cruciantur :

« Profitemur ergo, inquit, nec justos perfecte consecutos esse propriam suam sortem et beatam illam conditionem, ad quam in hac vita per opera sese præpararunt, nec improbos statim post obitum addici supplicio, quo in perpetuum crucia-

1. Cf. p. 54.
2. « Septima interrogatio erat, quomodo nempe sanctorum animæ summa lætitia ac voluptate perfundantur, cum ineffabilia illa bona nondum adeptæ fuerint, respondemus, vel solam eorum particulam, quæ jam data sunt, summæ ipsis esse voluptati, quandoquidem Deum sine ullo medio vident, prout angeli ipsi eum contemplantur ; eorum vero quæ danda sunt spem ita habent perquam certam, ut satis sit ad eos certa lætitia replendos. » *Oratio* III *seu Responsio ad quæstiones Latinorum*, 7, *Patrologia Orientalis*, t. XV, p. 163.
3. « Quibus argumentis innixi, jure profecto diximus nec sanctos plene visione illa ac fruitione potiri ob hujusmodi causam, quod ad corporeum mundum revertantur, et nos ejusdem generis socios foveant et nobiscum plerumque conversentur... Neque enim fieri potest, ut tanta obeant munera, et iis opitulentur qui ipsos invocaverint, ac simul visione illa sincere perfruantur... [Apostolus] subjunxit : *Et sic semper cum Domino erimus* (I Thess., IV, 16) ; quo ostenderet *sanctos hactenus non semper cum Domino* conversari, tum quod ad corpus propendeant, ad quod recipiendum naturali desiderio fertur anima, tum quod ad mundum istum redeant, et sodalium curam gerant. » *Ibid.*, 2, p. 156.
4. *Ibid.*, p. 154-155.

buntur; sed ambo hæc post extremam illam judicii diem omniumque resurrectionem plane eventura esse; nunc autem utrosque degere in idoneis locis, alteros quidem omnino quietos ac liberos in cælo cum angelis et coram ipso Deo, *imo vero in paradiso, ex quo excidit Adam, in quem primus omnium introivit probus latro*, nobiscum ubique conversantes in quibus coluntur templis; *quin etiam perfruentes Dei visione et illo qui inde emittitur fulgore multo perfectius ac nitidius quam prius, dum vitam agerent*; alteros vero ex adverso in inferno occlusos versari in *tenebrosis et in umbra mortis et in lacu infimo*, prout David ait (Ps. LXXXVII, 7)... Atque illos quidem summa potiri lætitia animique voluptate, *exspectantes jam ac propemodum in manibus habentes promissum sibi regnum arcanaque bona* (προσδοκῶντας ἤδη καὶ μόνον οὐκ ἐν χερσὶν ἔχοντας τὴν ἐπηγγελμένην αὐτοῖς βασιλείαν καὶ τὰ ἀπόρρητα ἀγαθά); hos vero contra maxima confici angustia et inconsolabili mœrore, *exspectantes damnatorum more judicis* sententiam illaque supplicia prospicientes. *Neque tamen illos adeptos esse regni hæreditatem eaque bona, quæ nec oculus vidit nec auris audivit, nec animus hominis effinxit* (I Corinth., 19); *neque hos æternis jam addictos esse suppliciis igneque inextinguibili exuri.* Atque hanc doctrinam non solum a Patribus nostris antiquitus acceptam tenemus, verum etiam ex ipsis divinis Scripturis comprobare facile possumus [1] ».

Inter Patres Ephesius laudat: 1° Pseudo-Athanasium, *Responsa ad Antiochum*, et Athanasium, *Homilia* (deperdita) *de divite et de Lazaro*; 2° Gregorium Theologum, *Oratio funebris in laudem Cæsarii fratris*, 21 (*P. G.*, t. XXXV, col. 781); 3° Joannem Chrysostomum, *Oratio* VI *de statuis* (*P. G.*, t. XLIX, col. 85); *Oratio* IV *adversus Judaeos* (*Ibid.*, t. XLVIII, col. 904; 4° Iterum Gregorium Theologum, *Oratio in plagam grandinis* (*Ibid.*, t. XXXV, col. 945); *Oratio in baptisma* (*Ibid.*, t. XXXVI, col. 424). Textus vero sacræ Scripturæ quos adducit ut pro se

1. « Οὔτε δὲ τὴν κληρονομίαν τῆς βασιλείας ἐκείνους ἀπολαβεῖν καὶ « ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, οὔτε οὖς ἤκουσεν, οὔτε νοῦς ἀνθρώπου ἐνετυπώσατο ἀγαθά », οὔτε τούτους ταῖς αἰωνίοις ἤδη παραδεδόσθαι βασάνοις καὶ ἐν ἀσβέστῳ πυρὶ κατακαίεσθαι. » *Oratio* II *de purgatorio*, 4, *P. O.*, *ibid.*, p. 110; cf. *Epistolam encycl. ad omnes orthodoxos*, 6, *P. O.*, t. XVII, p. 457.

facientes, sunt sequentes : Matth., XXV, 34, 41; VIII, 29; XXV, 1, 14; XIII, 43; II Corinth., V, 10; II Timoth. IV, 6-8; II Thessal., I, 6-10; Hebr., XI, 39-40; Apoc., VI, 9-11; I Corinth., XV, 23-24 [1]. Nec ratione theologica vacat ad inculcandam suam opinionem :

« Cum triplex sit hominum conditio, videlicet quæ est in hac vita, quæ post ex hoc mundo discessum, et quæ in future sæculo, unicuique statui unam e virtutibus convenire censemus, quæ perfecte in eo exerceatur. Est igitur fides sæculi præsentis opus; *per fidem* enim *ambulamus* (II Corinth., V, 7), et sancti omnes per fidem Deo placuerunt. Spes vero, postquam hinc migratum est, exseritur; hæc enim in præsenti vita cum timore connectitur, et Paulus ipse timet ne, postquam aliis prædicaverit, reprobus efficiatur (I Corinth., IX, 27); post absolutum autem spectaculum et transactum certaminis tempus, præsto sunt præmia, hoc uno excepto quod præ manibus non habeantur, *et in reliquo reposita sit justitiæ corona* (II Timoth., IV, 8). Quod autem ex spe gaudium oboriatur, id magnus ipse apostolus Paulus declarat : *Spe*, inquit, *gaudentes* (Rom., XII, 12). Superest caritas, quæ virtutum est perfectissima et cunctarum istarum major summusque fructuum Spiritus vertex. Hinc fit, ut sola habeatur futuri sæculi opus, cum ejus ope sancti se Deo conjungant et copulent, spe et fide jam evacuatis [2]. »

Marco Ephesio ejus frater Joannes Eugenicus consentit in sua *Refutatione decreti Florentini* [3]; qui tamen aliquando sententiæ contrariæ suffragatus fuerat. Dicit enim in quadam *Epistola ad imperatricem Byzantii*, « matrem imperatricem defunctam jam perfrui vita beata, æterno splendore, brevi :

1. *Oratio* II, 4-10, *P. O.*, *ibid.*, p. 111-117.

2. *Oratio* III, 7, *P. O.*, *ibid.*, p. 163. Ante concilium, Marcus in quodam *Encomio in sanctum Eliam* retributionem immediatam docere videtur; ibi enim dicit Eliam *frui visione Dei facie ad faciem* (καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ πρὸς πρόσωπον θεωρίας;); unde Gregorius Mammas quod sibi non constiterit eum accusat; verum, ut vidimus, Ephesius aliquam Dei visionem sanctis non denegat; cf. Allatium, *de Purgatorio*, p. 784-787.

3. « Ἀλλ' οὐ καὶ τοὺς ἁγίους αὐτοὺς τὴν μακαρίαν ἐκείνην ἀπολαβεῖν τελειότητα πρὸ τῆς κοινῆς ἀναστάσεως καὶ τῆς μελλούσης ἀποφάσεως. » Dositheus, in Τόμῳ καταλλαγῆς, p. 267.

ineffabilibus bonis illis, quæ et rationem et visum et auditum et cor et mentem hominis superant [1]. »

Mirum est Georgium Scholarium, cujus disertam de immediata ac perfecta animarum sanctarum statim post mortem beatitudine doctrinam supra retulimus, supernaturalis beatitudinis usque ad communem resurrectionem dilationem non minus diserte aliquando docuisse. In *Tractatu* enim *de animarum sorte post mortem ad Sabbatium hieromonachum* [2], duplicem animæ justæ post mortem obventuram perfectionem seu consummationem (τελείωσιν) distinguit : primam scilicet, quæ ei statim post a corpore separationem et ad resurrectionem usque conferatur; quæ nempe in mera beatitudine *naturali* animæ humanæ qua tali congrua consistat, eamque intra naturæ fines et facultates perficiat; alteram vero, quæ illi jam corpori suscitato rursus conjunctæ danda sit, sitque illa vera beatitudo *supernaturalis*, hæc *justitiæ corona* quam sibi repositam *in illa die* Paulus asserit. Vi quidem prioris perfectionis, anima separata non jam per speculum et in ænigmate, sed per mentis *connaturalem* contemplationem Deum et spiritualia percipit; ex plena autem consummatione, quam in resurrectione accipiet, Deum jam videbit *immediate, supernaturaliter, sicuti est* [3]. Huic sententiæ, quæ sub aliquo respectu nova est nec cum opinione aliorum, qui retributionis retardationem docent, omnino congruit, mox valedixit Scholarius doctrinæque catholicæ, quam sub influxu cujusdam scripti Simeonis Thessalonicensis, ut videtur, reliquerat, rursus adhæsit.

Sæculo xvi, Meletius Pigas sententiam probat Pseudo-Athanasii in *Responsis ad Antiochum*; quam tanquam

1. S. Lampros, Παλαιολόγεια καὶ Πελοποννησιακά, t. i, Athenis, 1912, p. 65; cf. p. 213.
2. *Œuvres complètes*, t. i, p. 505-520; vide præsertim p. 514-516.
3. « Διπλῆ ἐστι τοῦ ἀνθρώπου τελείωσις κατὰ πρώτην διαίρεσιν μετὰ τὴν ἐμπαθῆ ταύτην ζωήν· μία μέν, μερική, ἡ τῇ ψυχῇ μόνῃ δηλονότι τοῦ οἰκείου καὶ κατὰ φύσιν τέλους ἀπόληψις... δευτέρα δέ, ἡ ὅλου τοῦ ἀνθρώπου τελείωσις, ἥτις ἐστὶν ἐν τῇ ἑνώσει τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος φυσικῶς... Ἑκατέρᾳ δὲ τῇ τελειώσει ταύτῃ φυσικῶς γινομένῃ καὶ ὑπερφυές τι τελειώσεως δῶρον τότε προσέσται· τῇ μὲν γὰρ ψυχῇ ἆθλον ὑπερφυὲς δοθήσεται ἡ ἄμεσος πρὸς τὸ πρῶτον συνάφεια νοητόν. » *Ibid.*, p. 514-515.

genuinam Ecclesiæ orientalis doctrinam proponere non dubitat [1]. Josephus Philagrius vero testimonia Patrum et liturgiæ græcæ retributionem immediatam clare affirmantia *de certa exspectatione bonorum futurorum, quam animæ sanctorum habent, interpretanda esse dixit, non vero de præsenti eorum possessione* [2] : quod apud multos dilationis assertores invenire est.

Sæculo xvii, Meletius Syrigus dilationem expresse docet in sua *Refutatione calviniacæ hæresis* [3]. In *Confessione* vero *orthodoxa Petri Moghilæ*, quam ipse recognovit ac correxit, eadem doctrina obscurius proponitur. In 67 *quæstione Iæ partis* asseritur animas hominum in gratia Dei hac vita migrantium esse *in manibus Dei, in paradiso, in sinu Abrahæ, in regno cælorum*; in quæstione vero 68, monemur « animas justorum, quamquam cælo jam receptas, neutiquam tamen ante extremum judicium *plenam perfectamque gloriæ coronam consequi*; *neque animas damnatorum plenam antea ultionem ac pœnam perpeti* »; quod in quæstione 126 his verbis explicatur :

« Quemadmodum anima et corpus sociata opera spe æternæ mercedis bonum efficiunt, ita etiam lætitiam exsultationemque eamdem, communem, non separatam habebunt. Non enim alia animæ lætitia, alia corporis erit; corpus enim gloria coruscabit; totus vero homo anima et corpore glorioso compositus erit... Cæterum lætitia ista exsultatioque non alia erit quam contemplatio beatissimæ Trinitatis... Quanquam vero Moysi dixit Dominus : *Nequaquam faciem meam videre, et vivere homo potest* (Exod., xxxiii, 20); sed illud intelligendum est *ante summam perfectissimamque istam redemptionem, de corpore hoc corruptibili et nondum glorificato, deque vita* præsenti. Post omnimodam autem istam redemptionem in corpore cælesti gloria decorato, in futura et æterna vita, *post diem extremi judicii, indet nobis Deus lucem, qua ipsius Dei lumen contueri valeamus*, prout canit Psalmista : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus*

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. 1769, p. 308.
2. Allatius, *op. cit.*, p. 792-794.
3. Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων ἀντίρρησις, p. 144.

lumen (Ps. xxxvi, 10). Quod lumen, quoniam adspectu ipso percipietur, desiderium omne omnis sapientiæ atque pulchritudinis sedabit; in contemplatione enim summi boni cetera omnia bona continentur [1]. »

Ex hoc loco satis clare apparet *Confessionem orthodoxam* docere lumen gloriæ, quo facie ad faciem mens humana Trinitatem contemplari valet, nonnisi post resurrectionem sanctis largitum iri. Unde hæc cum *Confessione fidei Dosithei*, de qua supra, in hoc capite haud dubie pugnat.

Doctrinam de dilatione remunerationis tempore Meletii Syrigi in patriarchatu œcumenico communiter receptam fuisse ex alio documento compertum habemus. Cum enim Moscovitæ Methodium III patriarcham (1668-1671) de proposita quæstione interrogavissent, ille in hunc modum respondit :

« Patrum traditioni inhærentes, confitemur non absque corporibus animas acipere promissionem, ut divina testatur doctrina, ne sine corpore præmium sumant, quod una cum corpore meruerunt; sed tamen gaudent usque ad resurrectionem corporis in locis lucidis, gaudio et consolatione plenis, exspectantes illud dictum : *Venite, benedicti Patris mei*, etc. Si vero Ecclesia nostra his concinit laudes quasi jam fruentibus in regno cælorum, hoc ex more facit poetæ, de futuris loquens perinde ac si præsentia essent. Similiter animæ peccatorum haudquaquam statim in ignem æternum rapiuntur. Quid enim in illo paterentur, cum immateriales sint. Sed timore et dolore in inferno cruciantur, terribilia verba formidantes : *Recedite a me maledicti*, etc. [2]. »

Sæculo xviii, plerique e Græcis eidem sententiæ adhærent; quin etiam Eugenius Bulgaris ejusque discipuli animabus

1. Kimmel, p. 137-140, 201-203. Jam anno 1638, synodus Constantinopolitana Cyrillo Lucari retributionem immediatam docenti anathema dixerat his verbis : « καὶ ἔτι τὴν κοινὴν μέλλουσαν ἐν τῇ ἐσχάτῃ φοβερᾷ ἡμέρᾳ κρίσιν καὶ ἀνταπόδοσιν ἀναιροῦντι ἀνάθεμα. » *Ibid.*, p. 406.

2. Laudatur ab auctoribus operis : *Perpétuité de la foi de l'Église catholique sur l'Eucharistie*, ed. Migne, t. ii, col. 1186-1187. Huic declarationi Dositheus Hierosolymitanus patriarcha subscripsit. In secunda editione suæ Confessionis sibi ipsi contradicere videtur. In *cap.* viii enim dicit sanctos immediate videre sanctam Trinitatem; in cap. vero xviii, dilationem retributionis sat aperte docet.

sanctis denegant illud beatitudinis initium ex societate cum Christo et Dei inchoata visione oriens, quod multi inter dilationis tenaces illis tribuunt, quandoquidem judicium particulare omnino negant, ut supra ostendimus [1]. Objicientibus verba Christi de divite et Lazaro necnon ad latronem in cruce pendentem Bulgaris respondet Salvatorem *de futuris locutum fuisse perinde ac si de præsentibus actum fuisset*. Illud *Hodie mecum eris* æternitatem præteriti vel futuri nesciam designat [2]. Eodem sæculo, retributionem item retardant Elias Meniates, in *Petra scandali* [3], Diamantis Rhysius [4], Joannes Lindensis [5].

A sæculo xix ineunte ad nostra usque tempora, dilatio suos semper habet propugnatores inter Græcos, ex quibus memorandi sunt C. Dyovuniotis et Ch. Andrutsus. Primus, in suo opusculo jam notato : Ἡ μέση κατάστασις τῶν ψυχῶν retributionem omnino imperfectam quum justis tum peccatoribus statuit : illis siquidem tanquam præcipuum præmium assignat lætitam de conscientia recte factorum; his vero conscientiæ remorsus est pœna gravior. Cæterum, animæ omnes tum justæ tum peccatrices in *infernum* seu Ἅδην vadunt; Ἅδης vero in duas dividitur partes seu regiones. Prima regio, quæ in sacris Scripturis appellatur *sinus Abrahæ, paradisus, tertium cælum, cælestis Jerusalem, regnum cælorum*, est locus consolationis et felicitatis animabus sanctorum post mortem patens, et vocari potest *paradisus inferior*, ὁ κάτω παράδεισος, ut distinguatur a *paradiso superiore*, in quem introivit Christus post resurrectionem suam; quem et sancti post judicium extremum ingredientur. Regio altera est peccatorum domicilium, et proprio nomine voca-

1. P. 20.

2. « Φαμὲν ὅτι τὸ σήμερον οὐ διωρισμένως ἐκείνην παρεσήμαινε τὴ ἡμέραν, ἀλλὰ τὴν αἰωνιότητα, ἧς οὐδὲ παρῳχημένον ἐστὶν οὐδὲ μέλλον ». Θεολογικόν, p. 134.

3. « Ἡ αἰώνιος δόξα ἐκείνων καὶ ἡ αἰώνιος κόλασις τούτων εἶναι μέλλουσα, ὕστερα δηλαδὴ ἀπὸ τὴν μέλλουσαν δευτέραν παρουσίαν καὶ τελευταίαν κρίσιν τοῦ κριτοῦ τῶν αἰώνων Χριστοῦ. » *Op. cit.*, p. 139.

4. Λατίνων θρησκείας ἔλεγχοι, Venetiis, 1748, p. 97-100.

5. Εὐαγγελικὴ σαγήνη, Venetiis, 1785, p. 16-17. Joannes distinguit paradisum spiritualem a paradiso sensibili seu terrestri. Animæ sanctorum in paradiso sensibili manent.

tur *infernus*, *carcer*, etc.; quæ cum *gehenna* non est confundenda; *gehenna* enim proprie designat *æternum supplicium* damnatis post resurrectionem reservatum, quod in Scriptura appellatur *fornax ignis*, *ignis æternus*, *ignis inextinguibilis*, *stagnum ignis*. *Gehenna* in æternum durabit; Ἅδης vero cum suis duabus partibus, *paradiso* scilicet *inferiori* et *inferno*, post judicium finale cessabit [1].

Andrutsus vero, quanquam suam fatetur ignorantiam circa felicitatem vel infelicitatem animarum ante judicium universale, impugnat tamen doctrinam catholicam de retributione immediata tanquam sacræ Scripturæ et Patribus contrariam inutileque ac superfluum reddentem judicium universale. « Si quando, inquit, immediata beatitudo sanctorum efferatur, hoc fit sive in consolatoriis, sive in laudatoriis orationibus, quibus congruunt rhetoricæ elocutiones, et in quibus multa dicuntur κατὰ πρόληψιν, quatenus videlicet sancti sine ulla animi perturbatione vel sollicitudine et cum certa fiducia exspectant beatitudinem, quæ illos manet, atque jam quodam modo bona futura præsentiunt ac prægustant. E contra, in dissertationibus dogmaticis occurrit semper (!) opposita doctrina de inchoata felicitate sanctorum necnon de plena retributione illis post resurrectionem reposita [2]. »

Eadem fere invenies apud quosdam alios theologos, v. g., apud Mesoloram [3] necnon in quibusdam catechismis. In catechismo Kridakis hæc leguntur :

« Post judicium particulare, justi collocantur in loco unde a longe vident splendorem dulcis divinitatis et incorruptibilia prata paradisi. Lætitia exsultant inenarrabili, dum mente revolvunt se hujus magnifici spectaculi, quod a longe

1. *Op. cit.*, p. 68-75; p. 68 : « Ὁ Ἅδης διαιρεῖται εἰς δύο μέρη, εἰς τὸν τόπον τῆς παρακλήσεως (διὰ τοὺς ἀγαθούς) καὶ εἰς τόπον τῆς οδύνης (διὰ τοὺς κακούς), ἀμφότεροι δὲ οἱ τόποι οὗτοι ἀνήκουσι εἰς τὸν Ἅδην. »
2. « Εἴ που δὲ καὶ ἐξαίρεται ἡ ἄμεσος μακαριότης τῶν ἁγίων, τοῦτο συμβαίνει ἐν παραμυθητικοῖς λόγοις ἢ ἐν πανηγυρικοῖς..... Τοὐναντίον ἐν ταῖς δογματικαῖς διασαφήσεσιν εὕρηται πάντοτε ἡ ἀντίθετος διδασκαλία, ὅτι οἱ δίκαιοι προαπολαύουσι τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν. » Δογματική, p. 419-420.
3. Συμβολική, t. II², p. 99.

contemplantur, immediata visione post judicium universale perfruituros. Peccatores, e contra, in loco inveniuntur unde tenebras exteriores et inextinguibilem ignem e longinquo perspiciunt. Tristitia et angustia constringuntur, dum tremendum et horrendum supplicium, cui post universale judicium tradentur, ob oculos perterriti vident [1]. »

Apud Russos recentiores pauci sunt qui dilationem retributionis expresse doceant, multi vero qui incerta et ambigua proferant. Inter dilationis assertores notari possunt : 1° Anonymus quidam, in dissertatione *De morte ac statu animarum a corpore separatarum*, publicata in *Pribavleniia sanctorum Patrum*, t. IX (1850), p. 43-78. Hic separatarum animarum statum tanquam *statum exspectationis* describit : « Desiderata prægustat anima; reservata supplicia præsentit. » Felicitas animarum sanctarum consistit in *læta expectatione;* hæc tamen lætitia suos gradus habet pro meritorum conditione. Animæ peccatrices pœnam damni patiuntur et peccatorum suorum conscientia torquentur; nondum tamen igneae gehennæ traduntur, ad cujus vestibulum adstant usque ad magni diei judicium; 2° Antonius Amphiteatrov, in suo theologiæ compendio, quanquam animas sanctas in cælo ubi sunt angeli, Christus et ipse Deus unus et trinus collocat, eis tamen non tribuit nisi beatitudinis prægustum, in conversatione cum angelis et aliis sanctis necnon in *contemplatione Jesu Christi* potissimum consistentem. Divinæ autem essentiæ visionem eis *expresse* non concedit nisi post resurrectionem. Anima enim separata, inquit, plena independentia perfectaque sui conscientia non gaudet; justi in cælo de fratrum suorum sorte tristantur (Apoc., VI, 10-11). Similiter tormenta præsentia damnatorum non sunt nisi prooemia æternorum suppliciorum, inter quæ ponitur pœna ignis [2]; 3° Philaretus Drozdov in suo *longiori catechismo* imperfectionem remunerationum adhuc clarius determinat : Animæ sanctorum non habent nisi beatitudinis præambula, quia ex decreto divino totus homo pro operibus præmiari debet post corporis resurrectionem, secundum

1. P. 75-76.
2. *Op. cit.*, p. 374-375, 418; cf. p. 388.

Apostoli dicta (II Timoth., IV, 8; II Corinth., V, 10). Hæc inchoata felicitas secum quidem affert *contemplationem Jesu Christi facie ad faciem* (Phil., I, 23); verum ex iis, quæ de perfecta beatitudine post judicium universale postea dicuntur, colligere est hanc Jesu Christi contemplationem ad visionem tantum humanitatis Verbi incarnati referri, non vero ad visionem essentiæ divinæ, quæ æternam beatitudinem electorum post resurrectionem constituet : « Orietur enim hæc beatitudo *ex Dei contemplatione* in lumine et gloria et ex conjunctione intima cum ipso, secundum Scripturæ verba : I Joan., III, 2; II Corinth., XII, 2, 4; I Corinth., XIII, 12; XV, 28; Matth., XIII, 43[1]. Ergo implicite saltem Philaretus a præsenti felicitate animarum sanctarum excludit visionem Dei ut in se est.

ARTICULUS III

De theologis ambigue de retributione loquentibus.

Præter theologos qui, Catholicorum instar, retributionem immediatam docent, et illos qui eam usque ad judicium extremum differunt, inveniuntur alii, numero haud exigui, qui de hoc argumento obscure omnino et ambigue loquuntur. Aut enim, nulla adjecta explicatione, simpliciter asserunt remunerationem esse *imperfectam* tam pro justis quam pro peccatoribus usque ad judicium universale; aut, si suam sententiam explicitius declarare tentaverint, auctoritates sibi invicem repugnantes proferunt, ita ut quid ipsi sentiant certo scire impossibile sit. In recitandis theologorum hujusmodi nominibus et verbis utique non immorabimur : aliquot auctores fama claros quædamque majoris auctoritatis documenta memorare satis erit.

Ut a recentioribus incipiamus, primum habes hanc famosam *litteram encyclicam* Anthimi VII, patriarchæ Constantinopolitani, de novitatibus latinis, anno 1895 datam, quam plures ex nostris confutare aggressi sunt. Quid de proposita

1. *Catechismus longior, I pars, ad art. XI Symboli.*

quæstione ferebat illa? Nihil sane certi et definiti, sed hoc tantum : remunerationem videlicet sanctorum non esse plenam et perfectam ante judicium universale; verum quonam sensu et sub quonam respectu hæc retributio sit imperfecta, documentum synodale non declarabat. Eamdem ambiguitatem reperies in pluribus catechismis græcis nostro ævo editis[1].

Russus Malinovskii, in suo compendio theologiæ dogmaticæ ad usum seminariorum, ex una quidem parte catholice sentire videtur de animarum sanctarum beatitudine, dum ad earum statum refert sequentes sacræ Scripturæ textus : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth., V, 8 — *Videmus nunc per speculum*, etc. (I Corinth., XIII, 12) — *Pater sancte, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum*, etc. (Joan, XVII, 24) — *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*, etc. (II Corinth., V, 6-7); et dicit eas esse in *paradiso*, in *regno Dei*, in *regno cælorum*, in *domo cælestis Patris*, in *cælesti Jerusalem*; ex alia vero parte, declarat hanc beatitudinem non esse nisi *prægustum* futuræ felicitatis; animas sanctas magis ac magis in caritate et beatitudine proficere; earum scientiam de rebus divinis et mundanis novis semper revelationibus perfici et augeri[2]; quæ profecto cum visione beatifica parum conveniunt.

Macarius de animarum sanctarum felicitate satis fuse disserit, et pro more longam locorum patristicorum seriem ad probandam thesim recitat. Thesis est glorificationem sanctorum in cælo esse indubiam veritatem; hanc glorificationem vero adhuc esse imperfectam. At vero ad qualem imperfectionem alludat, haud facile dignosces : laudantur enim promiscue textus Patrum inter se aperte pugnantes. Postquam legisti verba Hippolyti profitentis « prophetas jam in cælo accepisse coronam vitæ et immortalitatis », et locum *Dialogorum* sancti Gregorii Magni, ubi sanctus doctor declarat præmium justorum in die judicii finalis auctum iri, quatenus justi nunc tantum secundum animam sunt beati, tunc vero

1. Cf., v. g., Bernardakis., *op. cit.*, p. 150-151; Calliphron., *op. cit.*, p. 33; Dam. Christopulum, *op. cit.*, p. 50.
2. *Op. cit.*, t. II, p. 464-471.

et secundum corpus beabuntur; post hæc ergo tibi occurrunt textus duo sancti Joannis Chrysostomi, unus sancti Ambrosii et *Responsio vigesima ad Antiochum* Pseudo-Athanasii, in quibus dilatio retributionis haud obscure exprimitur[1].

Initio sæculi XVIII, patriarchæ orientales in pluribus documentis publicæ auctoritatis ambigua item proferebant de sanctorum beatitudine et peccatorum pœna ante resurrectionem. Primum quidem in *Epistola dogmatica ad orthodoxos Antiochenos* a synodo Constantinopolitana anno 1722 missa de novitatibus Latinorum, Ecclesia romana erroris accusatur quod doceat « sanctorum animas *perfectæ* beatitatis participes jam factas esse. » « Nos autem, inquiunt Orientis præsules, veritati credentes et divinorum Patrum doctrinæ inhærentes, confitemur sanctos beatitudine nondum *perfecte* frui, sed *ex parte* tantum; perfectam vero beatitudinem adipiscentur in resurrectione »; quod ut statuant, provocant 1° ad verba Apostoli : *Quia reposita est mihi corona justitiæ*, etc. (II Timoth., IV, 8); 2° ad duos locos sancti Augustini, qui innuunt tantum beatitudinem sanctorum post resurrectionem *intensiorem* fore : quod dogmati catholico non adversatur; 3° ad unum locum sancti Basilii et ad duos sancti Joannis Chrysostomi, quibus haud obscure exprimitur dilatio beatitudinis. Postea hæc subjungunt :

« Quod si quidam Ecclesiæ doctores dicere videntur sanctorum animas beatitudinis jam esse compotes, atque in cælo ipsoque paradiso commorari, hi profecto *particularem*, non *perfectam* beatitudinem cogitant, *quatenus sanctorum animæ, prout animæ, Dei beatitatem gloriamque vident, atque paradisi gaudio ac voluptate fruuntur : quod particularis fruitio dicitur; ad perfectam autem perfruitionem quod attinet, eam in resurrectione una cum corpore adipiscentur*, quemadmodum ex dictis nostrorum Ecclesiæ Patrum didicimus. His dictis stans et credens orientalis nostra Christi Ecclesia perfectam sanctorum in futuro sæculo fruitionem secundum veritatem profitetur, atque Latinorum rejicit opinionem, quæ dicit sanctos perfectæ beatitudinis jam compotes esse[2]. »

1. *Op. cit.*, t. II, p. 544-546.
2. « Ἀλλὰ καὶ οὗτοι πάντες ἐννοοῦσι τὴν μερικὴν καὶ ὄχι τὴν τελείαν ἀπόλαυσιν, καθόσον αἱ τῶν ἁγίων ψυχαὶ βλέπουσι καθὸ ψυχαὶ τὴν μακαριότητα καὶ δόξαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἔχουσιν εὐφροσύνην καὶ αἴσθησιν τοῦ παραδείσου, καὶ τοῦτο λέγεται μερικὴ ἀπόλαυσις. » Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 200-201.

Ergo Orientales tres *imperfectæ beatitudinis* species vicissim enumerant; quarum prima doctrinæ catholicæ non repugnat, tertia cum ea omnino congruit, secunda sola ei adversatur. Cuinam autem ex his tribus præfati præsules suffragati fuerint, quis nos docebit? Num tres simul amplexati fuerint? Porro iidem sequenti anno (1723) ad Russos mittebant Dosithei *Confessionem fidei*, tanquam *Orthodoxiæ* normam omnino servandam, quam in suo capite VIII visionem Dei immediatam animabus sanctorum tribuere supra didicimus[1]. Anno autem 1727, in synodo Constantinopolitana alia fidei professio, Chrysanthi dicta, fidelibus orthodoxis proponebatur, in qua ambigua iterum et incerta de animarum sanctorum beatitudine enuntiabantur :

« Quod ad sanctorum felicitatem attinet, id credere oportet, scilicet alterum Domini adventum ad perfectam absolutissimamque gloriam ac beatitudinem a sanctis usque ad corporum resurrectionem exspectari; nunc autem, priusquam fiat universa illa remuneratio, illos absque corporibus carptim felicitate frui; non enim minus nunc Paulus spiritu intuetur in cælo, quam cum apud nos degens, corpore in paradisum raptus est, aut cum Moyses et Elias in Thabore cum apostolis increato divinissimoque lumine delectabantur, ita ut omnibus, qui secundum Apostolum amatores Christi facti sunt, cum illo inclamare liceat : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (Phil., I, 23)[2]. »

Cum Confessionis hujusmodi auctores doctrinæ palamiticæ addicti fuerint, et animabus sanctis fruitionem divini luminis jam nunc concedant, constat illos retributioni immediatæ potius favere quam dilationi; res tamen extra omnem

1. P. 59.
2. « Πιστεύειν χρὴ ὅτι τὴν δευτέραν τοῦ Κυρίου παρουσίαν εἰς τελείαν καὶ πληρεστάτην δόξαν τε καὶ μακαριότητα οἱ ἅγιοι περιμένουσιν ἐν τῇ μετὰ σώματος ἀναστάσει, νῦν δὲ ἄνευ σώματος μέχρι τῆς παγκοσμίου ἐκείνης ἀνταποδόσεως ἀπολαύουσιν ἐν μέρει τῆς μακαριότητος, » κτλ. Mansi-Petit, *ibid.*, col. 901.

dubitationem non est, quia beatitudinis particularis indoles in obscuro relinquitur.

Sed de tempore retributionis, seu de duplici animarum defunctorum statu jam satis. Nunc autem nobis inquirendum est de *medio* seu *tertio* animarum statu, quem Ecclesia catholica nomine *purgatorii* jam a multis sæculis designat.

ARTICULUS IV

De theologis qui statum medium seu tertiam classem animarum admittunt [1].

I. — Prænotamina.

Ut supra diximus, quæstio de purgatorio inter Græcos et Latinos vel anno 1231 finiente, vel anno 1232 ineunte agitari incepit. Cum autem omnia fere, quæ ad hanc spectant, a polemistis antilatinis discussa, controversa vel negata fuerint, sedulo distinguendum est : 1º inter ea quæ ad fidem catholicam pertinent, et ea quæ definita non sunt; 2º inter ea quæ, etsi nondum definita, certa tamen a theologis catholicis communiter habentur, et ea quæ omnino secundaria et accidentalia sunt, liberaeque patent doctorum disputationi.

Jam vero quid in hoc capite ad doctrinam catholicam definitam pertineat, ex Confessione fidei Michaelis Palæologi necnon ex decreto Florentino supra relatis facile colligitur. Hoc breviter contraxit Tridentinum, dicens : *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari* (sess. xxv); quæ verba professioni fidei a Pio IV dictæ inserta sunt. Nota tamen duas veritates inter se distinctas, quanquam

1. Duæ de doctrina purgatorii apud Græco-Russos exstant dissertationes optimæ notæ, quanquam in non paucis imperfectæ, scilicet 1º *Das dogma der griechischen Kirche vom Purgatorium* Valentini Loch, Ratisbonnæ, 1842; 2º Caput iv operis A. Bukovoskii jam laudati : *Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie*, Parderborn, 1911, p. 143-205. Multa etiam perutilia continent libri Leonis Allatii *De utriusque Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua in dogmate de purgatorio consensione*, Romæ, 1655, et Petri Arcudii *De purgatorio igne contra Barlaamum*, Romæ, 1637.

invicem intime connexas, hic enuntiari, videlicet existentiam purgatorii et efficaciam suffragiorum vivorum pro defunctis. In præsenti articulo, sermo est potissimum de existentia purgatorii. De efficacia suffragiorum pro mortuis disseremus in tertio capite hujus tractatus.

Quid nomine purgatorii in se spectati intendat Ecclesia catholica, presse definiendum est. Primum quidem ipsa vox *purgatorium, substantive* sumpta (græce καθαρτήριον, et etiam πουργατόριον), neque in sacris Scripturis neque in traditione octo priorum sæculorum occurrit [1]; inde vero a sæculo xi, apud Occidentales communis evasit [2]. Græcis Cypri insulæ, jussu Innocentii papæ IV, anno 1254 primum proposita fuit, ut supra retulimus [3], et quidem tanquam directe designans *locum purgationis* [4]. Num vero in textu *latino Confessionis Michaelis Palæologi*, prout in concilio Lugdunensi recitata est, occurrerit, dubium remanet [5]; in versione autem græca ejusdem hæc verba legebantur : τούτων τὰς ψυχὰς ποιναῖς πουργατορίου ἤτοι καθαρτηρίου μετὰ θάνατον καθαρίζεσθαι [6]; quæ exstant etiam in Confessione ab Andronico Palæologo missa ad papam Joannem XXI, anno 1277 [7]; item in Confessione Joannis V Palæologi anno 1369 coram legatis Urbani V recitata [8]. In propria autem fidei professione, quam Joannes Veccus patriarcha ad Joannem papam XXI anno 1277 direxit, non purgato-

1. Bene autem apud Patres græcos inveniuntur verba καθαρισμός, καθαρίζεσθαι, et etiam πῦρ καθαρτήριον seu καθαρτικόν, de cujus tamen natura et significatione theologica haud raro ambigendi manet locus.
2. Occurrit jam apud Hildebertum Cenomanensem, *Sermo* lxxxv, *P. L.*, t. clxxi, col. 741.
3. P. 39.
4. Nota hanc epistolam Innocentii IV non esse definitionem fidei ex cathedra.
5. Ratio dubitandi est quod in textu latino vulgato Confessionis legitur : *poenis purgatoriis* seu *catharteriis*. In textu autem latino Confessionis, prout missa est a Michaele Palæologo, anno 1277, et iterum anno 1279, lectio est : *pœnis purgatoriis seu catharterii*; cf. A. Theiner et Miklosich, *Monumenta spect. ad un. Eccles.*, p. 9.
6. Hardouin, *Collectio concil.*, t. vii, col. 696.
7. A Theiner et F. Miklosich, *op. cit.*, p. 17.
8. *Ibid.*, p. 42.

rium ipsum, sed *ignis purgatorius* memorabatur : τούτων τὰς ψυχὰς πυρὶ καθαρτηρίῳ μετὰ θάνατον καθαρίζεσθαι [1]. In decreto Florentino, neque latine neque græce vox *purgatorium* usurpatur, sed habetur tantum : *pœnis purgatoriis post mortem purgari* : ποιναῖς καθαρτικαῖς μετὰ θάνατον καθαρίζεσθαι. Cum autem hujusmodi vox a concilio Tridentino non semel in decretis definitoriis adhibita fuerit [2], et in Confessione fidei Pii IV item occurrat, auctoritate catholica jam obsignata dicenda est eodem titulo et jure ac alii termini dogmatici ab Ecclesia probati ad exprimendas fidei veritates, ut ὁμοούσιος, φύσις, ὑπόστασις, transsubstantiatio. Adverte vero Græco-Russos dissidentes fere omnes hoc nomen semper respuisse et adhuc respuere, utpote tum in sacra Scriptura tum in antiqua traditione inauditum, quanquam ex eis multi de ipso dogmate nobiscum conveniunt, ut ex mox dicendis apparebit

Quod autem hac voce *dogmatice* significatur est animarum *status specialis post mortem*, inter statum beatitudinis et statum damnationis *medius*, in quo animæ justorum (seu eorum qui in Dei caritate decesserunt), hac in vita nondum perfecte purgatorum, antequam in cælum admittantur, pœnis purificatoriis mundantur. Hic status vocatur *medius* et appellari etiam potest *tertius status*; qua denominatione nos plerumque utemur, ne quis confundat hunc statum medium cum illa μέσῃ καταστάσει, de qua loquuntur theologi græci; quæ, ut diximus, statum animarum in genere ante judicium universale designat. Tertius status implicat necessario tertiam classem animarum separatarum, ita ut qui illum admittit, hanc etiam admittere logice cogatur. Posset autem quis statuere triplicem classem animarum, quin tertium statum reciperet; si, v. g., distingueret duplicem speciem peccatorum, eorum videlicet, qui dum in terra viverent, erant in malo omnino indurati, et eorum qui decesserunt uno solo peccato mortali, vel pluribus non ex gravissimis onerati. Hæc tamen distinctio esset omnino accidentalis; quam introducunt quidam theologi dissidentes.

1. *Ibid.*, p. 26.
2. In sessione VI, can. 10 (de poena temporali) et in sessione XXV.

Nos autem in præsenti articulo agimus de iis, qui tum tertium statum tum tertiam classem animarum admittunt *re saltem*, si *non verbo*.

Ratio purgatorii duplex est : pœna scilicet temporalis peccato remisso debita et in terris non expiata, et peccata venialia quibuscum quidam justi moriuntur. Ex his duabus rationibus prima tantum videtur explicite definita; altera autem, etsi certa et omnino tenenda, in definitionibus de purgatorio non ponitur. In Confessione enim Michaelis Palæologi necnon in decreto Florentino simpliciter dicitur : « Item definimus, si vere paenitentes in caritate decesserint, *antequam dignis paenitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis* » etc.; quod de sola pœna temporali peccato jam remisso debita intelligi posse videtur. Item, in canone Tridentino de pœna temporali, purgatorium designatur tantum ut status vel locus *in quo exsolvitur reatus pœnæ temporalis* peccatis remissis debitæ. Fuerunt autem quidam theologi græco-russi qui docuerunt peccata venialia in homine justificato semper remitti a Deo in mortis instanti, ita ut ipsis ratio purgatorii, si forte illud admiserint, potuerit esse sola pœna temporalis; quam si etiam negaverint, ratio tertii status omnino tolletur.

Purgatorium est de fide definitum ut *status* specialis. Estne etiam definitum ut *tertius locus* a cælo et ab inferno distinctus? Concilium Tridentinum videtur quidem purgatorium ut quemdam locum proponere, dum dicit; « animasque *ibi* detentas fidelium suffragiis juvari ». Item in Confessione Michaelis Palæologi et in decreto Florentino *purgatorium a cælo clare distinguitur*, ubi dicitur animas, suis corporibus exutas, quæ « post contractam peccati maculam fuerint purgatae, *in cælum mox recipi* ». Præterea certum omnino est animas tertii status debere esse *alicubi*. Dicendum ergo est : 1° purgatorium definitum esse ut locum, *quatenus status trahit secum necessario locum quemdam* [1], ita ut ubi fuerit aliqua anima tertii status, ibi etiam sit purgatorium; 2° definitum esse etiam ut locum *a cælo*, *qua loco*,

1. Vocem *locus* hic sumimus in sensu vulgari pro *praesentia in definita orbis creati parte*, non vero *in sensu stricte philosophico*, qui nonnisi corporibus congruit.

distinctum; 3º non esse autem definitum ut *locum in certa spatii parte situm*, ita ut Ecclesia nos non doceat *ubinam* inveniatur purgatorium, et in specie : *utrum realiter distinguatur ab inferno ut loco.* Purgatorium *ut status* certe distinguitur ab inferno ut *statu damnationis*; sed definitum non est purgatorium ut *locum* esse realiter distinctum ab inferno *ut loco.* Unde theologi dissidentes qui negant existentiam tertii loci ab inferno ut loco distincti, sed admittunt tertium statum a cælo et ab inferno differentem et tertiam animarum classem, dicuntque hujusmodi animas *in aliqua inferni parte seu mansione* detineri, dogmati catholico definito non contradicunt, et sub hoc respectu non sunt notandi tanquam hæretici.

Ad pœnas tertii status quod attinet, definitum est animas ibi detentas privari Dei beatifica visione, cum in cælo non sint. De aliis pœnis, et in specie, *de igne purgatorio*, intellecto ut pœna sensus a privatione visionis beatificæ distincta, nihil est definitum, quanquam de hac quæstione Græci et Latini sæpe sæpius inter se contenderunt. Et hoc sedulo advertendum est, cum controversiæ inter utrosque de solo igne haud raro fuerint.

De duratione purgatorii pro unaquaque anima nihil est definitum. De duratione vero purgatorii in genere, certum est illud desiturum esse in secundo Christi adventu.

Item theologice certum est animas in purgatorio securas esse de sua salute, contra Lutherum, cujus propositio 38 a Leone X damnata sic se habebat : « Animæ in purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem non omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendæ caritatis ». Hoc logice fluit ex natura judicii particularis.

Certum est et fidei proximum pœnas, quas animæ in purgatorio sustinent, eis prodesse et vere conferre ad earum purificationem et a purgatorio liberationem, ita ut, etiamsi nulla suffragia a fidelibus vel ab Ecclesia pro eis fierent, aliquando tamen, *vi ipsarum pœnarum quas patiuntur*, a carcere liberarentur atque ad cælum evolarent. Hoc directe opponitur opinioni multorum Græco-Russorum, præsertim inter recentiores, qui docent animas tertii status *solis Ecclesiæ precibus liberari*, ita ut si nulla pro eis suffragia a vivis offerrentur, e suis pœnis nunquam eximerentur : quod aperte pugnat tum cum statu et indole illarum animarum, quippe quæ justæ sunt, tum cum ratione *purgationis*, quæ pœnis tribuitur. Per se patet etiam gravitatem durationemque pœnarum a Deo statui pro mensura peccatorum venialium in vita non remissorum et debiti pœnæ temporalis, quod mortis tempore luendum manet.

His ita definitis, de theologis græco-russis, qui sæculorum decursu existentiam tertii status seu classis animarum separatarum docuerunt, in præsenti articulo dicendum est. Cum autem libros liturgicos Græcorum de quacumque materia dogmatica consulere opportunum sit, quid de doctrina purgatorii ipsi contineant primum inquirimus.

II. — Doctrina de tertio statu in libris liturgicis Græcorum.

Ecclesiam græco-russicam pro mortuis orare luce clarius est, atque de hac pia praxi plura infra dicemus. Pro quibusnam autem defunctis oret, præcise determinandum est. Primum quidem pro sanctis orare videtur; de qua oratione ejusque significatione in tertio capite disseremus. Pro damnatis preces etiam effundere quibusdam visa est; de quorum opinione in sexto hujus capitis articulo sermo erit. Certum autem omnino est illam potissimum orare pro quodam ordine defunctorum, qui neque inter beatos in cælo versantes, neque inter impios, infideles et desperatos, id est, inter damnatos, recenseri possunt; qui videlicet in libris liturgicis denominationibus sequentibus designantur :

1º Denominatio latior, quæ et frequentius, occurrit, est hæc : οἱ ἐν πίστει κεκοιμημένοι, *qui in fide obdormierunt*, vel synonymæ locutiones : οἱ πιστοὶ μεταστάντες, οἱ πιστῶς μεταστάντες, ὁ πίστει κοιμηθείς, ὁ μεταστὰς πίστει. etc. [1]

1. Præcipuos textus liturgicos de oratione pro defunctis medii seu tertii status invenies : 1º in *Euchologio* (*Liturgiæ* et diversi *Ordines* seu ἀκολουθίαι *sepulturæ* : *unius orthodoxi*; *monachorum*; *unius sacerdotis*; *laicorum*); 2º in *Triodio*, ad sabbatum τῆς 'Απόκρεω; 3º in Πεντηκοσταρίῳ, ad *Sabbatum animarum*, ψυχοσάββατον, id est ad vigiliam Pentecostes. De argumento liturgico multa habet Allatius, *op. cit.*

2º Alia denominatio non ad fidem, sed ad spem refertur, et jam pressius distinguit defunctos in *medio statu* versantes. Ex hoc enim quod quis dicitur hac vita cessisse *cum spe gloriosæ resurrectionis et vitæ æternæ*, satis clare innuitur eum etiam in caritate defunctum esse : οἱ (vel ὁ) ἐπ'ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου κοιμηθέντες vel μεταστάντες — οἱ ἐπ'ἐλπίδι ἀναστάσεως κεκοιμημένοι. In *Liturgia sancti Joannis Chrysostomi*, ad commemorationem vivorum et mortuorum quæ consecrationem sequitur, sacerdos dicit : Καὶ μνήσθητι πάντων τῶν προκεκοιμημένων ἐπ'ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου : Memento etiam omnium qui *in spe resurrectionis vitæ æternæ* jam dormierunt.

3º Fides et spes aliquando in eadem locutione uniuntur : ὁ πίστει θανεὶς ἐπ'ελπίδι τῆς αἰωνίου ζωῆς : *Qui in fide mortuus est cum spe æternæ vitæ* (*Ordo sepulturæ sacerdotis*). In commemoratione omnium defunctorum, quæ fit sabbato τῆς 'Απόκρεω (= Sabbato ante dominicam Sexagesimæ), hæc oratio invenitur : « Πάντες δυσωπήσωμεν Χριστόν, τελοῦντες μνήμην σήμερον τῶν ἀπ'αἰῶνος νεκρῶν, ἵνα τοῦ αἰωνίου πυρὸς αὐτοὺς ῥύσηται πίστει κεκοιμημένους καὶ ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου : Christum deprecemur omnes, memoriam hodie celebrantes eorum omnium qui a sæculo mortui sunt, ut ab igne æterno liberet eos *qui in fide et spe vitæ æternæ obdormierunt.* »

4º In quibusdam locutionibus, defunctos pro quibus preces effunduntur in Dei caritate decessisse haud obscure significatur. Ita, in prima commemoratione defunctorum, quæ in *Liturgia sancti Joannis Chrysostomi* ad *prothesim* fit, dum μερίδες (particulæ) exsecantur, sacerdos orat « pro omnibus orthodoxis patribus et fratribus nostris, qui *in spe resurrectionis vitæ æternæ et in tua communione*, Christe hominum amator, dormierunt : καὶ πάντων τῶν ἐν ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου τῇ σῇ κοινωνίᾳ κεκοιμημένων ὀρθοδόξων πατέρων καὶ ἀδελφῶν ἡμῶν, φιλάνθρωπε Κύριε, συγχώρησον. » In *Officio sepulturæ unius sacerdotis*, hæc verba in ode nona leguntur : « ὡς ὀρθοδοξίᾳ καὶ μετανοίᾳ σοι προσδραμόντα ἐν πίστει : qui ad te migravit *in recta fide et paenitentia.* » Item non semel occurrit locutio : εὐσεβῶς μεταστάντες : qui *pie* vita migrarunt.

Ex hujusmodi locutionibus, præsertim si eas in unum colligas et simul consideres, clare apparet Ecclesiam græco-

russicam tertium ordinem defunctorum inter beatos et damnatos medium discernere et agnoscere; pro quibus *potissimum* — num *exclusive*, postea videbimus — preces effundit. Quid autem pro eis a Deo postulet, videamus :

1º Primo quidem pro eis petit *remissionem peccatorum* : *Domine Christe rex, omnibus servis tuis peccatorum, quæ commiserunt, remissionem concede*[1]. — *Condona illis culpas voluntarias et involuntarias*[2]. — *Tua misericordia a peccatis libera servum tuum, quem in fide ad te transtulisti*[3].

2º Petit liberationem a *pœna*, a *tormentis inferni*, immo ab *igne æterno et a quocumque supplicio* : Libera eos a *gehenna* et ab *amaritudine tormentorum*[4]. — Ab *igne terribili* libera, hominum amator, servos Ecclesiæ sanctæ tuæ[5].— Ab *igne semper ardente*, et a *densis tenebris*, *a stridore dentium* et *verme semper puniente*, et ab omni pœna erue, Salvator noster, omnes qui *in fide mortui sunt*[6]. Quomodo hi et his similes loci interpretandi sint, cum ex contextu pateat agi non de damnatis, sed de *mediis*, alii aliter explicant. Quod enim de inferno *quoad pœnam sensus* dicitur, de purgatorio ut parte inferni *sensu latiori* accepti, servatis servandis, affirmari potest ; quod si textus supra dictos in hunc sensum acceperis, libros liturgicos Græcorum ignem purgatorii docere recte concludes. — Communior tamen est illa interpretatio, quam profert Allatius :

1. « Δέσποτα Χριστὲ βασιλεῦ, τῶν πταισμάτων ἄφεσιν παρέχων αὐτοῖς, ὧν ἐξήμαρτον οἱ δοῦλοί σου. » *Officium sabbati animarum.*

2. « Ἄφες αὐτοῖς τὰ ἑκούσια πταίσματα καὶ τὰ ἀκούσια. » *Ibid.* In duplici commemoratione defunctorum, in *Missa S. Joannis Chrysostomi*, sacrificium offertur ὑπὲρ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν defunctorum, ὑπὲρ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου.

3. *Officium sepulturæ sacerdotis.*

4. « Ῥῦσαι τῆς γεέννης καὶ πικρίας βασάνων. » *In sabbato animarum.*

5. « Ῥῦσαι πυρὸς τοῦ φοβεροῦ δούλους, φιλάνθρωπε, Ἐκκλησίας σου σεπτῆς. » *Ibid.*; cf. orationem mox laudatam *in sabbato* τῆς Απόκρεω : πάντες δυσωπήρωμεν Χριστὸν, κτλ.

6. « Πυρὸς ἀεὶ φλέγοντος καὶ ἐκ σκότους ἀφεγγοῦς, βρυγμοῦ ὀδόντων καὶ σκώληκος ἀλήκτως κολάζοντος καὶ πάσης τιμωρίας ῥῦσαι, Σωτὴρ ἡμῶν, πάντας τοὺς θανόντας πιστῶς. » *In sabbato* τῆς 'Απόκρεω.

« In his precibus, ait ille, Græci uno pede ambulant cum Ecclesia romana : nam quem ipsi vocant ignem gehennæ et ignem æternum, Romana mortem æternam, profundum lacum, os leonis et tartarum nuncupat : *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda*, etc., in exsequiis defunctorum; et post Evangelium, in Missa : *Libera, Domine, animas fidelium defunctorum; ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum... Fac eas transire de morte ad vitam.* Et cum Romani et Græci nullum finem pœnis infernalibus ponant, nec orent pro damnatis, quos preces non adjuvant, necesse est, ut orent pro iis, quibus eas futuras proficuas opinantur, pro iis scilicet, qui cruciantur in purgatorio igne. Quare igitur ignem purgatorium et exstinguendum ignem æternum et mortem æternam appellant? Multis de causis, quas et Romani et Græci etiam recitant, sed ea potissima fuerit : Ecclesiam et orantes orare *secundum quamdam anticipationem et repræsentationem*. Nam tum repræsentant animas eo puncto, quo a corpore exeunt, et ad judicium referuntur. Tum enim illis optant et mite judicium et liberationem a pœnis inferni, cum adhuc tempus remanet propitium, et possunt paenitentiam agere et pro delictis indolere : quod ex iisdem verbis apertissime colligitur. Precantur siquidem liberari a pœna aeterna in die illa tremenda, quæ tempore quo oratur non adest, sed quando futura sit, Deus scit. Idque magis etiam innotescit, quod jam defunctum quasi spirantem adhuc introducit loquentem : *Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira.* Non ergo sermo est de rebus præsentibus et jam actis, sed de futuris pro quibus supplicant. Ergo supplicant per anticipationem, et repræsentant morientem hominem et exspirantem, non eum qui jam mortuus est et exspiravit [1]. »

3° Sæpissime pro eis postulat Ecclesia *quietem, locum lucidum, ubi splendet lumen vultus Dei, a quo abest tristitia et gemitus* [2]; *requiem in terra viventium, in tabernaculis justorum* [1]; *bonorum æternorum possessionem* [2]; *paradisi delicias* [3]; *æternum gaudium* [4]; *requiem in locis otii, in loco refrigerationis cum sanctis Dei* [5], *cum spiritibus sanctorum consummatorum* [6]; *cælorum regnum* [7]; vitam æternam [8]; *beatitudinem æternam* [9], etc.

1. Allatius, *De purgatorio*, p. 263-264.
2. « Ὑπὲρ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου N. ἐν τόπῳ φωτεινῷ, ἔνθα ἀπέδρα λύπη καὶ στεναγμὸς ἀνάπαυσον αὐτήν, ὦ Θεὸς ἡμῶν, καὶ ἀνάπαυσον αὐτὴν ὅπου ἐπισκοπεῖ τὸ φῶς τοῦ προσώπου σου. » *Liturgiæ sancti Joannis Chrysostomi et sancti Basilii.*

Nec desunt orationes, quibus hæc omnia simul postulantur. In *Officio communi exsequiarum*, sacerdos, in principio, hæc precatur :

« Adhuc oramus pro requie animæ servi Dei defuncti, ut ei dimittatur omne delictum voluntarium et involuntarium; ut Dominus Deus collocet animam ejus ubi justi requiescunt. Misericordias Dei, regnum cælorum et remissionem peccatorum ejus a Christo rege immortali et Deo nostro petamus [10]. »

In quodam antiquo documento nuper edito sequentia occurrunt : « Fratribus jam defunctis tribue remissionem peccatorum, a pœna liberationem, et in terra viventium requiem, ubi inspectio vultus tui oblectat sanctos tuos, qui a saeculo fuerunt [11]. »

1. « Διὸ, Σῶτερ, τοὺς δούλους σου ἐν χώρᾳ ζώντων, ἐν σκηναῖς δικαίων ἀνάπαυσον. » *Officium sabbati animarum.*
2. « Οὓς ἐκ γῆς μετέστησας πιστούς, αἰωνίων ἀγαθῶν τυχεῖν ἀξίωσον. » *Ibid.*
3. « Ἐν τρυφῇ παραδείσου κατασκήνωσον. » *Ibid.*
4. « Ἔνθα καταλάμπει σου τὸ φῶς, τῆς αἰωνίου χαρᾶς καταξίωσον. »
5. « Ἐν τόποις ἀνέσεως, ἐν τόπῳ ἀναψύξεως πάντας ἀνάπαυσον μετὰ τῶν ἁγίων σου. » *Officium sabbati* τῆς Ἀπόκρεω.
6. « Μετὰ πνευμάτων δικαίων τετελειωμένων τὴν ψυχὴν τοῦ δούλου σου, » *Officium sepulturæ.*
7. « Σῶτερ, ἀνάπαυσον. » *Ibid.*
8. « Μετὰ τῶν ἁγίων ἀνάπαυσον τὴν ψυχὴν τοῦ δούλου σου, ἔνθα..... ζωὴ ἀτελεύτητος. » *Ibid.*
9. « Τὴν ἐν κόλποις Ἀβραὰμ ἀνάπαυσον... τούτῳ δωρούμενος, καὶ τῆς αἰωνίου ἀξιῶν μακαριότητος. » *Ibid.*
10. « Ἔτι δεόμεθα ὑπὲρ ἀναπαύσεως τῆς ψυχῆς τοῦ κεκοιμημένου δούλου τοῦ Θεοῦ, καὶ ὑπὲρ τοῦ συγχωρηθῆναι αὐτῷ πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον. Ὅπως Κυριος ὁ Θεὸς τάξῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἔνθα οἱ δίκαιοι ἀναπαύονται· τὰ ἐλέη τοῦ Θεοῦ, τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν καὶ ἄφεσιν τῶν αὐτοῦ ἁμαρτιῶν παρὰ Χριστῷ τῳ ἀθανάτῳ βασιλεῖ καὶ Θεῷ ἡμῶν αἰτησώμεθα. » *Ibid.*
11. « Δὸς δὲ καὶ τοῖς προκεκοιμημένοις ἀδελφοῖς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ολάσεως ἀπολύτρωσιν καὶ ἀνάπαυσιν ἐν τῇ τῶν ζώντων χώρᾳ, ὅπου

Cum autem theologi dissidentes non pauci contendant *purificationem* seu *purgationem* animarum non dari post mortem, sed tantummodo *liberationem* per Ecclesiæ preces, juvat illis objicere quosdam textus ex libris liturgicis excerptos, ubi occurrunt voces *purificatio*, *purgare*, καθαρισμός, καθαίρειν, etc. In *Typico* Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ubi sermo est de commemorationibus tertii, noni et quadragesimi diei pro defuncto, dicitur *hæc celebrari pro purgatione mortui*, τελοῦνται ὑπὲρ καθαρισμοῦ τοῦ ἀποθανόντος [1]. In *Officio sepulturæ* pro defuncto sic oratur : « Imago sum tuæ ineffabilis gloriæ, licet delictorum stigmata geram. Miserere, Domine, creaturæ tuæ, et *purga me* misericordia tua, καὶ καθάρισον σῇ εὐσπλαγχνίᾳ. » Et iterum : « Quem e terra assumpsisti, filium lucis effice, *a caligine peccati eum expurgans*, o multum misericors : τῆς ἁμαρτίας τὴν ἀχλὺν ἐκκαθαίρων, πολυέλεε [2]. »

De tertio loco ut ab inferno distincto nihil habent liturgici libri, nisi pro purgatorii loco accipere velis *telonia*, ut fecerunt quidam theologi dissidentes.

Inter documenta liturgica referendæ sunt illæ formulæ absolutionis defunctorum, de quibus quædam alibi [3] diximus. Alii aliter eas explicant. Cum autem in plerisque formulis hujusmodi dicatur absolutionem respicere peccata jam confessa, de quibus tamen non facta est digna pænitentia, vel peccata inculpabiliter, aut ex levi negligentia in confessione omissa, colligitur hujusmodi absolutionem concedi tantum animabus tertii seu medii status, non vero animabus damnatorum.

Ad probandam vero existentiam alicujus ignis animarum tertii status purgativi, quem Græci fere omnes semper rejecerunt, argumentum sumi potest ex alio documento liturgico, ex illa videlicet *de iis qui in fide dormierunt dissertatione*, sancto Joanni Damasceno vulgo sed immerito tributa, quam Græco-Russi in officio sabbati τῆς Ἀπόκρεω legere consueverunt [1]. Quanquam auctor anonymus hujus tractatus quædam habet quæ liberationi quorumdam damnatorum per vivorum suffragia favere videntur, ut infra ostendemus, attamen efficaciæ orationis pro mortuis sequens affert exemplum, quod nonnisi de quodam purgatorii incola bene intelligi potest :

« Alteri cuipiam divinorum Patrum cujus discipulus quidam negligenter vixerat (ἐν ἀμελείᾳ βιοῦντα), et in ea negligentia vitam finierat, misericordissimus animarum amator Dominus, senis lacrymis et precibus motus, hunc ad collum usque igne, divitis instar qui in Lazari parabola memoratur, flagrantem primum ostendit. Cum deinde senex multis se laboribus afflixisset, Deum assiduis fletibus obsecrando, rursus ad zonam usque flammarum incendio mersum vidit. Demum, postquam vir sanctus labores laboribus addiderat, liberum illum prorsus atque ab igne exemptum per visum Deus seni ostendit [2]. »

Haud facile capimus quamobrem Græci, qui quotannis talia legerint, in ignem purgatorii Latinorum tam vehementer invecti sint.

ἡ ἐπισκοπὴ τοῦ προσώπου σου εὐφραίνει τοὺς ἀπ'αἰῶνος ἁγίους σου. » M. Gedeon, Ἀρχεῖον τῆς ἱστορίας, t. III, p. 368.

1. Τυπικὸν τῆς μεγάλης Εκκλησίας, ed. Athen., 1897, p. 392.

2. Alios textus affert Allatius, *op. cit.*, p. 147, inter quos hic notandus est : « Πταισμάτων οὖν ἄφεσιν τοῖς μεταστᾶσι, Χριστέ, δίδου, καὶ τῇ χαρίτι τῇ σῇ κεκαθαρμένους αὐτοὺς ἀνάδειξον : *Delictorum remissionem defunctis, Christe, præsta, et tua gratia expurgatos eos ostende.* »

3. Cf. t. III, p. 386 sq.

1. Hic tractatus occurrit jam in quodam codice sæculi IX. F. Diekamp, *Johannes von Damaskus : Ueber die in Glauben Entschlafenen*, in *Römische Quartalschrift*, 1903, p. 371-382, putat eum esse Damasceni genuinum fetum; cui nos nullo pacto assentiri possumus, tum ob styli differentiam, tum præsertim ob sententiarum discrepantiam. Dum enim doctor Damascenus doctrinam omnimo certam et definitam habet de *immutabili statu* animarum post mortem et judicium particulare, — vocat enim mortem *consummationem particularem*, συντέλεια μερική; cf. *De fide orthodoxa*, l. II, 2, *P. G.*, t. XCIV, col. 864; *Contra Manichaeos*, 37, 75, *ibid.*, col. 1544, 1573; auctor anonymus a judicio particulari plerumque abstrahit, efficaciam orationis pro mortuis nimis extollit et ultra debitos limites extendit.

2. « Εἶτα καὶ αὖθις κόπους τοῖς κόποις τοῦ ἁγίου προσθέντος, παντελεύθερον καὶ τοῦ πυρὸς λελυτρωμένον ἐν ὀπτασίᾳ τῷ γέροντι δέδειχε. » *De iis qui in fide dormierunt*, 11, *P. G.*, t. XCV, col. 256.

III. — De tertii status assertoribus qui a sæculo IX usque ad concilium Florentinum vixerunt.

Non desunt apud antiquos Patres græcos testimonia doctrinæ catholicæ de purgatorio in iis quæ ad dogmatis summam pertinent, aperte suffragantia; ex quibus præcipua refert auctor ille anonymus tractatus *de iis qui in fide dormierunt*, de quo mox loquebamur. Cum autem hoc opusculum, sæculo IX certe haud inferius, *Triodio* Græcorum mox insertum fuerit, magni interest doctrinam in eo propositam diligenter investigare; quippe quæ apud Byzantinos communis evaserit, antequam illa de purgatorio igne controversia inter Græcos et Latinos sæculo XIII exardesceret.

Jam vero hujus dissertationis auctor eos qui contendunt nihil emolumenti defunctis obvenire ex precibus et piis operibus, quæ a vivis pro ipsis fiunt, confutare sibi proponit; quod ut præstet, testimonium bene notum libri II Machabæorum primum laudat; deinde quosdam textus Patrum græcorum, Dionysii videlicet Areopagitæ, Gregorii Nazianzeni, Chrysostomi, Gregorii Nysseni recitat; factis demum historicis efficaciam suffragiorum pro mortuis demonstrare nititur. Narrat siquidem historiam Falconillæ gentilis et idolorum cultricis, quam suis precibus sancta Thecla, prima inter feminas martyr, ab inferno liberavit. Refert etiam quod in *Historia Lausiaca Palladii* olim legebatur [1] de illo idolorum pontifice, cujus exsiccatam calvariam Magnus Macarius Aegyptius in hunc modum quondam interrogaverit : *Nunquamne aliquid solatii inveneritis?* Cui, Deo sic jubente, calvaria hoc dedit responsum : *Quando preces pro defunctis offers, tunc nonnihil solaminis sentimus* [2]. Postea venit narratiuncula de negligente discipulo a suo spirituali patre per preces et labores ab igne liberato; et paucis interjectis, mentio fit liberationis Trajani imperatoris precibus sancti Gregorii Magni seu Dialogi : « Hic enim, per stratam viam aliquando incedens deditaque opera consistens, vali-

1. Hæc narratio in textu vulgato *Historiæ Lausiacæ* non occurrit.
2. « Ὅτε ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τὰς δεήσεις προσφέρεις, τότε μικρᾶς παραμυθίας τινὸς αἰσθαινόμεθα. » *Op. cit.*, 10, *P. G.*, t. XCV, col. 256.

dam orationem pro Trajani delictorum condonatione ad animarum amantem Dominum fecit, moxque hujusmodi vocem divinitus emissam audivit : *Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignosco. Tu vero posthac cave ne preces mihi pro impiis offeras.* Quod hoc verum sit, ait Anonymus, atque indubitatum, totus Oriens Occidensque testatur. Hoc vero præstantius est quam quod de Falconilla refertur. Hæc enim, præter cultum idolorum, nullius sceleris conscia erat; ille vero plurimos martyres dirissima morte affecerat [1]. »

Hujusmodi exemplis, quæ inter fabulas, si tertium forsan excipias, critici deputare solent, de quorum tamen historica veritate neque Anonymus neque plerique Byzantini unquam dubitarunt, auctor se ultra scopum aliquatenus processisse animadvertens, adversario objicienti : *Si res ita se habet, omnes salutem consequentur*, respondet a beneficio suffragiorum, quæ pro defunctis offeruntur, excludi eos « qui flagitiosam vitam undique spinis obsitam impurisque confertam materiis, posthabitis conscientiæ consiliis, duxerint; quin per summam licentiam et accuratioris vitæ neglectum in voluptatum cœno hæserint, explendoque omnia carnis desideria, omissa ex toto animæ cura, sensum omnino carnalem habuerint. Hi, si in eo statu intercepti, e vita migraverint, neminem qui manum porrigat nanciscentur; sed ita omnino cum eis agetur, ut ne ab uxore quidem, aut liberis, aut fratribus, aut cognatis, aut amicis ullatenus adjuventur : utpote quos nec Deus quidem alicujus faciat [2]. » Eodem pacto, a salute, quam Christus ad inferos descendens animabus eorum, qui etsi fidem non habuerint, vitam tamen puram egerant, attulit, paulo ante removerat eos qui nihil boni, dum in hac vita degerent, operati sunt, neque semen justitiæ neque fructum habuerunt [3]. Quibusnam autem vivorum suffragia prosint, his verbis indicat : « Quisquis exiguum quidem virtutis fermentum collegit, nec ex eo panem facere statim sategit; sed cum id in animo habuerit, vel ob socordiam, vel incuriam, vel animi imbecillitatem

1. *Ibid.*, 16, col. 261-264.
2. *Ibid.*, 20-21, col. 265-268.
3. *Ibid.*, 13, col. 260.

vel moras quotidie trahendo, non potuit, inopinate præventus cum non speraret, et improvisa demetentis face exsectus, hic quidem apud Dominum justum judicem oblivioni non tradetur; sed ei post mortem propinquos et amicos suscitabit, quorum mentes diriget et corda trahet, ut auxilium præstent [1]. »

Demum, quinam sint qui in judicio particulari ad dexteram collocentur et salventur, quinam qui ad sinistram, et damnentur, figurata oratione significat : cujus verba supra retulimus [2] : ii soli damnantur, quorum flagitiosæ actiones in trutina divinæ justitiæ nimium præponderant præ virtutis operibus [3].

Ergo Pseudo-Damascenus docet : 1° *per miraculosam exceptionem* fieri posse, ut Deus, alicujus sanctissimi viri precibus motus, quosdam infideles et impios ab inferno liberet; hanc tamen pro impiis defunctis orationem Deum non probare, ut patet ex iis quæ ad sanctum Gregorium dicta sunt; 2° damnatos aliquid solatii ex suffragiis percipere posse, ut innuitur responso pontificis idolorum ad Magnum Macarium; 3° secundum communem divinæ justitiæ normam, animas eorum, qui impie vixerunt et sine paenitentia mortui sunt, vivorum precibus ab inferno liberari non posse; 4° suffragia potissimum prodesse animabus eorum qui segniter et negligenter virtutis operibus se dederunt, vel bonum, quod sibi animo proposuerant, morte præventi, perficere non potuerunt; 5° animas hujusmodi supplicium ignis experiri, ut ex historia discipuli a patre spirituali liberati satis clare apparet. Hanc doctrinam dogmati catholico, in iis quæ *definita sunt*, non contradicere manifestum est. Verum quidem est communem Ecclesiæ catholicæ sensum illas miraculosas ab inferno liberationes non probare, neque mitigationi pœnarum damnatorum favere; attamen contra opiniones hujusmodi nulla hactenus data est aperta definitio. In ipso decreto definitorio Benedicti papæ XII de tempore retributionis habetur : « *Secundum communem Dei ordinationem* animas peccatorum statim post mortem ad infernum

1. *Ibid.*, 21, col. 268.
2. P. 31.
3. *Ibid.*, 25, col. 272.

descendere [1]; » quod quibusdam miraculosis exceptionibus viam non præcludit. Fatendum est tamen Pseudo-Damascenum de animarum tertio statu seu ordine obscurius loqui; hujus enim status limites nimis dilatare et extendere videtur, et ab eo tantummodo excludere peccatores *perditissimos* et *omnino induratos* : « Etiamsi, inquit, trutina nonnihil ad lævam vergat, Dei quoque misericordia supplet id quod desideratur [2]. » Unde haud facile quis statuet tertium statum ab eo edoctum cum nostro tertio statu perfecte quadrare, socordiamque, negligentiam et ad paenitentiam moras, quas animabus sui purgatorii tribuit, non esse nisi peccata venialia nostræ theologiæ scholasticæ judicio. Hac indeterminatione et in terminis ambiguitate explicari potest quomodo quidam theologi byzantini posteriores et alii dissidentes, ad nostra usque tempora, quosdam peccatores cum *gravibus peccatis* vita functos, non tamen in malo ex toto induratos, precibus Ecclesiæ ab inferno liberari posse docuerint.

Cum doctrina catholica clarius sane congruunt ea, quæ a *Theophane continuato* de sorte Theophili imperatoris iconoclastæ narrantur. Cum enim hic mortuus esset, ejus uxor Theodora imaginum cultum instaurare sibi quidem animo proposuit; verum, præ tenerrimo erga virum amore, ei delictorum veniam ab Ecclesia prius obtinere voluit. Congregatis igitur Ecclesiæ Constantinopolitanæ patriarcha et clericis in hunc modum locuta est :

« Cum humanissime sacrarum imaginum restitutionem vobis indulgeam atque præbeam, rogo ut mihi, quæ præsertim domina sim ac Augusta, justam gratiam munusque reponatis... nempe ut viro meo ac imperatori eorum quæ in causa imaginum deliquit indulgentia veniaque præstetur, tantumque scelus oblivione a Deo deleatur. Sin autem minime feceritis, neque me vestra sequentem decreta habebitis. »

Cui Methodius patriarcha catholicam omnino responsio-

1. Cf. artic. *Enfer*, in *Dictionnaire de theologie catholique* (t. v, col. 99-100).
2. « Εἰ καὶ μικρὸν ἡ τρυτάνη ἡ ἐν εὐωνύμοις νεύσει, καὶ τηνικαῦτα ὁ τοῦ Θεοῦ ἔλεος ἀναπληρώσει τὸ δέον. » *Ibid.*

nem dedit : « Justa est, Augusta, petitio tua, neque nos infitias ire possumus. Aequi enim ac justi ratio postulat, ut a quibus beneficia consecuti sumus, præsertim principibus, convenientes gratias largiter rependamus, tum præsertim cum non tyrannica manus imperat, sed mens pia est et religiosa. Eum tamen qui in alteram vitam commigravit, a pœnis illi a Deo constitutis, majora nobis ipsis quam pro nostra facultate arrogantes, haudquaquam liberare possumus. Licet quidem nobis, qui ad hoc claves cœlorum concreditas a Deo accepimus, aperire omnibus qui velint, *sed his dumtaxat qui in hac vita adhuc disponuntur, priusquam in alteram commigraverint ; quin etiam quandoque his ipsis qui e vita emigraverint, cum levia sunt delicta, quibus nec desit paenitentia. His autem qui spe non bona vivis excesserint feruntque palam suæ damnationis sententiam, pœnas diluere minime possumus* [1]. »

Tum Augusta jurejurando affirmavit Theophilum, cum in mortis agone esset, de suis delictis paenitudinem manifestasse simulque imagines petiise et illas pie deosculatum esse, moxque animam exhalasse. His auditis, præsules, Augustæ mores indolemque reveriti, « communi sententia ac suffragio, dummodo res Theophili ita se haberent, ejus delicti veniam se apud Deum inventuros esse dixere, simulque rei scriptam cautionem Augustæ tradidere [2]. »

Hæc sane cum doctrina catholica plane conveniunt : Ecclesia potestatem non habet damnatos a pœnis infernalibus liberandi ; bene vero suis precibus et suffragiis succurrere potest iis, qui cum venialibus tantum, vel cum paenitentia de gravibus vita excesserunt, illosque a carcere tenebroso et pœnis aliquando eruere. Unde Byzantini præsules liberationem mariti, in extremo vitæ vere paenitentis, Theodoræ sine ulla fictione polliceri potuere.

1. « Ἔστιν δ'ὅτε καὶ τοῖς μεθισταμένοις, ὅταν τε μικρὰ τὰ σφάλματα ᾖ καὶ μετάνοια τούτοις προσῆν. Τοῖς δ'ἤδη μετὰ πονηρῶν ἐλπίδων ἀπαράσι καὶ πρόδηλον φέρουσι τὴν κατάγνωσιν οὐχ οἷοί τε τὰς εὐθύνας διαλύειν τούτοις ἡμεῖς. » *Théophanes continuatus*, l. IV, 5, *P. G.*, t. CXIX, col. 168 B.

2. « Εἰ οὕτως τοῦτ'ἔστιν, συγγνώμην ἔφασαν εὑρήσειν παρὰ Θεῷ, καὶ ἅμα δι'ἐγγράφου ἀσφαλείας τὴν πίστιν τούτου τῇ δεσποίνῃ ἐδίδοσαν. » *Ibid.*, l. IV, 6, col. 168 D.

De purgatorio Photius nihil certi habet. Eum autem communi Ecclesiæ byzantinæ doctrinæ de oratione pro mortuis adhæsisse nullus est ambigendi locus. Ad ignem vero purgatorii quod spectat, notandum est Photium verba Apostoli in I Corinth., III, 15 : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, in eumdem sensum, quem Chrysostomus profert, accipere, ita ut illud αὐτὸς δὲ σωθήσεται non de salute æterna judicati, sed de ejus in esse perseverantia inter ignis æterni flammas sit intelligendum [1].

Quæ dixit Pseudo-Damascenus in opusculo supra explicato, eadem fere repetit Michael Glykas in *capite L theologico de difficultatibus sacræ Scripturæ;* accuratius tamen definit quibusnam defunctis prosint Ecclesiæ suffragia :

« Non esse dubitandum, inquit, de bonorum operum efficacia, quæ ab aliquibus fiunt *pro piis quidem, sed peccatoribus* (χάριν μὲν εὐσεβῶν, ἁμαρτωλῶν δὲ), persuadent nos ante alios disciplui Christi et apostoli, diebus tertio, nono et quadragesimo, necnon et exacto anno publice mortuorum memorias fieri decernentes... Et ne mihi dicas : Quandoquidem universe pro omnibus defunctis Deo sacrificia offeruntur, universe etiam omnes salutem consequentur. Habes siquidem præ aliis magnum Dionysium hanc opinionem e medio tollentem, et ex peccatis quæ dimittantur, quænam vero non condonentur, manifesto edocentem. De iis namque qui in peccatis vitam finierunt, edisserens, hæc quoque addit : *Si pusilla quædam adfuerint, utilitatem propter bona opera, quæ pro iis fiunt, accipiunt; si vero gravia sunt, conclusit Deus contra ipsos* [2]. Ad hæc suppetit et magnus Epiphanius, in *Panariis* hæc habens : *Utiles sunt pro defunctis piorum preces, etsi magna delicta non extinguant* [3]. »

1. Cf. Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 648-649, 651.

2. « Εἰ μὲν ψιλά τινα πρόσεστιν αὐτοῖς, ἔχουσιν ὠφέλειαν διὰ τὰς γινομένας εὐποιΐας· εἰ δὲ χαλεπά εἰσιν, ἀπέκλεισεν ὁ Θεὸς κατ'αὐτῶν. » Hæc magis ad sensum quam ad verbum ex *Eccles. hierarchia*, c. VII, 7, transcribuntur. Ibi enim legitur : « τὰς ἐγγενομένας αὐτοῖς ἐξ ἀνθρωπίνης ἀσθενείας κηλῖδας. » *P. G.*, t. III, col. 561.

3. « Ὠφελεῖ δὲ καὶ ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων εὐχή, εἰ καὶ τὰ μεγάλα αἰτιάματα μὴ ἀποκόπτῃ. » *Panarion*, LXXV, 7, *P. G.*, t. XLII, col. 513; Michael Glykas, *op. cit.*, c. L, ed. Eustrat., t. II, p. 55 sq. ; cf. *P. G.*, t. [illegible], col. 921-928.



Cæterum Glykas *hos pios sed peccatores* in inferno, ἐν ᾅδου, collocat, et ab eis (sicut et ab dæmonibus necnon a damnatis ante judicium universale) pœnam ignis removet[1], a sententia sancti Gregorii Dialogi in hoc recedens, quippe qui, ut vidimus, retributionis dilationem docet[2]. Quosdam autem impios et damnatos per preces quorumdam virorum sanctissimorum contra communem Dei ordinationem ab inferno liberari posse opinatur, quemadmodum et Pseudo-Damascenus[3].

Controversia quæ inter Græcos et Latinos de novissimis anno 1232 incepit, magis fuit de dilatione retributionis necnon de *voce*, *loco* et *igne purgatorii*, quam de ipsa summa doctrinæ de tertio statu animarum. Georgius Bardanes, qui omnium primus e Græcis cum Fratre Bartholomæo de hoc capite disputavit[4], dilationem retributionis propugnabat. Unde, audita mentione ignis purgatorii, statim in hunc tanquam in novitatem origenismum sapientem invectus est[5]; cujus criminationem polemistæ antilatini deinceps communiter iterarunt. Consulte vero ac sapienter de igne in *Confessione Michaelis Palæologi* silentium servatum est; cujus loco positæ sunt *pœnæ purgatoriæ* in genere, solaque ea quae ad dogmatis de tertio statu essentiam pertinent, definita sunt; quibus haud ægre assensi sunt plerique Græci, quippe qui eadem fere ante controversiam initam docebant. Hoc tamen non impedivit quominus privatæ circa purgatorium ignem contentiones perseveraverint, ut videre est, v. g., ex tractatu polemico Dominicanorum contra errores Græcorum, anno 1252 conscripto[6].

Sæculo XIV, Georgius Pachymeres in *Paraphrasi ecclesiasticæ Hierarchiæ* (c. VII, 6) *Areopagitæ*, sua facit verba sancti

1. *Ibid.*, ed. Eust., t. II, p. 56; c. XX, t. I, p. 244.
2. C. LXXXV, t. II, p. 380-382.
3. C. L, p. 58 sq.; c. LXX, p. 232-233.
4. Cf. supra, p. 36 sq.
5. « Ἀλλ'ὦ θαυμάσιε, ἔφην ἐγώ, ὁ οὕτω φρονῶν καὶ οὕτω διδάσκων ὠριγενιάστης μοι αὐτίκα εἶναι δοκεῖς. Ὠριγένης γὰρ καὶ οἱ κατ'ἐκεῖνον τέλος κολάσεως ἐδογμάτισαν, ὡς καὶ αὐτοὺς τοὺς δαίμονας μετὰ πολυετηρίδας τινὰς συγγνωμῆς τυχεῖν, ἀπαλλαγέντας τοῦ ἀτελευτήτως κολάζεσθαι. » *Cod. Barb. græc. 297*, fol. 1.
6. *P. G.*, t. CXL, col. 513-517.

Maximi Confessoris ad eumdem locum Dionysii : *Solis autem misericordiam Dei merentibus, inquit, sive vivis, sive defunctis, non vero iis qui damnari meruerunt, justorum preces prodesse scripta divina docent*[1].

Eodem ævo, Nicolaus Cabasilas, in *Liturgiæ expositione*, de oratione pro mortuis ejusque significatione ac efficacia præclare disserit, et catholice omnino de purgatorio sentit. Docet siquidem : 1º Ecclesiam pro defunctis petere « remissionem peccatorum, regni hæreditatem et cum sanctis consummatis in sinu Abrahæ quietem[2]; » 2º Ecclesiæ preces et altaris sacrificium non animabus separatis quibuscumque prodesse, sed *iis tantum quæ ad suscipiendum mysterium seu Eucharistiam sunt paratæ* et *promptæ* :

« Quænam sunt, inquit, causæ sanctificationis iis qui sanctificantur, et quæ sunt quæ Christus a nobis exigit? Animæ purgatio ((ψυχῆς κάθαρσις), *in Deum dilectio*, fides, desiderium mysterii, alacritas ad participationem, fervens appetitus, præ siti currere. Hæc sunt quæ hanc sanctificationem attrahunt, *et cum quibus necesse est, ut qui accedunt Christum participent;* verum hæc omnia non sunt corporalia sed a sola pendent anima. Nihil ergo prohibet quin etiam animæ mortuorum hoc valeant, sicut et vivorum. Si ergo animæ ad suscipiendum mysterium sunt paratæ et promptæ, is autem in cujus potestate est sanctificare et perficere, semper seipsum impertiri desiderat, quid prohibiturum est hanc participationem[3] ? »

3º Hujusmodi animas, quas vocat imperfectas (ἀτελεῖς)[4], perfectius quam viventes sanctificationem, quæ ex sacrificio Eucharistiæ provenit, participare, exindeque vel ab omni reatu liberari, vel saltem gradatim usque ad plenam sanctitatem purificari :

1. « Ὅτι δὲ μόνους τοὺς ἀξίους τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ ὠφελοῦσιν αἱ τῶν δικαίων προσευχαί, εἴτε ζῶντας, εἴτε καὶ τελευτήσαντας, οὐ μὴν τοὺς ἀξιοκατακρίτους, αἱ γραφικαὶ παραδόσεις διδάσκουσιν. » *P. G.*, t. III, col. 576.
2. *Expositio liturgiæ*, c. XLIX, *P. G.*, t. CL, col. 473.
3. *Expositio liturgiæ*, c. XLII, col. 457.
4. « Διὰ τοῦτο ἁγιάζουσιν ἀεὶ πάσας χριστιανῶν ψυχὰς καὶ ζώντων καὶ τεθνεώτων τὰς ἀτελεῖς. » C. XLVII, *ibid.*, col. 469 D.

« Nudæ autem corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem quam eæ quæ vivunt in corporibus. *Purgantur enim et peccatorum remissionem accipiunt per orationes sacerdotis et donorum mediationem* nihilominus quam eorum qui vivunt. Sed non peccant amplius, nec nova veteribus crimina adjiciunt, ut faciunt plerumque viventium animæ, *sed solum vel ab omni debito penitus liberantur, vel saltem de criminibus semper detrahunt;* et ita ad Servatoris participationem promptius et melius se habent pluribus in corpore viventibus, atque adeo etiam seipsis, si cum corpore essent [1]. »

In exponenda doctrina Manuelis Calecæ non est cur immoremur. Est enim ille unionista et Catholicus veri nominis. In quarto libro sui operis *Adversus Græcos,* breviter simul atque lucide necessitatem demonstrat tertii loci (qui illi idem sonat ac tertius status) inter cælum et damnatorum infernum medii [2].

Simeonem Thessalonicensem summam doctrinæ catholicæ de purgatorio tenuisse in capite de paenitentiæ sacramento sufficienter ostendimus [3]. Hoc non impedit quominus ille haud semel in purgatorium Latinorum efferatur; verum attente legenti apparet Thessalonicæ præsulem contra larvam decertare. Putat enim Latinos docere liberationem damnatorum ab inferno, eorumque per ignem purgatorium purificationem; unde eos duplicis erroris arguit, primo quidem origenismi; secundo, quod teneant et dæmones et peccatorum animas ante judicium extremum, pœna ignis cruciari [4]. Simeon enim, ut vidimus [5], inter remunerationis dilatores annumerandus est, secundum quos damnati igni

1. « Καθαίρονται μὲν γὰρ καὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἄφεσιν λαμβάνουσι διὰ τῶν εὐχῶν τῶν ἱερέων καὶ τῆς μεσιτείας τῶν δώρων, τῶν ἔτι ζώντων οὐδὲν ἔλαττον, Ἁμαρτάνουσι δὲ οὐδὲν οὐδὲ προστιθέασιν ἐγκλήματα νέα τοῖς παλαιοῖς, ὥσπερ τὸ πλεῖστον ἔχει τῶν ζώντων, ἀλλὰ μόνον ἢ παντελῶς ἀφίενται πάσης εὐθύνης, ἢ γοῦν ἀφαιροῦσι τῶν ἐγκλημάτων ἀεί. » C. XLV, col. 464.

2. *P. G.*, t. CLII, col. 228-238.

3. T. III, p. 355.

4. *Dialogus contra hæreses*, c. XXIII, *P. G.*, t. CLV, col.116-117; *Resp.* IV *ad Gabrielem Pentap.*, col. 844-845.

5. P. 68 sq.

æterno tradendi non sint ante alterum Christi adventum.

Josephus Bryennius tertiam classem defunctorum diserte profitetur, illorum videlicet pro quibus orant Ecclesia et fideles in terra atque intercedunt sancti in cælo; qui in paenitentia decesserunt vitamque adhuc viventes mutarunt, *nondum tamen peccatorum maculas penitus abstergere potuerunt.* In extremo judicio, ultima erit pro defunctis hujus status sanctorum intercessio; qua peracta, tertius status cessabit [1].

IV. — Controversia de purgatorio in concilio Florentino.

A principio statim controversiæ, quæ Ferraræ primum, anno 1438, inde a die 5 junii usque ad 17 julii, inter Græcos et Latinos inita est, manifesto apparuit utrinque recipi ea quæ ad dogmatis de purgatorio summam pertinent. Græci namque primæ Latinorum positioni die 14 junii responsum dederunt ex Bessarionis et Marci Ephesii scriptis conflatum, in quo hæc initio legebantur :

« Ignem purgatorium et per ignem punitionem temporariam finemque habituram nos sane a nostris doctoribus traditum non accepimus, neque orientalem Ecclesiam ita sentire scimus, ut et alias diximus. Quas tamen Ecclesia pro defunctis preces effundit, dum pium Deo cultum tribuit, has aliquid eis præstare posse, hoc etiam prorsus statuimus, iis credentes quæ hac de re a Patribus sunt decreta. Sanctorum quidem animas nulliusque culpæ sibi conscias æterna vita esse dignas; animas vero eorum qui præsenti vita ad carnis ejusque voluptatum fruitionem, nulla virtutis ratione habita, abusi fuerint, æternum mereri supplicium, hoc utique et sentimus et profitemur; vosque ob distinctam hoc pacto quæstionem laudamus atque admiramur, et Deo gratias agimus, ea damnantes quæ de vobis antea sentie-

1. « Ἀλλ' ὑπὲρ μόνων ἐκείνων ἱκετεύσουσι πάντες, ὑπὲρ ὧν ἔσονται καὶ πρεσβεῖαι δεκταί· ἤγουν τῶν ἐν μετανοίᾳ μὲν φθασάντων μεταλλάξαι τὸν βίον, οὔπω δὲ τὰς τῶν ἁμαρτημάτων κηλῖδας δυνηθέντων τελείως ἐπιπλύναι... Ἡ μεσιτεία αὕτη οὐ μόνον τότ' ἔσται, ἀλλὰ καὶ νῦν γίνεται, ὅτι καὶ ζῶντες μεσίτας ποιούμεθα. » *Oratio* II *de futuro judicio*, t. II Operum, p. 391-392.

bamus ut non recte dicta ab iis qui hæc protulere. Animas autem illas, quæ medio quodam modo se habuerunt inter virtutem et vitium, et nonnulla (utpote corpus indutæ passioni obnoxium) peccata contraxerunt non mortalia... æternum supplicium non mereri recte dicitur; cui contradicere non est; quod vero purgatorio igne etiam egeant, id offendiculum fit, et de hoc a vobis dissidemus... Deum etiam post migrationem e corpore peccata remittere iis qui venialia commiserint, hoc a doctoribus, quomodo doceant, audivimus... Utrum vero per aliquam punitionem, punitionem, inquam, veluti carceris aut caliginis cujusdam; an simpliciter per Dei clementiam et Ecclesiæ preces ipsum placemus, ut talia peccata remittat... in præsenti dicendi locus non est [1]. »

Græci ergo principio Latinis consentiebant : 1° de existentia tertiæ classis animarum inter electos et damnatos mediarum, illarum videlicet, quæ hac vita migrarint cum solis venialibus culpis; 2° de condonatione harum culparum post mortem, saltem per Dei clementiam et Ecclesiæ preces. Ab eis vero dissidebant circa existentiam ignis purgatorii, quem rejiciebant; neque de existentia cujusdam alius pœnæ afflictivæ pro *mediis* sententiam ferre volebant. De pœna temporali peccato jam remisso debita tacebant. Notandum est autem eos in fine suæ responsionis quædam argumenta theologica adversus ignem purgatorii a Marco Ephesio excogitata proferre, quæ si ad verbum et in sensu obvio sumerentur, existentiam tertii status et ipsam dogmatis de purgatorio rationem penitus tollerent. Hujus modi autem argumenta septem numero sunt, quorum tria tantum ob oculos lectoris ponere satis erit :

« I. Dicimus magis convenire divinæ bonitati exiguum bonum non contemnere quam exiguum malum pœna dignum ducere. Atqui exiguum bonum in iis, qui graviter peccarunt, nullum præmium consequitur propter præponderan-

1. « Ὅτι δὲ αἱ μέσωσπερ περὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὸ κακὸν σχοῦσαι καί τινα ἐπισυρόμεναι ἁμαρτήματα μὴ θανάσιμα οὔτε τῇ αἰωνίῳ ὑπάγοιντο ἂν δίκῃ, οὔτε τῆς τοῦ Θεοῦ τεύξονται δόξης.....Ὅτι δὲ καὶ αὖθις ἁμαρτιῶν ἄφεσις δίδοται τοῖς συγγνωστὰ πταίσασιν ἐκ Θεοῦ μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος λύσιν..., τοῦτο καὶ τῶν διδασκάλων λεγόντων ἀκούομεν. » L. Petit, *Documents relatifs au concile de Florence*, in *P. O.*, t. xv, p. 62-64.

tem malitiam. Ergo neque exiguum peccatum in iis, qui multa opera bona fecerunt, decet pœnam consequi, quia quæ præstantiora sunt, vincunt. Si enim id quod magis videtur non est, ægre profecto id quod minus videtur, erit. Ergo neque purgatorium ignem esse credendum est.

« VI. Insuper sanctus Gregorius Theologus, dum in sermone *de Plaga grandinis* ita disserit : « Omitto dicere quæ illic sunt tormenta, quibus hujusce vitæ indulgentia eos tradit, ut satius sit nunc castigari et purgari quam ad cruciatum illum transmitti, quando punitionis tempus erit, non purgationis », manifeste docet nullam esse purgationem post migrationem ex hac vita, sed tantum pœnam æternam.

« VII. Item, Dominus noster, in evangelio secundum Lucam, de divite et Lazaro significans quæ sors utrique obtigerit, Lazarum quidem dicit statim post mortem delatum fuisse ab angelis in sinum Abrahæ, divitem vero item post mortem sepultum fuisse moxque ipsius animam in inferno inventam fuisse tormentis traditam. Atque ita per sinum quidem Abrahæ supremum illum in beata requie statum piorum significavit; per infernum vero et tormenta extremam improborum damnationem et pœnam æternam proposuit, nullum autem inter hæc medium locum reliquit qui temporariam pœnam habeat, sed ingentem quemdam et impervium hiatum separantem unum ab altero, et summam, nullo interjecto medio, contrarietatem statuit [1]. »

Præter hæc ratiocinia seu sophismata, quæ Joannes a Turrecremata plane solvit [2], hæc prima Græcorum responsio tota est in enervandis probationibus positivis a Latinis prolatis ad adstruendam existentiam purgatorii ignis; circa hanc enim minoris momenti quæstionem necnon circa illam, quæ retributionis tempus spectat, tota deinceps contentionis vis collata est. Cæterum plerique Græci, in ultima sessione concilii, Florentiæ inde a die 24 martii anni 1439 habita, non solum existentiam tertii status animarum, verum etiam

1. *Responsio Græcorum ad positionem Latinorum*, 19, *P. O.*, *ibid.* p. 76-78.

2. *Latinorum responsio ad libellum Græcorum*, 17, *ibid.*, p. 98-107.

tertium locum pro ipsis, et ipsum purgatorii nomen in privatis colloquiis agnoverunt; immo ab ipso purgatorio igne non abhorrebant. Die enim 9 junii ejusdem anni dixerunt : « De igne purgatorio sic definitum est : Sanctorum animas perfectam in caelis adeptas esse coronam, quatenus animæ sunt; peccatorum animas perfecte luere poenas; *medias autem esse in loco tormentorum; sed utrum ignis sit, an caligo ac turbo, an quid aliud non contendimus...* Hæc sententia nostra non est sed totius synodi orientalis [1]. » Postridie item privatim purgatorium ignem receperunt [2]. Josephus autem patriarcha, qui mox vita cessit, confessioni fidei subscripsit in qua inter alia profitetur *animarum purgatorium*, τῶν ψυχῶν καθαρτήριον. Demum in decreto unionis, vox *purgatorium* posita non est, sed tantum *pœnæ purgatoriæ* (ποιναῖς καθαρτικαῖς); neque de igne vel tertio loco aliquid definitum est, sed ea solum recepta, quæ jam in Confessione Michaelis Palæologi legebantur.

De privata sententia Marci Ephesii, qui decreto unionis subscribere recusavit, quædam jam, ubi de satisfactione sacramentali diximus. [3] Hic autem, disputationis decursu, non semper sibi constitit. Postquam enim in sua prima de purgatorio oratione aliquam pœnam temporalem peccato jam remisso debitam remanere posse post mortem luendam satis aperte docuit, hoc postea negavit, dicens pœnam simul cum culpa semper a Deo remitti [4]; Ecclesiam autem moribundis, utpote qui dignos pænitentiæ fructus ferre non possint, omnem pœnam condonare et ab omni epitimio eximere [5]; ita ut in Ephesii systemate, una tantum remaneat tertii status seu purgatorii ratio, scilicet peccatum veniale in vita præsenti non remissum. Medii (οἱ μέσοι) non cru-

1. « Αἱ δὲ μέσαι ὑπάρχουσι μὲν ἐν βασανιστηρίῳ, καὶ εἴτε πῦρ ἐστιν, εἴτε ζόφος καὶ θυέλλα, εἴτε τι ἕτερον, οὐ διαφερόμεθα..... Τοῦτο οὐκ ἔστιν ἡμῶν ἀλλὰ τῆς πάσης συνόδου τῆς ἀνατολικῆς δόξα. » Dorotheus Mytil., *Concilium Florentinum*, ed. cit., p. 255.

2. « Τὸ δὲ περὶ τοῦ καθαρτηρίου πυρός, καὶ τοῦτο δεχόμεθα. » *Ibid.*, p. 254.

3. T. III, p. 353 sq.

4. *Oratio* II *de igne purgatorio*, 19, *P. O.*, *t. cit.*, p. 130-133; *Oratio* III, 11, *ibid.*, p. 164-165.

5. *Oratio* III, 14, p. 167-168.

ciantur purgatorio igne (cujus existentiam Marcus tum argumentis ex sacra Scriptura et traditione haustis, tum rationibus theologicis convellere totis viribus nititur) sed alias pœnas sustinent sive in inferno, sive in alio incerto loco, ubi detinentur tanquam in custodia vel carcere : « Hos quidem expurgat metus, illos vero conscientiæ cruciatus, qui animum acrius rodit quam quivis ignis; *illos autem ipsa sola divinæ gloriæ amissio et futuri obscuritas, num unquam ea sint potituri* [1]. » His ultimis verbis Ephesius animas medii status suæ salutis non esse securas docere videbatur; de quo a Latinis interrogatus, respondit « futuri incertitudinem *pro temporis ratione* accipiendam esse, quandonam nimirum a pœnis illis liberandi sint et in salvandorum cœtum coaptandi [2]. » Cæterum theologus græcus contendit pœnas hujusmodi non esse *punitiones* (κολάσεις) proprie dictas [3], neque *sensu stricto purgatorias*, quanquam non semel loquitur de *purificatione* (κάθαρσις). Solis enim Ecclesiæ precibus necnon divinæ clementiæ, non autem pœnis, quas sustinent, animarum *mediarum* liberationem tribuere videtur, ita ut hujusmodi pœnæ in se consideratæ eis nihil prosint ad tormenti minutionem vel liberationis accelerationem [4]; quod logice fluere videtur ex principio ab eo posito, videlicet quod culpa et pœna simul semper remittantur; unde τοῖς μέσοις peccata venialia tunc solum condonentur, quando a pœnis eruuntur et inter electos recipiuntur. Ephesius demum de differentia quæ inter virtutem caritatis et virtutem

1. *Oratio* I, 1, *ibid.*, p. 41; *Oratio* II, 11, p. 117-118.

2. *Oratio* III, 10, *ibid.*, p. 164.

3. Ipsi damnati, juxta Ephesium, detinentur quidem in inferno veluti in carcere ac vinculis, nondum vero κολάζονται. *Oratio* II, 11, *ibid.*, 11, p. 117.

4. « Ἁμαρτίαι, κἂν μικραὶ δοκῶσιν, ἀνεξάλειπτοι μένουσι, καὶ ἐπ᾽αὐταῖς δεῖται τῆς θείας φιλανθρωπίας ὁ τεθνεώς, ἵνα διὰ τῶν τῆς Ἐκκλησίας εὐχῶν τὴν ἄφεσιν κομισάμενος, ἐν τῷ χορῷ τῶν σῳζομένων ἀριθμηθῇ. » *Oratio* III, 13, *ibid.*, p. 167. Hanc fuisse non solius Marci sed etiam multorum Græcorum sententiam innuit Dorotheus Mytilenensis : « Precibus autem et sacrificiis sacerdotum atque eleemosynis, non ipso igne Græci dicunt eos effici mundos atque a carceris illius cruciatibus eripi; neque enim Græci *effectum igni* tribuunt, ut Itali; sed vim habere tantum orationem, deprecationem et eleemosynas. » *Op. cit.*, p. 14-15.

pænitentiæ quoad peccatorum remissionem exstet, obscura quædam profert, quæ uberiorem explicationem postularent [1].

V. — De tertii status assertoribus post concilium Florentinum.

Post concilium Florentinum, multi polemistæ græci, spiritu contentionis ducti, vehementius quam antea in ignem purgatorium invecti sunt, quin ipsum dogma de purgatorio respuerint. Inter ipsos primus venit Joannes Eugenicus, qui in suo *Antirrhetico adversus synodum Florentinam*, fratris Marci doctrinæ utique adhæret, quanquam hæc pauca tantum de tertio statu habet : « Ecclesia nostra orthodoxa docet quidem esse quamdam post mortem *purificationem*, quæ per sacrificia sacerdotum necnon per preces et eleemosynas et alia pia opera a fidelibus præstatur super defunctis; hos vero *suppliciis purgatoriis* (καθαρτικαῖς τιμωρίαις) vel igne purgatorio purificari... neque cogitare neque dicere sustinemus [2]. »

Fusius et multo clarius de hoc capite loquitur Georgius Scholarius; quem cum Ecclesia catholica omnino consentire in iis, quæ ad dogma definitum pertinent, ex dictis in dissertatione de pœna temporali plane constat [3]. Cum autem quæstionem de purgatorio in *Epistola ad quemdam Joannem Thessalonicensem* ex professo tractaverit, de ejus doctrina alia quædam adjicere non erit supervacuum. Primum quidem, quanquam differentiam, quæ de purgatorio est, non penitus tollit, sed inter Latinorum novationes eam recensere pergit [4], fatetur tamen cordatiores ex Græcis illam

1. « Non per caritatem sed per ipsam pænitentiam peccata ignosci dicimus... Et merito quidem. Nam si timor in caritate nullus est, ille vero qui timet in caritate decedere non potest, timor autem est qui nos quam maxime ad pænitentiam incitat, profecto sequitur præstantiorem esse pænitentia caritatem, quæ virtutum perfectissima cum sit, non pænitentibus, sed eximia virtute præditis congruit. » *Oratio* III, 13, p. 166.

2. Τόμος καταλλαγῆς, p. 267.

3. Cf. t. III hujus operis, p. 356 sq.

4. «Πρῶτον μὲν οὖν ἴσθι τῆς ἐν τούτῳ τῶν Λατίνων καινοτομίας ἐλάττω λόγον τοὺς ἐν ἡμῖν σοφωτέρους πεποιημένους, εἰ καὶ τοῦτο τοῖς ἐκ τῶν

minoris fecisse, rariusque confutasse. Doctrina vero catholica probe ac dilucide paucis exposita una cum præcipuis argumentis eam probantibus, illam ab Origenis errore toto cælo differre contra suorum tritam calumniam ostendit; sententiam autem « Ecclesiæ Orthodoxorum » ita declarat :

« Orthodoxorum Ecclesia eadem fere, quæ Romana, sentit, *quatenus et ipsa docet eos qui peccatorum venialium reatu maculantur, in vitam æternam non ingredi statim, sed illorum animas ad certum tempus, vel longissimum, a dæmonibus aeris, qui super talibus animabus, eo quod peccatorum qualiacumque vestigia in seipsis præferant, se justificare tentant, in sic a Patribus dictis teloniis, Deo permittente, retineri*, in hujusmodi impedimento pœnas luere, et *pro pœna ex peccatis debita, quam antea non plane solverunt, satisfacere; unde propositæ retributionis dilationem et divinæ gloriæ privationem ex dæmoniacis impedimentis sustinere*, donec venialibus culpis, ob quas a dæmonibus retinentur, bene perspectis et cum dolore ac tristitia deploratis, divina misericordia implorata, Dei benignitate a reatu solvantur; sicque penna levi ad cælestem ascendant regionem, malis spiritibus eis appropinquare non amplius valentibus; quandoquidem eis illucere vident divinæ claritatis purum lumen, tenebrarum contactibus omnino sacrum atque inaccessum. *Ut vero illæ animæ ex hoc, qui circa terram est, loco citius liberentur, confert Ecclesiæ usus* [pro ipsis orandi], *qui veritati omnino congruit maximæque est utilitatis;* quanquam quæ pro defunctis fieri solent non animabus illis tantum, sed etiam illis, quæ in infernum descenderunt, non parum proficiant, non quidem a tormentis, quæ illic sunt, eas liberantia vel perfectæ liberationis spem eis tribuentia — quomodo enim hoc illis obveniat, quippe quæ *in peccatis mortalibus sine pænitentia e vita cesserint?* — sed quamdam temporalem intolerabilis supplicii relaxationem eis afferentia; quod quidem ostendit narratio de Magno Macario, asceta Aegyptio, circa calvariam in deserto inventam; quæ interrogata talem dedit responsionem; exprimunt vero lucu-

Λατίνων ἁμαρτήμασιν ἐναρίθμιον γίνεται. » *Epistola ad Joannem Thessalonicensem, Œuvres complètes*, t. I, p. 531.

lentius Magni Basilii preces, quæ in Pentecoste leguntur [1]. »

Non solum infernalium pœnarum quamdam mitigationem admittit Scholarius, sed etiam docet Deum Ecclesiæ precibus vel quorumdam sanctorum virorum interventu motum, aliquos damnatos, ante secundum Christi adventum, rarissima exceptione ex inferno liberare. Cæterum, eorum opinionem non improbat qui putant animas defunctorum cum solis venialibus in infernum descendere, et exinde Ecclesiæ vel parentum suffragiis liberatas ad cælestem vitam recipi, sicut beatus Theophanes Confessor in quodam canone dicit [2]. Quod autem Latinis crimini vertit est ipse ignis purgatorius, quem rejicit tanquam divinæ justitiæ parum consentaneum :

« Non enim æquum est, inquit, animas peccatis mortalibus implicatas et illas, quæ nonnisi venialiter deliquerunt, et in quibus divinæ charitatis ratio destructa non est, eamdem qualitate et specie pœnam subire, illam scilicet quæ per ignem est, sola temporis mensura et brevitate differentem; *neque ejusdem conditionis est utrumque animarum* genus, ut ultorius ille ignis eas omnes simili modo attingat; neque ullum ignem purgatorium vel temporalem animabus humanis destinatum, præter illum æternum et inextinguibilem, quemquam prædicare unquam audivimus. Ecclesiæ ergo

1. « Αὕτη δοξάζει τὰ αὐτὰ μὲν σχεδὸν τῇ ῥωμαϊκῇ, ὅσον πρὸς τὸ μὴ εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν αἰώνιον ζωὴν τοὺς ἐνοχῇ τῶν ἀφεσίμων τυγχάνοντας αὐτίκα, ἀλλὰ τοῖς ἐν ἀερίοις δαίμοσιν... συγχωρήσει Θεοῦ, δίκην ἐν τῷ κωλύματι τούτῳ διδόναι· καὶ ἀντὶ τῆς ἐντεῦθεν ὀφειλομένης ποινῆς, ἣν οὐκ ἔφθασαν ἀποτίσαι καλῶς καὶ ἱκανοποιῆσαι, τὴν ἀναβολὴν ὑπέχειν τῆς ἀποκειμένης ἀμοιβῆς,-καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης τὴν πρόσκαιρον στέρησιν ἐκ τῶν δαιμονικῶν κωλυμάτων, ἕως ἂν τῇ ἐπιγνώσει τῶν ἀφεσίμων ἁμαρτημάτων, δι'ἃ τοῖς δαιμονίοις ἐνίσχονται, καὶ τῇ ἐπὶ τούτοις ὀδύνῃ καὶ λύπῃ, τὸν θεῖον ἔλεον ἐκκαλεσάμεναι, ὑπὸ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας λυθῶσι τῆς ἐνοχῆς, καὶ οὕτω κούφῳ στερῷ πρὸς τὸν οὐράνιον ἀνέλθωσι χῶρον..... ὧν δὴ ψυχῶν πρὸς ταχυτέραν ἀπαλλαγὴν τοῦ περὶ τὴν γῆν τοῦδε τόπου συμβάλλεται τὸ τῆς Ἐκκλησίας ἔθος καὶ μάλιστα ἀληθές τε ὂν καὶ χρειῶδες τὰ μάλιστα. » *Ibid.*, p. 533.

2. « Εἰ δὲ καὶ εἰς τὸν Ἅδην κατιέναι τὰς ψυχὰς δοίη τις τῶν ἐν μόνοις ἀφεσίμοις ἁμαρτήμασιν ἀποτεθνηκότων· ὅθεν ἀπαλλαττομένας τοῖς ὑπὲρ αὐτῶν γινομένοις ὑπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἢ ἐκ τῶν συγγενῶν, εἰς τὴν ἐν οὐρανοῖς ἀναλαμβάνεσθαι ζωήν... ἀλλ'οὐχ ὡς ἐν πυρὶ καὶ κολάσει σωματικῇ. » *Ibid.*, p. 534.

nostræ positio cum Romana doctrina concordat, si illam per ignem purificationem, et *ipsam purificationem*, prorsus excipias; non enim *maculæ purificationem, sed alicuius vinculi vel impedimenti potius solutionem* esse hanc vitæ æternæ retardationem statuit [1].

Ad revelationes vero purgatorium ignem testificantes quod attinet, Scholarius habet illas tanquam quasdam *dispensationes* (οἰκονομίας) a Deo mirabiliter patratas ad vivorum conversionem et emendationem; quas ad litteram sumere necesse non est. Neque locus Apostoli in I *Corinth.*, III, 13, de igne purgatorio interpretari potest. Ibi enim agitur de igne *probatorio* (δοκιμαστικόν)), non de igne *purificatorio* (καθαρτικόν), per quem transitura sunt etiam bona opera, quæ purificatione nullo modo indigent. Unde Chrysostomi et aliorum sanctorum exegetarum acutissimorum interpretationi potius standum est, qui verba Pauli ad damnatos eorumque opera referunt. Ergo hoc unum Scholarium a Latinis in hac quæstione dividit, quod pœnam ignis pro animabus medii status (ταῖς μέσαις ψυχαῖς) rejicit; bene vero docet easdem per Dei privationem ad tempus necnon per animi dolorem tristitiamque pro venialibus culpis vel

1. « Οὐδὲ δίκαιον τὴν αὐτὴν τάς τε θανασίμοις ἁμαρτήμαρι κατειλημμένας καὶ τὰς ἀφεσίμοις καὶ συγγνωστῶς πταίουσας, ἐν αἷς οὐχ ὁ τῆς θείας ἀγάπης ἔφθαρται λόγος, τὴν αὐτὴν τῇ ποιότητι καὶ τῷ εἴδει ποινὴν ὑπέχειν, τὴν διὰ πυρὸς δηλονότι, χρόνου μόνον παρατάσει καὶ ὀλιγότητι διαφέρουσαν· οὔτε τῆς αὐτῆς ποιότητος ἄμφω τὰ τῶν ψυχῶν εἶναι γένη, ὥστε ὁμοίως αὐτῶν τὸ τιμωρητικὸν ἐκεῖνο καθικνεῖσθαι πῦρ· οὔτε πῦρ ἠκούσαμέν τινος λέγοντος καθαρτήριον ἢ πρόσκαιρον ταῖς ἀνθρωπίναις ἀφωρισμένον ψυχαῖς, ἄνευ τοῦ αἰωνίου καὶ ἀσβέστου ἐκείνου. Ἡ μὲν τῆς Ἐκκλησίας ἡμῶν αὕτη θέσις, ὡς εἴρηται, συμφωνεῖ πως τῇ ῥωμαϊκῇ, πλὴν τοῦ διὰ πυρὸς τὴν κάθαρσιν γίνεσθαι καὶ ὅλως κάθαρσιν γίνεσθαι. Οὐ γαρ ῥύπου κάθαρσιν, ἀλλὰ δεσμοῦ τινος μᾶλλον καὶ κωλύματος ἀναίρεσιν. » *Ibid.*, p. 535-536 ; cf. p. 534 ubi dicit : « Ἀλλ'οὐχ ὡς ἐν πυρὶ καὶ κολάσει σωματικῇ, ἀλλ'ὡς ἐν δεσμωτηρίῳ καὶ εἱρκτῇ καθειργμέναι, τὸν χρόνον ἐκεῖ μένουσιν, ὅσον αὐταῖς ἀναβέβληται ἡ μακαρία ζωή, στεναγμοῖς καὶ δάκρυσι καὶ δέει τῆς παντελοῦς ἐκπεπτώσεως τῆς ζωῆς τὸν δικαστὴν ἱλεούμεναι, καὶ τὴν ἐκείνου συμπάθειαν προκαλούμεναι. » Ex his concludere quis posset Scholarium docere animas in statu medio versantes suæ salutis certitudinem non habere; quod tamen ceteris in eadem epistola dictis adversatur ; cf. quæ dicit Marcus Ephesius de pœnis *mediorum*.

pro pœna ex aliis peccatis jam remissis debita et nondum soluta Deo *satisfacere*, ἱκανοποιῆσαι..

Quamvis Scholarius Latinos circa purgatorium ignem ab Origenis errore merito vindicaverit, hanc tamen calumniam contra eos refricat Manuel Corinthius, Rhetor dictus : « Si talis ignis existeret, ait ille, ante universale judicium, animæ omnes infinita temporis duratione purificatæ essent, ita ut judicii tempore nulla inveniretur supplicio obnoxia, et Dominus frustra dixisset : *Ibunt hi in supplicium æternum*[1]... Ignis purgatorius Origenis hæresis est fetus[1]. » Verum, quidquid in purgatorium ignem effutiat, Manuel sententiæ Scholarii omnino accedit, dum scribit :

« Animæ eorum, *qui in medio sunt*, qui non cum peccatis mortalibus decesserunt, sed tamen a levibus et venialibus nondum liberati sunt, in aera ascendentes, bonis angelis id permittentibus, ut suorum delictorum reminiscantur, *teloniorum æquipondio* retinentur. Deinde divinam misericordiam per Ecclesiæ preces, sacrificia et eleemosynas invenientes, per aerem ascendunt, cooperantibus Ecclesiæ auxiliis[2]. »

Eodem sæculo xvi, alios reperimus de proposita quæstione *Latinophronas* : Gabrielem Severum scilicet, Jeremiam II Constantinopolitanum, et Græcos Venetianos, qui a cardinale Claudio Guisano de sua fide interrogati, responsa dederunt. Gabrielem Severum de satisfactione catholice omnino sentire, *immo ab ipso igne purgatorio non abhorrere*, alibi ostendimus[3]. Ad tertium autem animarum statum quod attinet, a veritate eatenus recedit, qua ad hunc statum refert non solum animas eorum, qui pie in Christo dormie-

1. « Τοῦτο τῆς τοῦ Ὠριγένους αἱρέσεώς ἐστιν ἀποκύημα. » *Apologia et refutatio capitum fratris Francisci*, e cod. *Vatic. Palat. græc. 1447*, p. 277 cf. V. Loch, *op. cit.*, p. 118.

2. «Τῶν δὲ μέσων αἱ ψυχαὶ τῶν μὴ θανασίμοις συναποθανόντων ἁμαρτήμασι, μήτε τῶν κουφοτέρων καὶ συγγνωστῶν ἀπηλλαγμέναι, ἐν ἀέρι ἀνερχόμεναι, καὶ ταῖς ἀνθολκαῖς τῶν τελωνίων ἐπικρατούμεναι, συγχωρούντων τῶν ἀγαθῶν ἀγγέλων, ἵνα τῶν πταισμάτων ἀναμνήσκωνται· εἶτα τὸν θεῖον διὰ τῶν γινομένων εὐχῶν καὶ θυσιῶν τῆς ἱερᾶς Ἐκκλησίας καὶ ἐλεημοσυνῶν εὑρίσκουσαι, καὶ οὕτω διὰ τοῦ ἀέρος ἀνέρχονται, συνεργουσῶν τῶν τῆς Ἐκκλησίας βοηθειῶν.» *Ibid.*

3. Cf. t. III, p. 358.

runt cum solis venialibus, vel satisfactione nondum præstita pro peccatis jam remissis, sed etiam animas quorumdam fidelium peccatis gravibus oneratorum, quos mors improvisa ex hac vita eripuit. Nulla autem exstat spes liberationis pro impiis, hæreticis et illis christianis qui ad finem usque impaenitentes remanserunt; nec pro his orat Ecclesia[1]. Fieri tamen potest, ut per exceptionem Deus quosdam impios et infideles ab inferno liberet, ut exemplo constat Falconillæ et Trajani[2]. Quoad tertium locum, Gabriel quidem duo tantum loca, caelum videlicet et infernum, agnoscit; fatetur tamen in inferno diversas esse pro diversis peccatoribus mansiones, quas *loca satisfactoria*, τόπους ἱκανοποιοὺς appellat, hanc denominationem, præ vocibus πουργατόριον sive καθαρτήριον eligens, ne videatur in hoc Platoni adhærere, qui in *Phædone* animas peccatorum purgari asserit[3].

In primo suo ad Reformatos responso, Jeremias II primum quidem Marci Ephesii verba recitat, quibus ille docet Ecclesiam moribundis confessis omnem remittere satisfactionem et pœnam temporalem pro peccatis[4]; postea dicit bona opera non solum vivis, sed etiam in *confessione*, ἐν ἐξομολογήσει, *defunctis* prodesse[5]; ultimo sua facit verba Josephi Bryennii supra laudata de iis paenitentibus qui morte præveniuntur, antequam peccatorum maculas eluere potuerint, et pro quibus sancti in cœlo et Ecclesia in terra intercedunt[6]. Haec omnia quidem ægre inter se cohærere videntur; ostendunt tamen Jeremiam II tertium animarum ordinem agnovisse.

1. « Λοιπὸν τὰς προσευχὰς καὶ ἐλεημοσύνας ποιεῖ ἡ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία ὑπὲρ τῶν εὐσεβῶν μόνων καὶ ὀρθοδόξων χριστιανῶν, οὐχὶ δὲ καὶ ὑπὲρ τῶν ἀσεβῶν καὶ αἱρετικῶν, ἀλλ᾿οὐδὲ ὑπὲρ τῶν χριστιανῶν ἐκείνων τῶν μέχρι τέλους ἀμετανοήτων, ὑπὲρ ὧν οὐδεμία ἐστὶν ἐλπίς, ἀλλ᾿ὑπὸ τῶν χριστιανῶν ἐκείνων εὔχεται, οἵτινες οὐκ ἔφθασαν ἐπισκέψασθαί τι ὑπὲρ αὐτῶν ἀποθνήσκοντες. » *De quinque differentiis*, ed. cit., p. 51-52; cf. p. 47.

2. *Ibid.*, p. 53.

3. *Ibid.*, p. 49, 51.

4. *Primum responsum*, c. XII.

5. *Ibid.*

6. *Ibid.*, c. XXI ; cf. II *responsum*, c. VI.

Duo de purgatorio responsa dederunt Græci Venetiani ad cardinalem Claudium Guisanum, quorum primum (de *loco* et *igne purgatorii*) a Manuele Rhetore mox citato mutuati sunt; alterum (de tertia animarum conditione necnon de pœnis quas patiuntur) ex prima oratione Marci Ephesii de purgatorio hauserunt. Marcus autem existentiam *mediorum*, τῶν μέσων, diserte asserit [1].

Sæculo XVII, tertii status assertores non desunt. Habemus enim inter Russos Laurentium Zizanii, Petrum Moghilam, Palladium Rogovskii; inter Græcos vero, Metrophanem, Critopulum, Georgium Coressium, ejusque discipulum Gregorium Chiensem, Dositheum Hierosolymitanum in *Confessione fidei*.

In suo *Magno catechismo*, Laurentius Zizanii duos distinguit inferos : unum pro christianis, qui ex hac vita migrant antequam pro suis peccatis, quorum illos paenituit, dignam satisfactionem præstiterint; alterum pro infidelibus et impaenitentibus. Admittit ergo et tertium statum et tertium locum. Latinos autem inter Origenistas recenset propter ignem purgatorium. Quosdam damnatos a secundo inferno per exceptionem a Deo liberari posse concedit [2].

Quod in *Confessione orthodoxa* existentia medii status inter cælum et infernum aperte negatur, ut fusius infra dicemus, hoc non Petro Moghilæ, sed ejus correctori Meletio Syrigo imputandum est. Ipse enim Petrus, sicut et plerique Kiovienses, doctrinæ de tertio animarum statu adhærebat, ut videre est ex *Instructione circa commemorationes defunctorum Trebniko* inserta [3]. Neque a Kioviensibus Moscovitæ in hoc capite dissidebant, ut apparet ex *Confessione fidei*, quam patriarcha Adrianus Palladio Rogovskii ex-Catholico, anno 1699, imposuit. In hac enim, Palladius tres defunctorum classes diserte profitebatur : electos videlicet, infideles

1. Cf. V. Loch, *op. cit.*, p. 86-87; *P. O.*, t. XV, p. 40-42.
2. Cf. *Trudy Kiov. Acad.*, 1898, t. III, p. 273; *Pravoslav. Sobiesiednik*, 1855, p. 118, 131-134.
3. *Trebnik*, Kioviæ, 1646, p. 835-849; cf. *Epistolam doctoris Scogardi ad Schmid, legatum imperialem*, die 6 novembris anni 1642 scriptam, de collationibus Jasii inter Kiovienses et Græcos habitis, in *Collectione Hurmuzaki : Docum. privit. la ist. Romanilor*, t. IV, p. 668.

impænitentesque, et eos qui in pænitentia decesserunt antequam pro peccatis satisfecerint [1].

Metrophanem Critopulum existentiam pœnæ temporalis pro peccatis etiam post mortem luendæ docuisse satis in tomo III ostensum est [2]. In capite autem XX suæ *Confessionis fidei*, inscriptum *De oratione pro defunctis*, tertium animarum statum his verbis describit :

« Dantur quidam qui non post mortem statim salutem actu consequuntur, *sed potentia tantum et in spe illam excipiunt; spe, inquam, firma et manifesta;* hi virgam Dei paternam prius experiuntur, et suo tempore digni habentur actuali salute et beatitudine..., pro quibus Ecclesia preces ac supplicationes ad Deum universorum mittit, ut vel ab ærumnis in quibus detinentur, ipsos mox liberet, vel saltem remissionem quamdam et consolationem eis in carcere divinitus conferat [3]. »

In suo *Tractatu de purgatorio*, Georgius Coressius rejicit quidem purgatorium ut tertium locum ab inferno distinctum; novit tamen in inferno varias esse stationes, et quoad essentialia catholice omnino sentit :

« Ecclesia infernum tribuit animabus puniendis sive absque fine, ut illis quæ mortalibus peccatis dirum in modum prægravatæ sunt, sive ad tempus, ut illis quæ liberatæ sunt ex inferis a Jesu, post illius obitum. Salvator enim in inferno apparens, eos salvavit qui crediderunt, secundum sanctum Epiphanium et alios Ecclesiæ doctores. *Hoc idem contingit et iis, qui mortifere quidem peccaverunt, et postmodum ad Deum reversi sunt, sed non per perfectam spiritualium pœnarum actionem repurgati sunt;* qui a gravi morbo convalescentes, non perfecte sani evaserunt propter minutas quasdam humorum reliquias, quæ in illis adhuc permanent. *His itaque,*

1. Nikolskii, *Palladius Rogovskii* (russice) in *Pravoslavnoe Obozrenie*, t. X (1863), p. 162-172.
2. P. 360.
3. « Δεύτερον δὲ, εἶναί τινας μὴ μετὰ θάνατον εὐθέως τῆς ἐνεργείᾳ σωτηρίας τυγχάνειν, ἀλλὰ δυνάμει καὶ ἐν ἐλπίδι ταύτην ἐκδέχεσθαι· ἐλπίδι λέγω βεβαίᾳ καὶ ἀναντιρρήτῳ· οἳ πειραθέντες πρότερον τῆς τοῦ Θεοῦ πατρικῆς ῥάβδου ἀξιοῦνται ἐν καιρῷ καὶ τῆς ἐνεργείᾳ σωτηρίας. » Kimmel, t. II, p. 194-195,

postquam ex hac vita excesserint, non convenit infinita pœna, cum Dei servi sint; sed neque etiam in paradisum statim deferuntur, cum adhuc imperfecti sint, et pusillo adhuc auxilio indigeant, ad hoc ut absolute emundentur. Unde hisce temporales pœnæ conveniunt ad expurgationem [1]. »

Coressio magistro suo plane consentit Gregorius hieromonachus Chius in *Synopsi dogmatum*, c. v :

« Orientalis Ecclesia tenet et credit tres esse animarum a corpore separatarum conditiones, non vero tria loca.... Animæ illæ quæ in hoc mundo deliquerunt, et tempore mortis pænitentiam egerunt, sed *canonem* (= satisfactionem sacramentalem) absolvere non potuerunt, in infernum proficiscuntur; ex quo media miseratione divina et precibus quas fundit Ecclesia, mediisque eleemosynis et sacrificiis a viventibus pro illis peractis liberantur ab inferno. Hoc nos docet inter alios sanctus Damascenus... Et ne tibi res nova videatur, dum dixi omnes in infernum descendere, tum damnatos, tum eos qui spem habent liberationis; quoniam unum tantummodo locum nos divina Scriptura docet; qui tamen habet multa et varia tormenta et stationes tam pro peccatoribus quam pro justis, sicuti nos docet Christus dicens : *In domo Patris mei multæ mansiones sunt.* Et non dixit : *Multæ stationes sunt in* domibus *Patris mei* [2]. »

Confessionem Dosithei in capite xviii tertium animarum statum (non locum) pœnamque temporalem pro peccatis post mortem luendam sensu catholico clare docere jam vidimus [3]. Nota tamen Dositheum liberationem animarum

1. « Ὄγε ξυμβαίνει καὶ τοῖς θανασίμως μὲν ἡμαρτηκόσιν, ἔπειτα δ'ἐπιστραφεῖσι πρὸς Θεόν, μὴ μέντοι διὰ τῆς τελείας τῶν πνευματικῶν κανόνων ἐνεργείας καθαγνισθεῖσιν.... Συνείρουσιν ἄρ'ᾅδου τοῖς τοιούτοις ἔγχρονοι πρὸς καθαρισμὸν ποιναί. » Apud Allatium, *De purgatorio*, p. 224.

2. « Ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία κρατεῖ καὶ πιστεύει πῶς νὰ εἶναι τριῶν λογιῶν αἱ ψυχαί, ὅπου ξεχωρίζουσιν ἀπὸ τὰ σώματα, ὄχι τρεῖς τόπους.... διατὶ ἕνα μόνον τόπον μᾶς διδάσκει ἡ θεία γραφή, ἀμὴ ἔχει πολλὰς καὶ διαφόρους κολάσεις καὶ μονὰς τόσον τῶν ἁμαρτωλῶν, ὅσον τῶν δικαίων.» Notandum est Gregorium, ad demonstrandam existentiam tertii status non solum ad Matthaeum, v, 25-26, et xii, 3-32, sed etiam ad I Corinth, iii, 14-15, provocare; quod in theologo græco omnino mirum est ; cf. V. Loch, *op. cit.*, p. 135.

3. Cf. t. iii, p. 360. De ultima Dosithei circa purgatorium opinione vide infra, p. 149 sq.

mediarum misericordiæ divinæ per Ecclesiae et vivorum suffragia *directe* et *positive* tribuere ; de efficacia vero pœnarum, quas animæ sustinent, ad accelerandam hanc liberationem nihil prorsus eum proferre.

In primo dimidio sæculi xviii, recta de tertio statu doctrina quum apud Russos tum apud Græcos perseverat. Inter Russos habemus Stephanum Javorskii, qui in *tractatu* vi *Petræ fidei : De suffragiis pro mortuis*, præcipuas Protestantium objectiones contra purgatorium et efficaciam orationis pro mortuis dilucide nostrorum scholasticorum more solvit. Distinguit siquidem, ut jam diximus[1], inter pœnam æternam et pœnam temporalem peccato debitam, et asserit Ecclesiam orare tantum pro iis qui in pænitentia ex hac vita migrarunt, debito pœnæ temporalis pro peccatis nondum plene soluto. Videtur tamen solis vivorum suffragiis liberationem animarum tribuere [2]. Ad pœnas autem et tertium locum quod attinet, Javorskii rejicit quidem purgatorium ignem, tertio autem loco, quem *stationibus teloniorum* assimilat, expresse suffragatur, ut orthodoxam tamen habens opinionem eorum qui duo tantum loca profitentur, et *medios* in inferno cum damnatis collocant, quemadmodum in publico et communi carcere detinentur tum qui ad tempus, tum qui in perpetuum ibi remansuri sunt [3].

Elias Meniates, in *Petra scandali*, tres diversos animarum status luculente discernit; cujus verba jam retulimus [4]; rejicit autem tertium locum et de pœnis nihil vult definire [5].

Patriarchæ orientales, in *Epistola dogmatica ad Antiochenos* anno 1722 missa, Latinis expresse contradicunt de purgatorio igne necnon de tertio loco; in cæteris cum illis fere conveniunt :

« Nos veritati pie adhærentes talesque novitates aver

1. Cf. t. iii, p. 369.

2. *Petra fidei*, vii, ed. 1743, t. ii, p. 390-450 ; cf. Bukovoski, *op. cit.*, p. 161-164.

3. *Ibid.*, p. 473-475. Eamdem doctrinam, sed obscurius traditam, invenire est in *Tcheti Minei* Demetrii Rostoviensis, t. vii, Mosquæ, 1906, p. 543 et 545.

4. Cf. t. iii, p. 361.

5. *Op. cit.*, p. 132-133.

santes, duo quidem loca animis demortuorum destinata, paradisum videlicet et infernum... profitemur ac recipimus; tertium autem habitaculum purgatoriumque minime admittimus, cum neque Scriptura neque divi Patres quidpiam simile nos docuerint. *Credimus tamen duobus illis locis multas esse variasque mansiones*, sicut Christus dicit.... Cum autem sanctorum justorumque animæ paradisum, peccatorum vero infernum certo petant, et ex peccatoribus qui impia et irremissibilia commiserint æterne puniantur; qui vero remissibiles levioresque noxas admiserint, secundum inenarrabilem Dei miserationem, libertatem adipisci sperent, idcirco, pro hisce, qui leviora nimirum ac ignoscenda peccarunt, preces ab Ecclesia fiunt, deprecationes, missæ, commemorationes, eleemosynæ, ut utilitatem inde ac solamen animæ illæ percipiant. Quapropter, quando preces pro defunctorum animabus ab Ecclesia funduntur, confidimus quidem veniam eis a Deo dari, non tamen per ignem ac purgatorium, sed per divinam misericordiam, prout infinita Dei bonitas noverit [1]. »

Eadem fere redeunt in *Confessione fidei* synodi Constantinopolitanæ anni 1727, a patriarchis orientalibus item promulgata :

« Iis qui pænitentes, imperfecte tamen, decesserint, doloris ac timoris remissionem levamenque tribui per eas, quæ pro illis fiunt, beneficentias sacrasque precationes et maxime per incruenta sacrificia Deo pro illis oblata, si quidem in recta fide e terris migrarunt, pænitentiamque, etsi in extrema vita, egerunt; minime vero recte sentientibus credendum est defunctorum animas in igne purgatorio versari atque suppliciis cruciatibusque purgari, purgatas vero, post præstituta tempora præstitutaque officia ad hominum libitum igne illo exsolvi; potius autem existimandum *cunctas omnino in Dei manibus esse, qui pro justa sua misericordique voluntate ea quæ ad remissionem pœnarumque liberationem conferant illis largitur*, quique multis orationibus indubitanter flectitur [2]. »

1. « Ὑπὲρ τῶν τοιούτων, τῶν μέτρια δηλαδὴ καὶ συγγνωστὰ ἁμαρτησάντων, γίνονται παρὰ τῆς Ἐκκλησίας αἱ πρόσευχαι. » Mansi-Petit, t. XXXVII, col. 191.

2. « Παρέχειν δὲ ἄνεσιν καὶ παρηγορίαν τῆς ὀδύνης καὶ τοῦ φόβου τοῖς ἐν μετανοίᾳ, ἀτελῶς ὅμως, ἀποδιώσασι τὰς ὑπὲρ αὐτῶν γινομένας εὐποιΐας.. εἴ γε μόνον ὀρθῇ τῇ πίστει τῶν τῇδε μετέστησαν καὶ μετανοίᾳ κἂν τῷ τέλει τοῦ βίου ἐχρήσαντο. » *Ibid.*, col. 900-901.

In secundo dimidio sæculi XVIII et initio sæculi XIX, doctrina de tertio statu obscuratur, saltem apud Russos, sub theologiæ protestanticæ influxu. Theologi hujus periodi incerta vel contradictoria non raro proferunt. Recurrunt autem medii status assertores, tempore reformationis Protasovi, Synodi supremi procuratoris. Antonius, in suo compendio, de illis loquitur peccatoribus, *qui in peccatis quidem decesserunt, cum pænitentia tamen inchoata et in imo corde quædam bona germina servantes;* quorum supplicia Ecclesiæ suffragiis levari, imo penitus tolli possunt. Hæc quidem nimis vaga sunt, sed citatione cap. XVIII Confessionis Dosithei aliquatenus explicantur [1]. Eadem fere invenire est apud Philaretum Gumilevskii [2]. Macarius vero, qui pœnam temporalem peccato debitam negat, de tertia classe animarum, quibus prosunt Ecclesiæ preces, fuse disserit. Cum autem doctrinam in Confessione Dosithei contentam cum iis quæ in Confessione Moghilæ dicuntur, misceat, neque, ut videtur, contradictiones inter utramque Confessionem existentes clare perspexerit, ejus declarationes passim involutæ apparent. Asserit tamen : 1º animas eorum, qui in peccato mortali ex hac vita cedunt, Ecclesiæ suffragiis nullo pacto juvari [3]; 2º hujusmodi autem suffragia illis proficua esse qui *cum vera pœnitentia et a peccato mortali immunes defuncti sunt* [4], antequam dignos tulerint paenitentiæ fructus et venialium delictorum remissionem adepti sint. Quid sibi velint hujus modi fructus paenitentiæ apud theologum pœnae temporalis negatorem, non clare constat. Unum certum est, scilicet pro Macario, sicut et pro Marco Ephesio, veram tertii status rationem — quem tamen una cum tertio loco theologus russus verbotenus negat [5] — esse peccata venialia nondum remissa. Juxta ipsum enim, pœna semper cum peccato remittitur. Insuper, notionem *satispassionis* omnino repellit : Non

1. *Op. cit.*, p. 376.
2. *Op. cit.*, t. II, p. 281.
3. *Op. cit.*, t. II, p. 591, 600.
4. *Ibid.*, p. 590, 597, 600-602.
5. *Ibid.*, p. 603, nota 1.

pœnis, quas patiuntur, sed *solis* Ecclesiæ precibus et vivorum suffragiis tertii status animæ liberantur [1]. Cæterum Macarius falso putat Catholicos docere Ecclesiæ preces non auferre penitus vel abbreviare, sed tantum lenire et mitigare purgatorii pœnas, ita ut hujus modi preces plus noceant quam prosint [2]. Demum, non solum Latinorum purgatorium ut tertium locum refugit, verum etiam eorum theologorum russorum sententiam improbat, qui *medias* animas collocant in *aereis teloniis* vel in inferno seu Hade teloniorum [3]. Ipse vero, post alios, opinatur in inferno diversas esse stationes seu mansiones [4] ita ut, ad locum quod attinet, cum eo lis sit tantum de verbo.

In suo opere : *Quomodo vivunt nostri defuncti* [5], monachus russus Metrophanes non solum tertiam classem animarum, sed etiam tertium locum distinguit, quem infernum seu Haden vocat, a gehenna proprie dicta separatum. In Hade autem duæ sunt partes, quarum una est domicilium animarum tertii status, illarum scilicet, quæ ante mortem dignos pænitentiæ fructus non tulerunt, quanquam christiane vixerunt; altera autem est quasi gehennæ vestibulum, ubi detinentur, ante judicium universale, infideles, pertinaces hæretici et orthodoxi christiani qui ex hac vita migrarunt lethali labe maculati. Gehenna autem proprie dicta pro istis aperietur post ultimam Christi judicis sententiam. Animæ autem in prima parte inferni seu Hades degentes non quidem per seipsas aut per pœnas quas sustinent, sed per *sola* vivorum suffragia et levari et liberari possunt [6].

T. Nikolskii tum tres status, tum tria loca clare ponit, et recte omnino describit statum medium in quo versantur animæ illæ quæ nondum cœlo dignæ sunt, quamvis gehennæ supplicia sustinere non mereantur. Gehenna quippe et Hades

1. *Ibid.*, p. 589-590, 607.
2. *Ibid.*, p. 610.
3. *Ibid.*, p. 603, nota 1.
4. *Ibid.*, p. 603.
5. *Kak givut naschi umerschie*, 3 vol., Petropoli, 1889-1903.
6. Cf. Bukovoski, *op. cit.*, p. 198-200. Opus Metrophanis gallice versum est : *La vie de nos défunts et la nôtre après la mort*, Saint-Petersbourg, 1884.

sunt duo loca plane distincta : gehenna est pro damnatis; Hades autem, quem quidam Ecclesiæ Patres *stationibus teloniorum* assimilant, est proprium animarum medii status domicilium. Non est idem autem ac purgatorium Latinorum, quia *ignem materialem* non habet. In eo animæ purgantur non materiali sed spirituali igne, id est orationibus et incruento sacrificio pro eis oblato. Hæc autem vivorum suffragia ad earum a carcere liberationem omnino necessaria sunt [1].

A. Maltzev unam tantum inter doctrinam catholicam et doctrinam Græco-Russorum de medio statu differentiam invenit, illam scilicet, quæ est de tertio loco : Ecclesia *orthodoxa* duo tantum animarum habitacula agnoscit, cælum nempe et infernum; purgatorium ab inferno non distinguit. Fatetur tamen theologus russus hanc differentiam attenuari ex hoc quod Ecclesia romana (seu potius multi theologi catholici) doceat purgatorii poenas a pœnis inferni non distingui nisi ratione durationis [2].

Svietlov ulterius progreditur pronuntiatque hanc de purgatorio discrepantiam esse omnino fictitiam, a polemistis adinventam ac de industria auctam : « Quoad summa lineamenta, doctrina theologiæ orthodoxæ de medio et *indefinito* (!) statu animarum peccatricum ante universale judicium, cum possibilitate eas levandi per vivorum suffragia, præsertim vero per virtutem incruenti sacrificii,

1. T. Nikolskii, *De oratione pro mortuis* (russice), ed. Mosq., 1890, p. 43, 60, 113, 115, 123, 142, 224, 235, 251. Prima editio hujus operis anno 1825 publicata est; cf. Bukovoski, *ibid.*, p. 167-170.
2. *Die sakramente, etc.*, p. CXXVII sq.; Bukovoski, *ibid.*, p. 190-192. Jam anno 1868, in *Lectione christiana*, t. II, p. 691-697 (*Potestne quis pro mortuis orare quin latinum purgatorium admittat?*), Tarasius Seredinskii cum theologis catholicis in doctrina de medio statu omnino conveniebat, si *ignem* et *tertium locum* excipias. Dicebat sane quosdam in inferno esse in perpetuum, infideles videlicet et impænitentes; alios vero ibidem esse ad tempus, fideles nempe cum vera pænitentia hac vita functos antequam dignos fecerint pænitentiæ fructus, quos liberant Ecclesiæ preces : « Latini, aiebat, diversas in inferno mansiones ponere deberent, sicut revera plures in caelo exstant. » Nemo non videt Seredinskii summam doctrinæ de purgatorio admittere. Inde pro mortuis orare bene potest.

cum doctrina latina plane congruit, vixque specie ab ea differt, nempe circa naturam pœnarum [1]. »

Apud Græcos recentiores, tertius animarum ordo ac status suos etiam servat tenaces. Nicodemus Haghiorita, in Ἐξομολογηταρίῳ, existentiam pœnæ temporalis peccatis debitæ, tam in vita præsenti quam post mortem, diserte docet [2]. Nectarius Kephalas de medio statu cum theologis catholicis, tertio loco excepto, omnino convenit. Etenim non solum tertiam animarum classem docet, [3] verum etiam *ignem* non refugit, quem vult esse non *purgatorium* — Deus enim solus, inquit, animas purificat — sed *punitorium* [4].

C. Koïdakis in suo *Catechismo* hæc habet : «Per se patet per Ecclesiæ suffragia et commemorationes *non condonari gravia et mortalia peccata, sed leves culpas,* quæ tamen ab ingressu in caelorum regnum impediunt; quas qui in pænitentia hinc decesserunt fideles bonis operibus non compensarunt [5]. » Doctrinam auctor firmat Scripturæ testimoniis : Joan., v, 15-17; Math., xii, 31-32; II Machab., xii, 42-46. Postea in purgatorium ignem invehitur τῆς παπικῆς Ἐκκλησίας! Multi alii catechismi græci de tertio statu brevius loquuntur [6].

Disertum de purgatorii dogmate testimonium occurrit in *Nomocanone* Manuelis Malaxi apud Rumenos recepto :

« Can. 158 : Per liturgias, orationes et eleemosynas vivorum, quæ faciunt pro defunctis, remittuntur eis peccata venialia, non item graviora peccata. Qui enim in his obierunt eis occlusum est caelum, nec sacrificia vivorum et bona opera eis opitulari possunt.

« Can. 159 : Prodesse sacræ missæ sacrificium defunctis in remissionem peccatorum et liberationem eorum a loco

1. *Khristianskoe Vieroutchenie*, ed. 3, p. 194-195. Hujus auctoris dicta respectu multorum theologorum græco-russorum tantum, non respectu omnium vera sunt, ut ex infra dicendis constabit.
2. Ἐξομολογητάριον, ed. 4, Venetiis, 1835, p. 287-288.
3. Τὰ ἱερὰ μνημόσυνα, Athenis, 1892, p. 28-30.
4. «Τὸ κολάζον πῦρ τῆς κολάσεως εἶναι τιμωρητικὸν καὶ οὐχὶ καθαρτικόν.» *Ibid.*, p. 115.
5. *Op. cit.*, p. 187-188.
6. Cf. *Catech.* Baphidis, p. 116-117; *Catech.* Calliphronis, p. 34; *Catech.* Khamudopuli, p. 95.

tormentorum exemplis eorum confirmatur qui post mortem apparuerunt et postularunt pro se missas celebrari [1]. »

Alia testimonia minoris momenti referre supersedemus. Hæc enim plane sufficiunt ad ostendendum summam dogmatis de purgatorio a sæculo ix ad nostra usque tempora in Ecclesia græco-russica suos semper habuisse disertos assertores. Hoc non impedit quominus apud istos non raro occurrant multiplices differentiæ de minoribus quæstionibus ad purgatorium spectantibus; de quibus nunc dicendum.

ARTICULUS V

De differentiis inter communem doctrinam theologorum catholicorum et doctrinam dissidentium, statum tertium tenentium, circa minores de purgatorio quæstiones.

Tres sunt potissimum quæstiones ab Ecclesia catholica non definitæ, circa quas plena consensio deest inter plerosque theologos catholicos et multos ex illis Græco-Russis qui de essentialibus ac definitis nobiscum conveniunt, videlicet: 1° quæstio de natura pœnarum quas animæ *mediæ* sustinent; 2° quæstio de tertio loco a cælo et ab inferno damnatorum distincto, in quo hujusmodi animæ purgantur; 3° quæstio de modo quo eædem a suis pœnis liberantur, utrum nempe *solis* Ecclesiæ precibus ac vivorum suffragiis, an etiam *propria satispassione* ad liberationem accedant et perveniant. Non pauca quidem in præcedenti articulo posuimus, quæ ad hujusmodi quæstiones referuntur; nunc vero data opera, quæ ad singulas pertinent in unum colligere ac breviter contrahere intendimus, nova quædam nondum prolata exhibentes.

1. J. Papp-Szilagyi, *op. cit.*, p. 48.

I. — De natura pœnarum medii status.

Jam supra diximus Ecclesiam catholicam de natura pœnarum purgatorii seu medii status, quatenus hujusmodi pœnæ a privatione visionis beatificæ distinguntur, nihil definivisse. Opinio quidem inter Catholicos communior est animas *medias* pœnam ignis sustinere; verum, fuerunt semper inter Latinos quidam theologi, etiam nostra ætate (ut Klee, Möhler, Dieringer, etc.), qui ignis hujusmodi existentiam non admiserunt, vel in dubium verterunt, vel saltem ex hac pœna quasdam animas exemerunt. Fatendum est autem in controversiis, quæ inde a sæculo xiii inter Græcos et Latinos de purgatorio habitæ sunt, quæstioni de igne nimium momentum ex parte Latinorum plerumque fuisse tributum : quod utique spiritum contentionis fovit, polemistisque anticatholicis hanc litem perpetuandi facilem ansam præbuit. Ignis enim purgatorii existentia neque sacra Scriptura *certo* probari potest, neque in vetere Patrum traditione diserta habet testimonia, quibus nulla subsit obscuritas.

Ignis purgatorii positio ex parte Latinorum causa fuit cur Græci, statim a controversiæ principio, origenismi accusationem in illos protulerint. Porro Latinos inter et Origenistas, nulla alia detegitur communitas præter alicujus ignis purgatorii affirmationem. Purgatorius ignis nostrorum in nomine tantum cum igne purgatorio Origenistatum congruit. Ille siquidem solas purgat animas medii status, et hoc sane ante judicium universale; hic vero damnatos, et etiam dæmones, gradatim mundat ac purificat, præsertim post secundum Christi adventum, donec ipsi tandem a statu peccaminoso recedant, et ad Deum ultimo convertantur. Hujusmodi autem differentias plerique polemistæ antilatini vel non adverterunt, vel advertere noluerunt. Errori vero atque ambiguitati ingerendæ haud parum contulit opinio multorum Græcorum de dilatione retributionis, juxta quam damnati et dæmones igni æterno tradendi non sunt ante finale judicium; cui opinioni, ut vidimus, adhærebat Georgius ille Bardanes, qui omnium Græcorum primus de purgatorio cum Latinis disputavit. Aliam de origenismi accusatione vel

suspicione rationem retulerunt græci præsules in concilio Florentino, cum ad primam Latinorum positionem responderunt :

« Animas medias, dixerunt illi, per ignem purgatorium ad vitam æternam pervenire nequaquam adstipulamur tum quod ne ab ullo quidem doctorum hoc traditum acceperimus, tum quod metus non exiguus nos incessat, ne temporarium ignem statuentes eumque transitorium et purgatorium, universum Ecclesiæ cœtum labefactemus. Cum enim Deus et Salvator noster peccatores in ignem æternum abituros pronuntiet, quomodocumque is ignis intelligatur, hunc solum fideles agnoscunt, eoque ipsorum aures a pueris personant, et ad hunc respicientes eumque maxime omnium metuentes dicta factaque sua omnia moderantur. *Nunc vero ex integro de temporario etiam igne verba faciamus, verendum est ne fideles hunc loco æterni habentes, etiam omnem ignem jam talem esse putent, atque hinc in Origenis errorem prolabantur*, æternique supplicii memoriam animis suis excutiant, finem pœnæ statuentes. Ex quo multa quidem secutura absurda, cum et magnam arrepturi sint in vita sua recte instituenda negligentiam, et magnam suppeditaturi æterno supplicio materiam, nemo est qui ignoret [1]. »

Cæterum Latini haud raro quæstionem de igne cum ipsa doctrina de purgatorio, prout definita est, confundere visi sunt, neque unam ab altera clare secreverunt, ita ut auctoritates attulerint, quæ existentiam tertii status magis quam purgatorium ignem stabilirent. Ita, v. g., egerunt in disputationibus quæ Ferraræ habitæ sunt. Cum enim Græci ab initio statim animarum mediam classem agnovissent, in purgatorium ignem impetendum totas vires contulerunt; quibus facilis cessit victoria, dum ostendere aggressi sunt sequentes locos Scripturæ a Latinis ad ductos : II Mach., xii, 46; Matth., xii, 32, cum Marc., iii, 29, et Luc., xii, 10; immo I Corinth., iii, 13-15, existentiam *ignis purgatorii* non probare. Item Patrum testimonia, si sancti Gregorii Magni unum excipias, a Latinis citata medium statum potiusquam ignem suadebant; unum sub nomine Theodoreti laudatum, spurium erat; loci vero a

1. L. Petit, *op. et loc. cit.*, *Responsio Græcorum*, 4, p. 63.

sancto Gregorio Nysseno mutuati origenismum sapiebant [1]. Acerrima præsertim fuit utrinque concertatio circa sensum verborum Apostoli in I Corinth., III, 15 : *Ipse autem salvabitur, sic tamen quasi per ignem*. Græci sancti Joannis Chrysostomi interpretationi, cui, ut vidimus [2], suffragabatur Photius, tenaciter adhæserunt [3] ; cum autem quædam protulissent quæ Patrum latinorum auctoritati et Ecclesiæ romanæ dignitati derogarent, Latini moderate suos defenderunt, et sanctum Gregorium Nyssenum etiam ab origenismi labe purgare conati sunt [4]. De verbis vero Apostoli probabilem interpretationem dederunt, quin Chrysostomi exegesim parvipenderent [5]. Hic autem totius disputationis exitus fuit, scilicet quod de purgatorio igne in decreto unionis silentium servatum est, definitum vero tantum fuit animas medias *pœnis purgatoriis purgari*, καθαρτικαῖς τιμωρίαις καθαίρεσθαι, quanquam, ut diximus, sub finem concilii plerique Græci ab igne purgatorio non abhorrebant. Et hoc non tanta miratione dignum est. Si enim purgatorio igni tam vehementer adversati sunt polemistæ dissidentes, hoc potius spiritui contentionis quam certæ persuasioni videtur esse tribuendum. Verum quidem est, ante exortam controversiam, quosdam theologos byzantinos supplicium ignis pro inferorum incolis usque ad diem extremum distulisse propter suam de tempore retributionis falsam opinionem ; inter quos Michaelem

1. *Latinorum cedula de purgatorio*, *ibid.*, p. 25-38, collata cum *Responsione Græcorum*, 6-18, *P. O*, *loc. cit.*, p. 64-76.
2. P. 101.
3. Notum est Chrysostomum verba Pauli : αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός, non de salute æterna intellexisse, sed de perseverantia damnatorum in esse et in supplicio ignis æterni post ultimum judicium : « *Salvabitur*, inquit, peccator *quasi per ignem*, id est permanebit igni addictus, non autem una cum pravis operibus et vitiis absumetur. » *Homil.*, IX, *in Epist.* I *ad Corinth.*, *P. G.*, t. LXI, col. 75-82.
4. *Latinorum responsio ad libellum Græcorum*, 7-16, *P. O.*, *loc. cit.*, p. 88-97.
5. « Est igitur dies designans aeternum sempiternumque ignem, quem vobiscum de extremo judicio congruenter accipere possumus. Est etiam alter dies significans temporarium ignem levibus peccatis destinatum, qui proprie dies Domini dicitur, quia generalem illum præcedit, cujus judicium ex hoc pendet. » *Ibid.*, 13, p. 95.

Glykam supra invenimus [1] ; at vero quosdam alios, inter eos videlicet qui retributionem immediatum docebant, oppositæ sententiæ adhæsisse dubium non est, quandoquidem tum apud Pseudo-Damascenum, tum in *Dialogis* sancti Gregorii Magni inter Byzantinos vulgatissimis, ignis purgatorii diserta mentio occurrit ; imo in ipsis libris liturgicis Græcorum pœna ignis, cui animæ fidelium pro quibus orat Ecclesia, obnoxiæ sint, haud semel indicari videtur [2].

Ut ex testimoniis in præcedenti articulo recitatis constat, plerique theologi dissidentes medii status assertores qui post concilium Florentinum fuerunt, pœnam ignis rejecerunt, et hoc quidem aliqui fecerunt propter crassiorem sensum, quem igni purgatorio Latinorum et purificationi animarum per ignem gratis tribuerunt. Raros tamen invenimus Græcos qui pœnam ignis pro animabus mediis statuerint ; inter quos nominandus est Gabriel Severus, cujus verba sunt hæc :

« Hæc loca, ad quæ animæ immittuntur, ut peculiares pœnas luant pro mensura delictorum... non voco *purgatorium*, ne quis existimet quod in hoc concordamus Platoni, qui in Phædone dicit expurgari peccatorum animas, sed ea voco satisfactiva (ἱκανοποιούς), hoc est, locum in quo cruciantur animæ, in quantum dignæ sunt punitione, et in quantum misericordia Dei voluerit. *Placet mihi nihilominus sententia nonnullorum doctorum occidentalis Ecclesiæ, qui asserunt ignem æternum illum esse in quem animæ immissæ puniuntur ad tempus ; qui quidem sua natura æternus est et ita a Deo creatus est ; dicitur vero temporarius non sui natura, sed ob animas, quæ ex eo liberantur ;* propter eas vero, quæ in eo absque fine cruciantur, dicitur æternus et perpetuus [3]. »

1. P. 67.
2. In quibusdam textibus liturgicis, sermo est de *igne æterno*, a quo ut liberentur animæ orat Ecclesia, et tunc explicatio supra allata, p. 92, locum habere potest ; in aliis vero textibus, ignis simpliciter fit mentio, et tunc nihil prohibet quominus ignem purgatorium intelligamus, ut, v. g., in hoc tropario : Ῥῦσαι πυρὸς τοῦ φοβεροῦ δούλους, φιλάνθρωπε, Ἐκκλησίας σου σεπτῆς. *In sabbato animarum.*
3. « Ἀρέσκει μοι ὅμως ἡ γνώμη τινῶν διδασκάλων τῆς δυτικῆς Ἐκκλησίας, οἵτινες λέγουσιν, ὅτι τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον εἶναι ἐκεῖνο εἰς τὸ ὁποῖον πηγαίνουσιν αἱ ψυχαὶ καὶ τιμωροῦνται πρὸς καιρόν, κτλ. » *De quinque differentiis*, ed. cit., p. 51.

Item, nostris diebus, Nectarius Kephalas animas medii status igne puniri docet; quem non *purgatorium*, καθαρτικόν, sed *punitivum*, τιμωρητικόν, appellat [1].

Loco ignis, Græco-Russi communiter ponunt tum pœnas intimas ex ipso subjecto orientes, tum *pœnam inclusionis et tenebrarum*. Notum est autem sanctum Thomam aliosque theologos latinos docere ignem animas separatas et dæmones cruciare non per modum pœnæ ustionis, sed per modum inclusionis et carceris; unde sententia Thomistarum cum opinione Græcorum fere congruit, etsi isti ignem tollunt [2].

Jam ante concilum Florentinum, Simeon Thessalonicensis, qui, ut supra diximus, retributionis dilationem docet, et ideo igni purgatorio adversatur, pœnas *mediorum* ita describit :

« Nullus sanctorum præcedentem [judicium universale] punitionem agnoscit præter eam quæ est in mœrore esse et in locis inconsolabilibus... *velut in carcere*... Dat vero relaxationem quamdam a mœrore et timore iis qui cum paenitentia sed non perfecte ex hac vita migrarunt, non ignis aliquis puniens et eos purgans, sed sacræ preces et sacrificia pro iis Deo oblata... Etsi sanctus Gregorius Dialogus dixit animas flamma torqueri, hoc spiritualiter dicit, innuens animas in certo loco esse quasi captivas et igne conscientiæ exuri... Quæ vero moderate deliquerunt, et cum pænitentia ex hac vita excesserunt, per sacrosanctum sacrificium, beneficientias aliaque opera, libertatem consequi possunt, antequam judex advenerit [3]. »

In concilio Florentino, Græci primum nihil voluerunt de pœnis mediorum decernere : « Utrum per aliquam punitionem, *veluti carceris aut caliginis* cujusdam *et ignorantiæ*, an vero simpliciter per Dei clementiam et Ecclesiæ preces ipsum placemus, ut talia peccata remittat.... in præsenti dicendi

1. Cf. supra, p. 124.
2. Cf. *Summæ theol. supplementum*, q. LXX, a. 3. : « Ignis ex natura sua habet quod spiritus incorporeus ei conjungi possit ut loco locatum; sed inquantum est instrumentum divinæ justitiæ, habet ut ipsum quodammodo retineat illigatum; et in hoc veraciter ignis est spiritui nocivus et sic anima ignem ut sibi nocivum videns, ab igne cruciatur. »
3. *Contra hæreses*, c. XXIII; *Quæstio* IV *ad Gabrielem Pent.*, *P. G.*, t. CLV, col. 117, 844-845.

locus non est [1]. » Postea vero Marcus Ephesius de hujusmodi pœnis eodem fere pacto ac Simeon Thessalonicensis sermonem fecit :

« Diximus ergo, ait, pœnam qua medii afficiuntur mœrorem esse, vel conscientiæ pudorem ac stimulum vel pænitudinem, vel inclusionem et caliginem, vel pavorem ac futuri ambiguitatem, vel solam divinæ visionis dilationem, pro ratione culparum ab unoquoque admissarum, et rectissimus habebitur hic sentiendi dicendique modus; animas vero incorporeas a corporeo igne cruciari expurgarique dicere omnino nequimus. Nisi forte existimaverimus ignem ab eis per allegoriam dictum fuisse vel callide excogitatum ob aliquam illius temporis utilitatem [2]. »

Huic Marci Ephesii opinioni de mediorum pœnis communiter steterunt polemistæ posteriores. Hanc amplectitur Georgius Scholarius in *Epistola ad Joannem Thessalonicensem* : « Non tanquam in igne, inquit, et punitione, sed tanquam *in custodia et carcere tempus eis præstitutum ibi manent*, gemitibus, lacrymis metuque a beata vita penitus excidendi judicem placantes, ejusque misericordiam implorantes [3]. » Metrophanes Critopulus, in *Confessione*, c. XX, in pœnis internis potissimum insistit :

« Adserit Ecclesia pœnam eorum neque materialem neque organicam esse, neque per ignem, neque per qualemcumque aliam materiam, sed per afflictionem et angustiam conscientiæ, e recordatione orientem eorum quæ in mundo neque secundum rationem neque sancte perpetrarunt. »

Quidam vero, ut Elias Meniates [4], de hujusmodi pœnis nihil definire volunt.

1. *Responsio Græcorum*, 3, 5, *P. O.*, *t. cit.*, p. 63.
2. *Marci oratio altera de purgatorio*, 11, *P. O.*, *ibid.*, p. 118.
3. Cf. supra, p. 113, nota 1, textum græcum.; cf. etiam ejusdem Scholarii *tertium de anima tractatum*, *loc. cit.*, p. 513, ubi quæstionem de indole pœnarum quas animæ mediæ sustinent, parvi esse momenti dicit.
4. *Op. cit.*, p. 133 : « Τιμωροῦνται οἵῳ τρόπῳ καὶ τόπῳ οἶδεν ὁ Κύριος. »

II. — De tertio loco.

De loco purgatorii *ut loco* nihil esse definitum ab Ecclesia jam diximus. Quid autem de hoc puncto communiter nostri teneant, invenire est apud sanctum Thoman in *Supplemento, De purgatorio*, art. II :

« Probabiliter, et secundum quod consonat magis sanctorum dictis et revelationi factæ multis, locus purgatorii est duplex : unus secundum legem communem ; et sic locus purgatorii est locus inferior, *inferno conjunctus*, ita quod idem sit ignis qui damnatos cruciat in inferno, et qui justos in purgatorio purgat, quamvis damnati, secundum quod sunt inferiores merito, et loco inferiores ordinandi sint. Alius est locus purgatorii secundum dispensationem ; et sic quandoque in diversis locis aliqui puniri leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel mortuorum subventionem.... Quidam tamen dicunt quod secundum legem communem locus purgatorii est ubi homo peccat.... Quidam vero dicunt quod puniuntur supra nos, secundum legem communem, quia sunt medii inter nos et Deum quantum ad statum. Sed hoc nihil est, quia non puniuntur pro eo quod supra nos sunt, sed pro eo quod est infimum in eis, scilicet peccatum. »

Opinionum varietas de hac quæstione deprehenditur etiam apud Græco-Russos. Horum quidem major pars Latinis exprobrat tertium locum ut in sacra Scriptura et in traditione Patrum prorsus inauditum, et *medios* in inferno, nulla data explicatione vel distinctione, collocat ; verum, eorum non pauci in inferno, sicut et in cælo, *diversas esse mansiones* pronuntiant, ita ut illorum sententia ad eam, quæ communiter a Latinis de purgatorio *ut loco inferno vicino* tenetur, prope accedat. Aliquid simile jam dixerat Macarius Aegyptius in *homilia* XL : « Nonnulli, inquit, unicum regnum et unicam gehennam esse aiunt. Nos autem *multos gradus et differentias atque mensuras* esse dicimus tum in ipso regno, tum in ipsa gehenna ....Qui unicum inquiunt esse regnum et unicam gehennam, nec ullos esse gradus, male dicunt [1]. » Inter eos

1. « Ἡμεῖς δὲ λέγομεν βαθμοὺς πολλοὺς καὶ διαφορὰς καὶ μέτρα, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ βασιλείᾳ, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ γεέννῃ. » *Homil.* XL, 3, *P. G.*, t. XXXIV, col. 764.

qui de diversis mansionibus inferni loquuntur, jam notavimus Gabrielem Severum [1], Gregorium hieromonachum Chium [2], patriarchas orientales in *Epistola dogmatica ad Antiochenos* (an. 1722) [3], Macarium Bulgakov [4].

Sicut quidam Latini opinati sunt medios *supra nos* puniri, ita etiam plures Orientales pro loco purgatorio habuerunt *aerea telonia*, de quibus egimus, ubi de judicio particulari. Marcus Ephesius in *prima oratione de purgatorio*, 1, jam dixerat « quasdam animas purgari in ipso exitu a corpore per ipsum solum metum.... ; alias vero etiam post exitum, *sive in ista regione terris citima commorentur*, antequam ad Dei adorationem perveniant, beatumque consequantur finem, sive etiam in inferno detineantur et ipsæ [5]. »

Georgius Scholarius vero, in *Tertio tractatu de anima*, de diversis opinionibus circa locum, ubi medii status animæ peccatorum pœnas luant, fuse disserit. Ex doctoribus, inquit, quidam animas hujusmodi in terrestrem paradisum congregant ; alii vero aerem terram ambientem earum purgationi ac meliorationi assignant, cum terrestris paradisus illis utpote corpore nudis sive ad solatium sive ad pœnam nihil prorsus conferre valeat. Ex occidentalibus vero doctoribus qui ante schisma fuerunt aliqui animas medias in camino manere dicunt ubi convexa aeris superficies cavæ aetheris superficiei conjungitur, ibique a venialium peccatorum labe reatuque solutas ad caelum ascendere, has citius, illas tardius, purificationis et ascensionis celeritati Ecclesiæ suffragiis conferentibus ; quibus doctoribus Latini nunc consentientes, mediarum animarum τὸ καθαρτήριον in æthere esse dicunt, purgatorium romana voce illud appellantes. Utrum autem in terra et paradiso, an in aere, vel in camino animæ mediorum commorentur, parum refert, Scriptura sacra de illis nihil plani decernente. Ipse vero Scholarius illorum opi-

1. Supra, p. 115.
2. P. 118.
3. P. 120.
4. P. 122.
5. « Τὰς δὲ καὶ μετὰ τὴν ἔξοδον ἢ μενούσας ἐν τῷδε τῷ περιγείῳ χώρῳ, πρὶν εἰς προσκύνησιν τοῦ Θεοῦ ἀφικέσθαι... ἢ καὶ αὐτὰς ἐν ᾅδῃ κατεχομένας. » *P. O.*, *t*, *cit.*, p. 41.

nioni magis suffragatur qui dicunt animas medias a beatitudine retardari per dæmonia *telonia* eas diversis modis vexantia, bonis angelis hoc permittentibus ad peccatorum expiationem [1].

Cum Scholario inter alios consentiunt Manuel Rhetor [2], Stephanus Javorskii [3], Demetrius Rostoviensis [4] et T. Nikolskii [5]. Laurentius Zizanii vero [6] duplicem infernum seu *Haden* distinguit, dum monachus Metrophanes infernum mediorum a vestibulo gehennæ et ab ipsa gehenna damnatorum secernit [7].

III. — De modo quo animæ medii status a suis pœnis liberantur, ut ad cælum transeant.

In *Confessione Michaelis Palaeologi* definitum est animas medii status pœnis purgatoriis purgari, « *et ad pœnas hujusmodi relevandas* prodesse eis fidelium vivorum suffragia. » Quid vero significant verba : *ad pœnas hujusmodi relevandas*? Credimus ea sic reddi posse « ad pœnas hujusmodi *leviores, mitiores* reddendas seu *alleviandas*; » quod confirmatur ex textu græco : « πρὸς δε τὸ τὰς ποινὰς ταύτας ἀνακουφίζεσθαι [8]. » Unde in Confessione Michaelis non agitur *directe de liberatione a pœnis*, sed de earum alleviatione et mitigatione. In *Decreto* autem *unionis Florentinæ*, textus latinus paulo aliter se habet : « Et ut *a pœnis hujusmodi releventur*, prodesse eis fidelium vivorum suffragia ; » quod bene verti potest in hoc : « Et ut a pœnis hujusmodi *exonerentur* vel *liberentur*, prodesse eis, etc. » Concordat etiam textus græcus : loco enim verborum : πρὸς τὸ τὰς ποινὰς ταύτας ἀνακουφίζεσθαι legitur : ὥστε δὲ ἀποκουφίζεσθαι αὐτὰς (scilicet ψυχὰς) τῶν τοιούτων τιμωριῶν. Ergo in *Confessione* agitur directe *de pœnarum ipsarum alleviatione* seu minutione ac mitigatione; in *Decreto* vero, sermo est de *exoneratione* seu *liberatione animarum a pœnis*. Certe in utroque documento subintelligitur ipsas pœnas, quibus subjiciuntur animæ, eis etiam prodesse tum ad pœnarum alleviationem seu diminutionem, tum ad accelerandam liberationem ipsarum a pœnis hujusmodi, ita ut, etiamsi nulla pro eis fierent vivorum suffragia, sua propria *satispassione* divinæ justitiæ tandem solverent peccatorum debita, et ad caelum transirent. Hæc consequentia sponte fluere videtur tum ex notione medii status, qui est temporarius, tum ex ipsa definitione *pœnæ temporalis*, quæ utique non potest esse æterna, tum etiam ex ratione *purgationis* seu *purificationis*, de qua loquuntur fidei documenta; quod enim purificatur ad perfectam puritatem aliquando pervenire debet. Hanc consequentiam esse *de fide definita* non pronuntiamus, sed dicimus eam esse certam et fidei proximam; quam quidem plerique theologi græco-russi, ex iis qui tum pœnæ temporalis existentiam tum tertium animarum statum asserunt, libenter admittunt [1]; multi vero recentiores rejiciunt, præsertim inter Russos, propterea

1. *Œuvres complètes*, t. I, p. 512-514 : « Πότερον οὖν ἐν τῇ γῇ καὶ τῷ παραδείσῳ, ἢ ἐν τῷ ἀέρι, ἢ ἐν τῷ ὑπεκκαύματι διαρκοῦσιν αἱ τῶν μέσων ψυχαί..., μικρὸν διαφέρει... Ἀλλ' ἐν ἀέρι μᾶλλον ταῖς ἀνθολκαῖς τῶν τελωνίων ἐμπικραινόμεναι, συγχωρούντων αὐτοῖς τῶν ἀγαθῶν ἀγγέλων... ταῖς ἀνθολκαῖς τρίβειν αὐταῖς τὴν ἄνοδον, καὶ οὕτω λυπεῖν τῶν πταισμάτων ἀναμιμνησκομένας. » P. 513.

2. Supra, p. 114.

3. P. 119.

4. Cf. Bukovoski, *op. cit.*, p. 165.

5. Supra, p. 123.

6. P. 116.

7. P. 122.

8. Nota in textu græco *Confessionis Michaelis* adhiberi verba: ποιναῖς καθαρτικαῖς; in decreto vero Florentino haberi : τιμωρίαις καθαρτικαῖς.

1. Ita sentiunt præsertim theologi sæculi XVI et XVII, quorum verba sive in capite de sacramenti pænitentia, sive in præcedenti articulo retulimus. Sæculo XVIII, Elias Meniates, *op. cit.*, p. 133, notionem catholicam satispassionis clare exprimit, dumscribit : « Μὲ τὴν τιμωρίαν ἐκείνην πληρώνουσι τὸ χρεός, ὅπου ἔχουσι μὲ τὴν θείαν δικαιοσύνην· ἡμεῖς δὲ οἱ ζῶντες εἰς τὴν πληρωμὴν τοῦ χρέους ἐκείνου συντρέχομεν μὲ τὰς ἐλεημοσύνας, μὲ τὰς προσευχὰς, κτλ : *Illa pœna animæ debitum solvunt quod in divinam justitiam habent ; nos vero qui vivimus ad hujus debiti solutionem conferimus per eleemosynas preces, etc.* » Sæculo XIX, Russus Antonius notionem satispassionis item innuit, dum dicit « Ecclesiam per sua suffraga *animabus cooperari, ut a peccatis seipsas purificent*, et a Deo remissionem accipiant aliquidque melius adipiscantur : διὰ τούτου συνεργεῖ αὐτοῖς, ὅπως καθαρίσωσιν ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν καὶ λάβωσι παρὰ Θεοῦ συγχώρησιν καὶ τύχωσι κρείττονός τινος. » *Op. cit.*, p. 386.

quod pœnam temporalem etiam negant [1]. Hi docent animas medii status *solis* Ecclesiæ precibus et vivorum suffragiis *adjuvari*, et *a pœnis liberari*, non vero *propria satispassione*.

Hujus miræ sententiæ duplex fundamentum theologicum ponunt. Primum quidem dicunt defunctos post mortem nihil pro seipsis præstare posse, sed auxilium omne a vivis fratribus et a mera Dei misericordia exspectare. Illud insuper addunt quod jam in concilio Florentino Marcus Ephesius declaraverat, scilicet *culpam nunquam remitti sine pœna*, sed utramque simul a Deo tolli. Unde, quando per Ecclesiæ preces peccata venialia animabus mediis remittuntur, pro ipsis etiam omnis pœna cessat. Ad eamdem conclusionem deveniunt tum qui pœnam temporalem peccato remisso debitam omnino negant, tum qui hanc pœnam pro vivis quidem admittunt, pro defunctis vero in caritate rejiciunt, docentes Deum sive per se, sive per Ecclesiam paenitentibus moribundis omnes pœnas condonare, ita ut, secundum illos, *sola ratio* medii status seu purgatorii sint peccata venialia, quorum defunctos nullo modo pænituit, dum adhuc viverent.

Marcus Ephesius primus videtur fuisse qui hanc novam theologiam adinvenerit; cujus verba supra recitavimus [2]. Inde a concilio Florentino usque ad sæculum XVIII, hujus opinionis sequaces — loquimur semper de iis qui tertium statum agnoverunt — admodum rari fuerunt [3]. A sæculo autem XVIII usque ad nostra tempora, tum inter Græcos, tum præsertim apud Russos invaluit. Ex Græcis eam propugnant : 1° patriarchæ orientales tum in *Epistola dogmatica* anni 1722 [4], tum in *Confessione fidei* anni 1727 [5]; 2° recentes

1. Notandum est quosdam exstare qui vim et efficaciam satispassionis negent, quamvis pœnam temporalem *etiam pro defunctis* admittant inter quos invenimus Stephanum Javorskii; cf. supra, p. 119.
2. P. 108.
3. Marco suffragatur, v. g., ejus frater Joannes; cf. supra, p. 110. Nota quosdam polemistas invehi in ignem purgatorium et animarum *purgationem*, quod hanc purgationem sensu crassiori et materiali intelligant, non vero quod pœnarum indolem *satisfactoriam* negent; ita, v. g., Scholarius, supra, p. 113, nota 1; Gabriel Severus, p. 115, etc.
4. P. 120.
5. P. 120.

quidam catechismorum auctores, ut Baphides [1] et C. Koidakis [2]. Inter Russos vero ei adhærent: Stephanus Javorskii [3], T. Nikolskii [4], Macarius Bulgakov [5] ejusque discipuli [6], monachus Metrophanes [7]; etc. Docent ergo hi omnes *animarum liberationem a peccatis pœnisque per Ecclesiæ vivorumque fidelium suffragia*, non vero *aliquam animarum purgationem sive purificationem per illas pœnas*, quas documenta fidei catholicæ vocant *purgatorias seu purificativas;* vel saltem *negant pœnas, quas animæ sustinent, ex se sufficere ad ipsas liberandas, nisi accedant Ecclesiæ suffragia.* Hic jacet differentia inter illos theologos et certam doctrinam theologiæ catholicæ de *pœnis purgatoriis*.

ARTICULUS VI

De theologis qui statum tertium negant et liberationem ab inferno docent per Ecclesiæ et vivorum suffragia.

De animabus reproborum tres moveri possunt quæstiones : 1° Num ex eis aliquæ per miraculosam exceptionem ab inferno *liberari* possint, Ecclesiæ vel quorumdam sanctorum interventu ? 2° Num earum pœnæ per Ecclesiæ et vivorum suffragia *mitigari* possint ? 3° Num *secundum communem legem a Deo statutam*, dicta suffragia hanc suetam habeant efficaciam, ut ab inferno eripiant animas quorumdam, qui cum peccatis mortalibus ex hac vita migrarunt ? In præsenti articulo de hac ultima quæstione speciatim agimus; de secunda in tertio capite hujus tractatus dicturi sumus; de prima vero quædam jam in quarto hujus capitis articulo protulimus, quæ sequentibus nunc complere juvat.

1. *Op. cit.*, p. 117-118.
2. « Αὐτοὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὔτε δύνανται νὰ ἀπαλλαγῶσιν ἐκεῖθεν, οὔτε νὰ συντελέσωσιν εἰς τὴν βελτίωσιν τῆς ἑαυτων καταστάσεως. » *Op. cit.*, p. 187.
3. Supra, p. 119.
4. P. 123.
5. P. 121.
6. Cf. Bukovoski, *op. cit.*, p. 186.
7. Supra, p. 122.

I. — De miraculosa liberatione quorumdam damnatorum.

Fabulas de liberatione Falconillæ precibus sanctæ Theclæ, necnon Trajani imperatoris, Gregorii Dialogi interventu, quas Pseudo-Damascenus in libello *De iis qui in fide dormierunt*, memoravit, pro veris historiis communiter habuerunt Byzantini, et ad eas provocare consueverunt quoties de efficacia orationis pro defunctis disserebant. Illis mox addiderunt narrationem de liberatione Theophili imperatoris iconoclastæ per sacerdotum preces, non quidem prout refertur a *Theophane continuato* — ita enim narrata disertum præbet testimonium de fide Ecclesiæ byzantinæ in dogma purgatorii, ut supra ostendimus [1] — sed omissa mentione de pænitentia imperatoris in extremis [2]. Alia quædam exempla hujusmodi apud hagiographos vel historicos byzantinos invenire est [3]. Sæculo XIV, Nicephorus Callistus has fabulas Triodii synaxariis inseruit, ubi etiam nunc leguntur [4]. Unde

1. P. 99 sq.
2. Liberationem Theophili Zonaras ita narrat : « Tum aiunt imperatricem instantissime orasse patriarcham aliosque pontifices et monachos, ut communibus precibus salutem imperatoris et conjugis sui a Deo exorarent. Quod cum illi ferventibus animis fecissent, Deum preces servorum suorum non esse aspernatum, sed ignovisse Theophilo cognoverunt. Celebrantur hæc et ab eis qui Dei humanitatem intuentur, et recipiunt et credunt. Neque vero quisquam eis fidem abrogaverit, nisi qui parum posse intercessiones sanctorum apud Deum senserit et Dei bonitatem cum humanis erratis componere ignoraverit. » *Vita Michaelis, Annales*, l. XVI, *P. G.*, t. CXXXV, col. 12.
3. Cf. L. Allatium, *De libris ecclesiasticis Græcorum, Dissertatio II de Triodio*, Parisiis, 1645, p. 127 sq. : Paulus, Monembasiæ episcopus, in narrationibus tradit matrem adulteram dammatam a pœnis liberatam fuisse filii precibus; secundum auctorem *Vitae sancti Cosmæ melodi*, pater sancti Joannis Damasceni in impietate Mahumetis mortuus, Cosmæ præceptoris et filiorum precibus ab æternis suppliciis liberatur, et inter beatos collocatur; Nicephorus Blemmidas, in *Vita sancti Pauli Latrensis*, refert Ignatium quemdam monachum, nefarii sceleris reum et derepente pessime contrucidatum pœnisque æternis, uti memorat, condemnatum, precibus fratrum et intercessione Pauli Latrensis, non multos post dies ab iisdem fuisse liberatum et beatis annumeratum.
4. Cf. Τριῴδιον, ed. Venet., 1870, p. 17. Synaxaria hujusmodi in editione Romana, Romæ, 1873, omissa sunt.

mirandum non est quod plerique theologi byzantini, quin etiam Græco-Russi moderni, opinati sint quosdam damnatos ab inferno liberari et salutem consequi posse miraculosa exceptione, Deo supplicationes pro eis factas exaudiente. Ita senserunt, v. g., Michael Glykas [1], Joannes Zonaras [2], Nicephorus Blemmidas [3]. In concilio Florentino, Marcus Ephesius idem expresse docuit, immo asseruit ipsam Ecclesiam preces publice fundere non quidem pro infidelibus, sed pro christianis in peccatis mortalibus defunctis, quamvis affirmare non audeat hujusmodi obsecrationes ita a Deo exaudiri, ut peccatores ab inferno liberentur.

« At, dixerit quispiam, ait ille, dum pro istiusmodi hominibus oramus, profecto non exaudimur. Esto, sed id omne quod penes nos est, explemus; quin et sanctorum nonnulli, cum non pro fidelibus tantum, verum etiam pro infidelibus orassent, exauditi sunt, et ex æterno eos supplicio exemerunt. quemadmodum Thecla protomartyr Falconillam, divus vero Gregorius Dialogus, ut fertur, Trajanum imperatorem. Pro ejusmodi tamen hominibus Dei Ecclesia neutiquam deprecatur; iis vero omnibus qui in fide obierunt, etiamsi scelestissimi fuerint, relaxationem a Deo postulat, preces et publice et privatim pro illis fundens [4]. »

Ejusdem sententiæ est Georgius Scholarius in *Epistola ad Joannem Thessalonicensem* : « Reprobi quidem ante judicium universale ex inferno rarissima exceptione a Deo eripi possunt, ut patet exemplo Trajani, Theophili et Falconillæ [5]. Præ sua erga defunctos commiseratione et in divinam cle-

1. Supra, p. 102.
2. Allatius, *De libris ecclesiasticis Græcorum*, p. 126-127.
3. *Ibid.*, p. 128.
4. « Ἀλλ' ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία τῶν μὲν τοιούτων οὐδαμῶς ὑπερεύχεται, τοῖς δ' ἐν πίστει κεκοιμημένοις ἅπασι, κἂν ἁμαρτωλότατοι εἶεν, ἐξαιτεῖται παρὰ Θεοῦ τὴν ἄνεσιν, καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ ὑπὲρ αὐτῶν εὐχομένη. » *Oratio I de purgatorio*, 2; *Oratio* II *de eodem*, 12, *P. O. loc. cit.*, p. 42-43, 118-119.
5. « Ἀλλὰ σπανιώτατα εὕρηται καὶ ψυχάς τινας τῇ αἰωνίῳ ἀποφάσει ἐνισχομένας, εὐπαρρησιάστοις δὲ δραστηρίοις εὐχαῖς τινων ἐνταῦθα ἡγιασμένων ἀνδρῶν, καὶ μάλιστα ἀρχιερέων, παντάπασιν ἀπαλλαγείσας τῶν ἐν ᾅδου κολάσεων, τῆς μακαρίας ἀξιωθῆναι ζωῆς. » *Epistola ad Joannem Thessalonicensem*, p. 180.

mentiam fiducia, Ecclesia aliquando a Deo petit ex inferno liberationem eorum, qui in peccatis mortalibus decesserunt[1]. »

Ubi Marcus Ephesius et Scholarius dicunt Ecclesiam orare etiam pro peccatoribus qui mortalibus delictis onerati hac vita functi sunt, ad illos textus liturgicos alludunt, quibus liberatio ab igne æterno aliisque infernalibus pœnis postulatur. Dum Catholici husjumodi precationes vel ad pœnas tertii status referunt, vel eas *per anticipationem* ab Ecclesia fieri docent, Græco-Russi, etiam ii qui tertium animarum statum agnoscunt, illas in sensu obvio accipiunt, atque per præfatas miraculosas exceptiones, in libros etiam liturgicos relatas, in sua sententia confirmantur. Periculose autem, etiam per exceptionem, inferni portæ aperiuntur, et adhuc periculosius pro eo supplicatur, quod nullatenus aut vix obtineri possit. His enim exceptionibus hocque orandi habitu multi Græco-Russi ad hoc adducti sunt, ut medium animarum statum purgatoriumque penitus tollerent, atque suffragiis pro defunctis hunc regularem et ordinarium scopum objectumve assignarent, ut damnatis auxiliarentur tum ad eorum supplicia mitiganda, tum etiam ad ipsos e tartaro eruendos; de quibus nunc speciatim agendum est.

II. — De ordinaria liberatione damnatorum per vivorum suffragia a quibusdam Græco-Russis edocta ante sæculum XVIII.

Secundum doctrinam catholicam, ii adulti damnationem in inferno merentur et revera incurrunt qui in peccato mortali decedunt; quorum status, *secundum communem Dei ordinationem*, per sententiam judicii particularis omnino immutabilis redditur, et in perpetuum perseveraturus est. Huic ergo doctrinæ aperte adversantur quotquot docent defunctos in *gravi* seu *mortali* peccato salutem consequi posse, ante judicium universale, per vivorum intercessionem; vel dicunt — quod eodem recidit — gehennam seu infernum

1. « Εἰ δὲ καὶ τὴν παντελῆ ζητοῦμεν εὐχόμενοί του τῶν ἐν ᾅδου κολαζομένων ἀπαλλαγήν, οἴκτῳ τῷ πρὸς ἐκείνους καὶ τῶν ἀδυνάτων κατατολμῶντες, τοῦτο ποιοῦμεν, τόνδε περὶ τούτων ἐπελπίζοντες ἔλεον, ἐφ'ὅσον καί τινες τῶν ἐν θανασίμοις ἁμαρτήμασιν ἀποτεθνεώτων ἀπηλλάχθαι τῇ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίᾳ πιστεύεται. » *Ibid.*, p. 180..

reproborum nondum esse penitus occlusum, sed remanere apertum usque ad secundum Christi adventum; vel etiam diserte negant aliquem statum inter caelum et infernum medium revera existere, et tamen profitentur Ecclesiæ preces quosdam in inferno positos liberare et ad caelos transmittere. Theologos qui talia doceant, in Ecclesia græco-russica olim exstitisse et nostris etiam diebus inveniri, omnino certum est; immo, ut mox dicetur, hujusmodi doctrina in una e publicis fidei confessionibus præfatæ Ecclesiæ occurrit.

Pseudo-Damascenum liberationi quorumdam damnatorum favere, quatenus tertii status limites nimis extendere videtur, supra ostendimus [1]. Primus autem post ipsum, quem compertum habeamus expresse docuisse infernum nondum esse penitus obseratum etiam pro iis *qui gravibus delictis onerati* ex hac vita migrarint, est Theophylactus Bulgariæ archiepiscopus in *Enarratione in Lucæ Evangelium*, c. XII, 5 :

« Vides quod non dixit : *Metuatis eum qui, postquam occiderit, mittit in gehennam*, sed : *habentem potestatem mittendi*. Non enim semper qui *moriuntur peccatores* mittuntur in gehennam, *sed sunt in potestate Dei, ut etiam remissionem consequi possint*. Hoc autem dico propter oblationes et distributiones quæ fiunt pro defunctis; quæ non parum conducunt *etiam iis qui in gravibus peccatis mortui sunt*. Non omnino igitur, postquam occidit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mittendi. Ne igitur cessemus per eleemosignas et intercessiones propitium reddere eum qui potestatem habet mittendi, non semper autem hac potestate utentem, sed et ignoscere valentem [2]. »

Eadem sentire se prodit Zonaras, dum, narrata Theophili per Ecclesiæ preces ab inferno liberatione, quin imperatoris

1. P. 98.

2. « Οὐ γὰρ πάντως οἱ ἀποθνήσκοντες ἁμαρτωλοὶ βάλλονται εἰς τὴν γέενναν, ἀλλ'ἐν τῇ ἐξουσίᾳ κεῖται τοῦτο τοῦ Θεοῦ, ὥστε καὶ τὸ συγχωρεῖν. Τοῦτο δὲ λέγω διὰ τὰς ἐπὶ τοῖς κεκοιμημένοις γενομένας προσφορὰς καὶ διαδόσεις, αἳ οὐ μικρὰ συντελοῦσι τοῖς καὶ ἐν ἁμαρτίαις βαρείαις ἀποθανοῦσιν. Οὐ πάντως οὖν μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι, βάλλει εἰς τὴν γέενναν, ἀλλ'ἐξουσίαν ἔχει βαλεῖν. » *P. G.*, t. CXXIII, col. 880. Quidam, ut Philippus Montanus, S. Bellarminus, *De purgatorio*, l. I, c. X, hæc verba laudarunt ad confirmandam veritatem catholicam de purgatorio; verum ultra purgatorium procedit Theophylactus,

pænitentiam memorarit, hæc subjicit : « Celebrantur hæc et ab eis qui Dei humanitatem intuentur et recipiunt et credunt. Neque quisquam eis fidem abrogarit, nisi qui parum posse intercessiones sanctorum apud Deum senserit, et Dei bonitatem cum humanis erratis componere ignoraverit [1]. »

Sæculo XII, vel. XIII, apparet *Officium olei defunctorum*, de quo in tomo III quædam diximus [2]. In orationibus, quæ incerto tempore huic officio insertæ sunt, liberatio damnatorum a vinculis inferni non obscure postulatur, ut ex sequentibus patet :

« Absolve eum ab æternis vinculis et a carcere, quia te novimus misericordissimum æternorum vinculorum animarum dissolutorem — Gratias agimus tibi, super omnia bone, quod *ex improviso raptos* et *nulla pænitentia acta et in inferno detentos* per supplicationes sanctorum tuorum a vinculis solvis, et liberas a tenebris et e carcere educis [3]. »

In alia oratione, affertur exemplum de Trajani et Falconillæ salute, defunctoque similia petuntur. Et in oratione penultima dicitur : « Et libera eum a caliginoso obscurissimoque tormento, et amaris et punientibus dæmonibus [4]. »

Aegre utique de purgatorii incolis hæc interpretari quis tentaret, præsertim cum memorentur Falconilla et Trajanus.

Tempore concilii Florentini, ut vidimus, Græcorum nullus tertium statum negabat, sed esse defunctos quosdam inter electos et reprobos medios (τοὺς μέσους), illos videlicet qui cum solis peccatis venialibus ex hac vita migrant, omnes

1. « Ἄδεται ταῦτα καὶ τοῖς ἀφορῶσι πρὸς τὸ φιλάνθρωπον τοῦ Θεοῦ, καὶ δέχεται, καὶ πιστεύεται· ἀπιστήσει δ'οὐδεὶς ἢ ὅστις οὐ μέγα οἴεται δύνασθαι τὰς τῶν ἁγίων ἐντεύξεις τὰς πρὸς τὸν Θεόν. » *Annales*, l. XVI, *P. G.*, *loc. cit.*; cf. supra, p. 138, nota 2.

2. P. 489.

3. « Ἀπόλυσον αὐτὸν τῶν αἰωνίων δεσμῶν, καὶ τῆς φυλακῆς, ὅτι σὲ αἰσθανόμεθα ὑπεράγαθον λυτρωτὴν αἰωνίων δεσμῶν τῶν ψυχῶν — Εὐχαριστοῦμέν σε, ὑπεράγαθε, ὅτι τοὺς ἀνετοίμως ἁρπαγέντας καὶ ἀμετανοήτως, καὶ τῷ ᾅδῃ κατεχομένους δι'ἐντεύξεων τῶν δούλων σου ἀνίεις τῶν δεσμῶν, καὶ λυτροῖς τοῦ σκότους, καὶ ἀνάγεις τῆς φυλακῆς. » Cf. Allatium, *De libris eccl. Græc.*, p. 129.

4. *Ibid.* Hujusmodi officium invenitur in multis codicibus sæcul. XV et XVI; illud habent variæ editiones Venetianæ Euchologii, ann. 1544, 1553, 1555, 1559, 1570, etc.

profitebantur, Marco Ephesio non excepto; qui tamen quædam ratiocinia theologica aliquando protulit, quæ si ad verbum et in sensu obvio sumerentur, rationem purgatorii penitus auferrent. Sæculo autem XVI, Meletius Pigas, in suo opere : *Doctrina orthodoxa*, Ὀρθόδοξος διδασκαλία, necnon in quadam *Epistola ad Chienses*, dogma catholicum de purgatorio ex professo impugnat ac funditus evertit. Cum enim duplex sit purgatorii seu medii status ratio, nempe peccatum veniale nondum remissum, et pœna temporalis peccatis jam per sacramentum pænitentiæ vel per contritionem remissis debita et in terris non soluta, Meletius utrumque tollit. De peccatis quidem venialibus vel non curat et pro nihilo habet, vel a mortalibus non distinguit [1]; docet enim omne peccatum in æternum puniri [2]. Pœnam autem temporalem, ut vidimus in t. III [3], tum pro hac vita, tum pro altera omnino negat. Cæterum, si illi credas, tota ratio purgatorii est purgatio pœnæ temporalis peccatis remissis debitæ : « Purgatorium, inquit, inducitur *non ad peccati remissionem, sed ad solutionem debiti peccati et pœnarum.... Purgatorium remissionem peccati ignorat* [4]. » Illi digni pænitentiæ fructus, quos, teste Scriptura, Deus a peccatore exigit, non sunt habendi ut quædam recompensatio satisfactoria pro peccatis divinæ justitiæ oblata, sed mera sunt veræ pænitentiæ indicia, quæ ex corde contrito sponte oriuntur. Si autem peccator morte præoccupatus fuerit, antequam fructus hujusmodi pro anteactis peccatis protulerit, vel in extremo tantum agone ad Deum conversus fuerit, et *per veram cordis contritionem* paenitentiam egerit, perfectam remissionem

1. Novit quidem Latinos docere minuta et venialia peccata in purgatorio expiari; sed in tota sua adversus purgatorium argumentatione de venialibus omnino silet, immo haud semel asserit totam purgatorii rationem esse tantum pœnas temporales peccatis debitas. Cf. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. 1769, p. 271; *Epistola ad Chienses*, ed. 1627, p. 22.

2. Ὀρθοδ. διδ., p. 252 : « ἀμφότεροι γὰρ κολασθήσονται, διηνεκῶς μέν· οὐ γὰρ ἔστιν εἰπεῖν κολάσεως τέλος. »

3. P. 349 sq.

4. « Τὸ δὲ πουργατόριον οὐκ εἰς ἀπόλυσιν ἁμαρτίας, ἀλλ'εἰς ἀπόλυσιν ἐκτίσεως ἁμαρτίας καὶ εὐθυνῶν καὶ ποινῶν εἰσάγεται... Ἄφεσιν ἁμαρτίας τὸ πουργατόριον ἀγνοεῖ. » *Ibid.* p. 293, 296.

et purificationem a Deo propter Christi merita accipiet [1]. Vera enim pænitentia et cordis contritio peccatum radicitus evellit, tollitque omnem reatum culpæ et pœnæ. Quisquis ad vitæ præsentis terminum pervenit vel in sinum Abrahæ, vel in infernum abeat necesse est [2]. Duo siquidem loca tantum duo status animas post mortem manent.

« Purgatorium supervacuum est, superfluum, origenismum sapit et hellenismum. Supervacuum est quidem, cum ex hac vita in pænitentia migrantibus et sanguine Christi purgatis nulla alia opus sit purificatione. Origenismum autem sapit, cum quoddam suppliciorum genus temporarium inducat, ut putavit Origenes, illa dico supplicia quæ sunt tantum purgativa, et omnium restitutioni (τοῦ παντὸς ἀποκαταστάσει) inserviunt. Hellenizat vero : bene enim notum fuit Pythagoricis hocce commentum; quin etiam judaïzat; pharisaei siquidem apud Judæos docent filios Israel cum quibusdam peccatis defunctos suppliciis tradi purgativis; putant enim ex filiis Israel neminem periturum [3]. »

Testimonia autem sacræ Scripturæ a theologis catholicis communiter laudata ad firmandam doctrinam de purgatorio theologus græcus in ipsum purgatorium convertit. Sic in loco Evangelii : Math., v, 26 : *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem, donec* (ἕως) non indicat finem temporis, sed significat : *In carcere, id est in inferno, punieris propter omnia delicta, quæ commisisti, etiam propter minima, ad minima usque* [4]. In II Machab., xii, 43 sq., sacrificium offertur non pro remissione alicujus peccati venialis, sed pro gravissima transgressione legis, videlicet pro peccato

1. Hoc etiam atque etiam repetit Meletius. *Ibid.*, p. 265, 266, 267, 284, 299, 303, 310, 313 : « Ὅτι ἱκανοποιοῦσιν οἱ ἐν περιστάσει ἀπαίροντες μετὰ γνησίας μετανοίας τῇ συντριβῇ, τῇ θλίψει καὶ συνοχῇ τῆς καρδίας ἔδειξα πολλάκις. » P. 313.

2. « Ἐπὰν δὲ τὸ τέλος ἑκάστου φθάσῃ, ἀνάγκη πᾶσα ἢ μετὰ Λαζάρου τοῦ πένητος εἰς κόλπους Ἀβραὰμ ἀπαίρειν, ἢ μετὰ τοῦ πλουσιόυ καταφέρεσθαι εἰς τὴν γέενναν. » *Ibid.*, p. 272.

3. « Παρέλκον ἐστί, περιττόν, ὠριγενίζει, καὶ ἑλληνίζει τὸ πουργατόριον. Παρέλκει μέν, ἐπειδὴ τοῖς ἀπαίρουσιν ἐντεῦθεν ἐν μετανοίᾳ καὶ κεκαθαρμένοις τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ οὐκ ἄλλης δεῖ καθαρσεως, » κτλ *Ibid.*, p. 269.

4. *Ibid.*, p. 293-295; *Epistola ad Chienses*, p. 22.

idolotatriæ, cujus illos nullo pacto pænituit qui in prælio ceciderunt, ita ut hic textus non purgatorium adstruat, sed destruat [1]. Item, in I Corinth., iii, 13, 15, ignis de quo loquitur Apostolus non est ignis purgatorii, sed ignis *probatorius*, omnes homines, quum justos tum quoscumque peccatores, omnia opera, quum bona tum mala probans et explorans [2]. Demum verba Matth., xii, 32 : *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, unum tantum significant, scilicet peccatum contra Spiritum Sanctum nunquam remitti, ut videre est ex locis parallelis Marci, iii, 28-29, et Lucæ, xii, 10 [3]. Cæterum « purgatorium remissionem peccati ignorat; operatur tantum remissionem tormenti et pœnarum [4]. »

His non contentus, Meletius contra purgatorium miram profert rationem theologicam : Dogma de purgatorio, inquit, justitiæ adversatur. Ut quid enim anima, quæ corpori unita operatur ea propter quæ aut præmia aut supplicia acceptura est, postquam corpori rursus fuerit conjuncta [5], quare, inquam, a corpore separata purgationes subire debeat ? Quare corpus relinquens in pulveris requie, flammas sola ingrediatur, purgationem expertura, quasi corpus una cum ipsa purgandum non sit [6] ?

Discipulo vero objicienti suffragia pro defunctis ab Ecclesia fieri, et quærenti quid hujusmodi suffragia efficere possint, si revera non exstet purgatorium seu medius status, theologus noster varia respondet. Primum quidem dicit omne opus bonum pro *defunctis in pietate* factum, in gloriam ejus cedere qui glorificavit illos, necnon in nostri, qui vivimus, utilitatem : « Quomodo autem, inquit, quod in Dei fit gloriam

1. « Οὐ μόνον πουργατορίου διαφέρει, ἀλλὰ πουργατορίου ἐστὶν ἀναιρετικόν. » *Ibid.*, p. 290-293.

2. *Ibid.*, p. 275-279; *Epistola*, p. 23.

3. *Ibid.*, p. 295.

4. *Ibid.*, p. 296.

5. Meletius dilationi retributionis in quibusdam locis sui operis favet.

6. « Πῶς δὲ οὐκ ἄδικον τὸ περὶ τοῦ πουργατορίου δόγμα;... Τὸ σῶμα δὲ καταλιποῦσα τῷ ἰδίῳ χοῒ ἐπαναπαύεσθαι, αὐτὴ μόνη τὰς φλογὰς εἰσέρχεται καθαρθησομένη, ὡς μὴ δέον καὶ τὸ σῶμα συγκαθαίρεσθαι. » *Ibid.*, p. 289.

et in Ecclesiæ utilitatem, illis etiam non erit gratum et utile [1]? Sed hoc ad sanctos et electos refertur. Ad peccatores autem in inferno detentos quod attinet, docet Ecclesiæ preces et vivorum suffragia illis prodesse quorum vita neque omnino pura fuit, neque adeo mala, ut nullum emolumentum exinde capere possint [2]; prodesse autem illis sive ad perfectam liberationem : quod quandoque contigisse probat exemplo Falconillæ et Trajani; sive saltem ad eorum pœnas alleviandas ac mitigandas [3]. Pro omnibus autem christianis qui in fide obdormierint, si illos excipias qui in manifesta impaenitentia decesserint, orat Ecclesia [4].

Qui autem tam vehementer in purgatorium ignem insurrexit quosdam concedit Ecclesiæ precibus a flammis æternis inferni eripi pòsse; « Hujusmodi flammas, inquit, aeternas esse et nos statuimus, etsi ad tempus in inferno detinentur quotquot Deus ex inferno educit [5]. »

In exponenda doctrina Meletii ideo paulum immorati sumus, quod ille validiora quæque congessit, quæ polemistæ antilatini contra purgatorium adinvenere. Primus est etiam inter Græcos, qui existentiam pœnæ temporalis pro peccato remisso diserte negaverit, eoque ipso præcipuum purgatorii theologicum fundamentum everterit. Hoc quidem non fecit ejus coævus, Gabriel Severus, quippe qui et pœnam temporalem et tertium statum et ipsum ignem purgatorium admiserit; in eo tamen Meletio consensit quod tertii status limites nimis produxit, in eisque inclusit non solum animas eorum qui cum venialibus decedunt, verum etiam quasdam alias gravibus peccatis oneratas. Laudat enim verba Theophylacti supra relata de iis, qui cum gravibus peccatis mortui sunt [6];

1. *Ibid.*, p. 299.
2. *Epistola ad Chienses*, p. 23; 'Ορθ. διδ., p. 297, 300, 309.
3. « Εκεῖσε τοίνυν καὶ νῦν διατρίβειν τινὰς, οὓς ὠφελῆσαι εἰς ἀπολύτρωσιν τὰς τῶν ζώντων εὐποιΐας δυνατόν. Εἰ δὲ πάντως οὐ παραδεκτέον τοῖς ἐν ᾄδου κατεχομένοις εἰς ἀπολύτρωσιν γενέσθαι τῆς 'Εκκλησίας τὰς εὐποιΐας, ἀλλ'οὖν γε εἰς κουφισμὸν τῶν βασάνων γινέσθωσαν. » *Ibid.*, p. 301.
4. « Τῶν προφανῶς ἀμετανοήτων ἀπερχομένων ἐξαιρουμένων. » *Epistola ad Chienses*, p. 23.
5. « Οὐδ'αὐτοὶ πρόσκαιρον τιθέμεθα, εἰ καὶ πρόσκαιρον κατέχονται ἐν ᾄδου, οὓς ἐξ ᾄδου ἀνάγει Θεός. » *Ibid.*, p. 300-301.
6. *Op. cit.*, p. 47.

fatetur se ignorare quinam sint qui Ecclesiæ precibus ab inferno liberentur, et in fine hæc addit :

« Cum nondum lata sit in peccatores postrema atque universalis sententia, infernus *invenitur reseratus*, et infinita Dei misericordia ad miserendum parata est. Quapropter animæ non solum remissionem et consolationem accipiunt ob effusas ad Deum pro ipsis orationes, verum etiam absolutam libertatem et a pœnis liberationem [1]. »

Sæculo XVII, Cyrillus Lucaris in *Confessione fidei*, c. XVII, medium statum expresse negat et de oratione pro mortuis altum servat silentum :

« Qui hic justificantur, inquit, nullam amplius posthac subibunt pœnam; qui autem non justificati moriuntur, in pœnas destinantur æternas. Ex quo patet commentum de purgatorio non esse admittendum, sed in veritate statuendum unumquemque debere in hoc sæculo resipiscere [2]. »

Zacharias Gerganus, in suo *Catechismo*, sententiæ Meletii Pigæ adhærere videtur, dum sequentes profert propositiones : « 1° Pseudopurgatorium papistarum est fictitium, non ab aliquo apostolo traditum, sed a Virgilio poeta gentili; 2° Quisquis in pænitentia moritur, salvus est, quia filius Dei est per sacrum baptisma et sanctam communionem; 3° Omnes justi statim a morte regnum Dei possident; 4° Libri Machabæorum non astruunt purgatorium; 5° Non debent papistæ proferre sanctorum auctoritates, cum dicunt orandum esse pro defunctis, et ex hoc inferre purgatorium dari. Nam sancti dicunt mortuos precibus ideo juvari, quia Deus nondum dedit dæmonibus plenam in mortuos potestatem [3]. »

Præcipuum autem documentum in quo occurrit tertii status diserta negatio et doctrina de liberatione damnatorum ab inferno per Ecclesiæ preces est ipsa *Confessio orthodoxa*, a quatuor patriarchis orientalibus anno 1643 approbato, cujus verba sunt hæc :

1. *Ibid.*, p. 53 : « 'Ο ᾅδης εὑρίσκεται ἀνοικτός. »
2. Kimmel, p. 38.
3. Cf. Joan. Matthæum Caryophilum, *Refutatio pseudo-christianæ catechisis editæ a Zacharia Gergano Græco*, Romæ, 1631, p. 316, 332, 346, 357, 418.

« Quæstio lxiv : Num aliqui moriuntur homines qui inter electos et reprobos medii sint ?

« Responsio : Hujus ordinis homines non reperiuntur. At illud probe constat ex peccatoribus multos ex inferni vinculis eripi, non quidem ipsorum paenitentia sive confessione, quemadmodum Scriptura dicit : *Quis enim in inferno confitebitur tibi ?* (Ps., vi, 5)... sed bonis vivorum operibus et orationibus, præsertim vero per incruentum sacrificium, quod quotidie offert Ecclesia pro vivis mortuisque communiter, quemadmodum et Christus pro illis mortuus est [1]. »

In sequenti quæstione, quæ est de efficacia suffragiorum pro mortuis, laudatur locus Theophylacti, ubi ille dicit vivorum suffragia prodesse etiam iis qui *in gravibus delictis moriuntur* [2]; postea, in quæstione lxvi, expressis verbis negatur existentia cujuscumque *pœnæ temporariæ, quæ sit animarum purgatrix post mortem.* Ipsa notio satisfactionis seu potius *satispassionis* ex parte animæ peccatricis aperte rejicitur. Et hoc omnino logice ponitur, cum agatur non de animabus justis nostri medii status, sed de animabus damnatorum :

« Nulla Scriptura de hoc aliquid habet, *quod aliqua pœna temporaria, animarum expurgatrix post mortem existat.* Ob eam præcipue causam, in secunda synodo Constantinopolitana ab Ecclesia damnata est Origenis sententia [3]. Præterea manifestum est post mortem animam non posse ullum Ecclesiæ sacramentum suscipere. Si fieri forsitan posset, ut anima sua peccata satisfactione propria expiaret, partem etiam sacramenti paenitentiæ recipere posset : quod est extra doctrinam orthodoxam.... Ecclesia vero pro hujusmodi animabus, ad illis impetrandam peccatorum remissionem, sacrificium incruentum offert precesque ad Deum mittit. At

1. « Τοιαύτης τάξεως ἄνθρωποι δὲν εὑρίσκονται. Μὰ βέβαια πολλοὶ ἀπὸ τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἐλευθερώνουνται ἀπὸ τῶν δεσμῶν τοῦ Ἅδου, ὄχι μὲ μετάνοιαν ἢ ἐξομολόγησιν ἐδικήν τους.. ἀλλὰ μὲ τὰς εὐποιΐας τῶν ζώντων. » Kimmel, p. 132-133.

2. *Ibid.*, p. 135.

3. Auctor non videt se in verum origenismum incidere, dum liberationem damnatorum docet, ne purgatorium Latinorum agnoscere cogatur.

vero nullo pacto ipsi [id est, damnati] aliquam subeunt pœnam, qua purificentur [1]. »

Hæc non fuit, ut supra ostendimus [2], ipsius Petri Moghilæ doctrina, bene vero correctoris græci Confessionis orthodoxae, scilicet Meletii Syrigi, de cujus privata sententia aliud exstat documentum. In sua siquidem Ἀντιρρήσει *capitum Cyrilli*, ad cap. xviii, eadem fere profert quæ in Confessione orthodoxa occurrunt : Ante judicium universale, *mortuorum quæcumque peccata, si peccatum in Spiritum Sanctum excipias* (juxta Math., xii, 32), *remitti possunt* non quidem, propria ipsorum defunctorum paenitentia vel satisfactione, sed aut quod eorum bona opera excellant et præponderent, aut quod sancti et Ecclesia pro ipsis intercedant. Si pauper Lazarus pro divite intercessisset, hic quod petebat obtinuisset. Etsi omnes pro quibus orat Ecclesia ab inferni vinculis non liberantur, at saltem ex ejus suffragiis haud parvam percipiunt utilitatem, quatenus eorum pœnæ mitigantur. Cæterum, in fine Meletius dicit Ecclesiam non orare pro iis qui in infidelitate mortui sunt, vel divina mandata penitus contempserunt, et in desperationem lapsi, in profundum ruerunt malorum [3].

Dositheus Hierosolymitanus liberationem damnatorum ab inferno per vivorum suffragia expressius quam quilibet alius docet in suo *Enchiridio contra calvinianam insaniam.* Qui anno 1672, in synodo Hierosolymitana (*Confess. fidei*, c. xviii), et existentiam pœnæ temporalis post mortem et tertiam animarum classem disertis verbis profitebatur [4], anno 1690 huic doctrinæ valedixit, et sententiæ Meletii Syrigi adhæsit [5];

1. « Οὐδεμία γραφὴ διαλαμβάνει περὶ αὐτοῦ [τοῦ πυρὸς τοῦ καθαρτηρίου], νὰ εὑρίσκεται δηλαδὴ καὶ μία πρόσκαιρος κόλασις καθαρτικὴ τῶν ψυχῶν ὕστερα ἀπὸ τὸν θάνατον. » Kimmel, p. 136.

2. P. 116.

3. « Μὲ τοῦτο δείχνει πῶς συγχωροῦνται τῶν ἀνθρώπων κάποια ἁμαρτήματα εἰς τὸν μέλλοντα αἰῶνα, ὕστερα ἀπὸ τὴν ζωὴν ταύτην. » Ἀντίρρησις, Bucarestii, 1690, p. 141 ; cf. p. 138-144.

4. Cf. supra, p. 118.

5. De hoc ipse Dositheus nos monet in quadam nota marginali, *Enchiridium*, p. 81 : « Χρὴ εἰδέναι, ὅτι ἐν τῷ ἐγχειριδίῳ τῷ ἐπιγραφομένῳ τῆς ἐν Βηθλεὲμ συνόδου, ἡμαρτημένως εἰπὼν ὁ συγγραφεὺς περὶ τοῦ κεφαλαίου τούτου ιη', ἤδη ἐπιδιορθούμενος ἑαυτόν, εἰς πλάτος ἐξήνεγκεν

quam novis munivit argumentis. Quatuor autem differentias invenit inter doctrinam catholicam de purgatorio et illam quam proprio marte tribuit Ecclesiæ orthodoxæ orientali :

« Prima differentia est quod non profitemur talem locum redemptionis qui extra infernum sit, vel ei vicinus, sed redemptionem in ipso inferno esse ponimus... *quatenus nondum prolata est perfecta et absoluta sententia Salvatoris contra reprobos;* postquam autem hæc intercesserit, in secundo nempe adventu, nulla deinceps relinquetur spes remissionis vel redemptionis ex inferno[1]. Secunda differentia est nullum dici ignem purgatorium præter Deum et Christum. Tristitia autem et gemitus eorum, qui in inferno detinentur, nonnisi improprie et synecdochice *purificatio* dicitur... Deus est proprie et principaliter et per se ignis purgatorius, qui omni modo perfectam operatur sive redemptionem, sive refrigerationem et purgationem... sive remissionem sive reconciliationem... Tertia differentia est quod *non probe dicitur quosdam post mortem puniri propter peccata veniala* (τὰ ἀθανάσιμα τῶν πλημμελημάτων, id est, *peccata non mortalia*). Huic enim pœnæ omnes obnoxii essent, nec ullus post mortem ad cælos ascenderet; nemo enim sine peccato est, secundum Domini fratem, et secundem Joannem in epistolis, etc... Insuper magis convenit divinæ bonitati exiguum bonum non contemnere quam leve peccatum ulcisci. Atqui exiguum bonum in iis qui graviter peccarunt, nullum præmium consequitur propter præponderantem nequitiam. Neque igitur exiguum malum in iis qui multa præclare gesserunt, decet poena mulctari, eo quod praestantiora vincant. Si enim id quod magis videtur non est, ægre profecto id quod minus videtur erit. Item quemadmodum se habet exiguum aliquod bonum in iis qui cæteroqui pravi sunt, ita exiguum malum in iis qui

αὐτό, εἰπὼν πάντα τὰ ἀναγκαῖα περὶ αὐτοῦ : Sciendum est auctorem, in *Enchiridio* de synodo Bethleem inscripto, falsa quaedam de hoc capite dixisse; nunc vero seipsum corrigens, hocce caput fuse exposuit, de eo omnia necessaria proferens. »

1. Redemptionem in inferno esse probat quibusdam sacræ Scripturæ locis, qui non sunt ad rem, necnon textibus liturgicis tum græcis tum latinis, quibus Ecclesia liberationem ab inferno postulare videtur. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 91 sq.

cæteroqui boni sunt. Sed exiguum bonum in illis non potest bonorum retributionem efficere, sed tantum differentiam supplicii; neque igitur exiguum malum in istis supplicium efficiet, sed tantum differentiam fruitionis [1]. Non ergo putandum est propter *peccata non mortalia, quæ et parva dicuntur,* eos qui *cum hujusmodi* peccatis decesserunt, *per ignem purgari aut alio modo puniri.*

« Neque putandum est (Quarta differentia) eos post mortem puniri qui, postquam vere et sincere paenitentiam egerunt, morte præoccupati, illos paenitentiæ fructus facere non potuerunt, quos nos qui vivimus in evangeliis ferre jubemur... Tales enim ex hac vita migrant Christo conjuncti, *et ab eo justificantur, sanctificantur, glorificantur et inter beatos collaetantur. Pænitentiam autem hujusmodi perfecte remittere peccatum,* testantur synodorum canones..., firmant sacræ Scripturae... Dicere autem hujusmodi hominum *peccatum quidem remissum fuisse, pœnam autem remanere,* jocantium est et delirantium, non theologorum et mente sanorum... Profitemur ergo eos qui bene paenituerunt, non puniri in inferno, quandoquidem fideles domicilium habent in Ecclesia cælesti primogenitorum. Fieri autem in inferno et punitionem et redemptionem *de magnis peccatis,* etiam ex historia Machabæorum apparet [2]. »

Ergo Dositheus totam purgatorii rationem tollit, peccata scilicet venialia et pœnas temporales peccatis jam remissis debitas; unde omnino logice concludit Ecclesiæ preces et vivorum suffragia respicere damnatos in inferno detentos; qui tamen, juxta ipsum, pœnam ignis nondum patiuntur; neque per pœnas quas sustinent (tristitiam videlicet, cons-

1. Hæc a Marco Ephesio, *Prima oratio de purgatorio,* 14, *P. O., loc. cit.*, p. 57, ad verbum mutuatus est Dositheus. At Marcus suorum dictorum logicam consequentiam non admisit ; quam hic exserit Dositheus.

2. « Οὐ γέγονεν ἕως ἄρτι ἡ τελεία καὶ καθόλου ἀπόφασις τοῦ Σωτῆρος κατὰ τῶν ἀποβεβλημένων... Τρίτη ἐστὶ μὴ καλῶς λέγεσθαι διὰ τὰ ἀθανάσιμα τῶν πλημμελημάτων τιμωρεῖσθαί τινας μετὰ θάνατον... Τὸ δὲ λέγειν ἐπὶ τῶν τοιούτων, ὅτι ἀφείθη μὲν ἡ ἁμαρτία, μεμένηκε δὲ ἡ ποινὴ παιζόντων ἐστὶ καὶ οὐκ εὖ φρονούντων... Περὶ τῶν μεγάλων ἁμαρτημάτων γίνεσθαι εἰς ᾅδου τήν τε τιμωρίαν καὶ τὴν λύτρωσιν καὶ ἀπὸ τῆς ἱστορίας τῶν Μακκαβαίων φαίνεται. » *Op. cit.*, p. 82-85.

cientiæ confusionem et stimulos, paenitudinem, inclusionem, tenebras, timorem, futuri incertitudinem, vel solam divinæ contemplationis dilationem) sensu proprio *purgari* possunt : sed fit tantummodo *liberatio* et *redemptio per Ecclesiæ preces*. A liberatione tamen hujusmodi excludere videtur desperatos et qui vitam ex toto flagitiosam duxerunt [1]. Cæterum subjicit Deum clementissimum, tempore ultimi judicii, multorum reproborum esse miserturum [2].

III. — De tertii status adversariis qui a sæculo XVIII ad nostra tempora fuerunt.

Sæculo XVIII et initio sæculi XIX, discipuli protestantizantes Theophanis Procopovitch tertium animarum statum communiter negant, de oratione pro defunctis plerumque tacent, purgatorium Latinorum aspernantur et ut merum Scholasticorum commentum habent.

Notabile omnino est Samuelem Mislavskii, in tertio tomo *Christianæ theologiæ* Procopovitch a se composito, de suffragiis pro defunctis altum servare silentium. Item Plato Levkin, in *Synopsi christianæ theologiæ*, non solum de suffragiis, sed etiam de statu animarum post mortem omnino silet. Purgatorium vero « ut crudum et recens, non sine suspicione lucri excogitatum commentum » respuebat [3].

Theophylactus Gorskii medium quemdam statum inter beatitudinem et damnationem omnino negat :

« Facile hinc intelligitur, inquit, quid de illorum existimandum sit sententia, qui sine ullo fundamento statum quemdam medium admittunt. Erroribus eorum sequentia recte opponuntur : *a*) Quod Scriptura sacra duos tantum

1. « Εἰσὶ δὲ οἱ τοιοῦτοι οὐχ οἱ ἀπεγνωσμένοι καὶ διόλου κακοτρόπως ζήσαντες. » *Ibid.*, p. 85.

2. « Ἐν καιρῷ τῆς κρίσεως, πολλοὺς ἐλεήσει ὁ πολυέλεος Θεός. » *Ibid.*

3. De purgatorio hæc dixit Plato cuidam Anglicano Russiam invisenti, initio sæculi XIX; cf. opus inscriptum : *Persécutions et souffrances de l'Église catholique en Russie*, Paris, 1842, p. 292. De animarum statu post mortem silet etiam Hyacinthus Karpinskii in suo *Compendio orthodoxæ theologicæ doctrinæ*, saltem in primis editionibus; cf. Bukovoski, *op. cit.*, p. 167.

status post hanc vitam commemoret, inferni et beatitudinis (Matth., VII, 23; XIII, 30; Marc., XVI, 16; Luc., XVI, 22); *b*) Exemplo latronis qui cum Christo crucifixus est (Luc., XXIII, 43), Lazari, Stephani, patet, quod homines pii post mortem, qua animam, statim ad beatitudinem perveniant, impii vero ad locum damnatorum deferantur [1]. »

Juxta Sylvestrum Lebedinski « non datur, post hanc vitam, status intermedius inter statum æternæ beatitudinis et æternæ condemnationis. Proinde *purgatorium* vanissimum hominum quorumdam commentum est, et sana mente et clamante Scriptura prorsus respuendum [2]. »

Anno 1811 vel 1812, tres theologi russi, scilicet Theophylactus Riazanensis episcopus, Methodius Smirnov, Tveri episcopus, et Philaretus Drozdov, qui tunc archimandrita erat, procuratoris synodi jussu, libellum de differentiis dogmaticis inter utramque Ecclesiam, Orientalem videlicet et

1. *Op. cit.*, p. 290. Post hanc tam disertam medii status negationem, in editione Mosquensi anni 1831, hæc immediate sequuntur, p. 291, quæ cum præcedentibus mire pugnant : « Cæterum, quantumvis ex variis Scripturæ locis manifestum evadit animas hominum in peccatis finaliter osbtinatorum, post excessum a suis corporibus nihil quidquam ejusmodi moliri posse, quo inferni eximantur vinculis nullumque post hanc vitam superesse pænitentiæ locum : sed (sic) longe dispar est ratio eorum qui emigrant ex hac vita in spe futuræ resurrectionis ac beatitudinis æternæ, fiducia in Christum persuasi, acta seria suorum peccatorum pænitentia. Horum animas, quantumvis dignos paenitentiæ fructus in suo corpore ob infirmitatem carnis non egerint, piis oblationibus aliisque fidelium precibus sublevari fides primitivæ Ecclesiæ docet. Ne igitur cessemus nos etiam atque etiam intercessionibus piis ab Ecclesia receptis propitiare misericordiam Dei pro animabus in fide et pietate ex hac vita emigrantium. Non improbamus, immo ex Patrum veteris Ecclesiæ expositione luculenter deducinus oportere omnino a nobis preces pro defunctis concipi, atque offerri incruenta sacrificia spargique liberali manu eleemosynas; siquidem ipsi non possunt pia hujusmodi opera sua caussa præstare. » Hæc quidem in præfata editione Mosquensi; quæ in primis editionibus defuisse probabillissimum est. »

2. *Op. cit.*, p. 555; in appendice, p. XXVIII, de purgatorio haec addit : « Purgatorium est ethnicorum inventum, Pontificiorum commentum, indulgentiarum fundamentum, conscientiarum tormentum, marsupiorum purgamentum, clericorum papalium incrementum, et simpliciorum laicorum terriculamentum. »

Occidentalem existentibus, singuli scripserunt [1]. In rejiciendo purgatorio omnes conveniunt et de sola oratione absolutoria super unumquemque defunctum semel tantum pronuntiata loquuntur, de aliis suffragiis tacentes. Unus audiatur Philaretus :

« Status animæ humanæ post mortem definitur intimis ejus dispositionibus, non vero aliquo purgatorio, in quo supplicium ignis illi tolerandum esset, ut ad beatitudinem præparetur : *Qui audit verba mea, et credit in eum qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit de morte in vitam* (Joan., v, 24). *Aliis purificationibus opus non est, ubi sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni delicto* [2]. Quamvis potestas ecclesiastica jus habeat a peccatis absolvendi eos qui paenitentiam agunt; quamvis talis absolutio defunctis, quemadmodum et vivis *peti* possit et debeat, quatenus Deus ad preces pro vivis et pro defunctis æqualiter attendere potest, *cum Deus sit non mortuorum, sed vivorum* (Matth., xxii, 32), attamen potestatem non habet liberandi peccatores a tormentis per privilegiatam appropriationem superabundantium meritorum Jesu Christi et sanctorum, in quantum merita Jesu Christi in potestate hominum non consistunt, et superabundantia merita sanctorum possibilia non sunt [3]. »

De formula absolutionis defunctorum Methodius Tverensis hæc habet :

« Precatio absolutoria de more legitur super defunctum *semel tantum*. Per hanc ex verbis evangelicis petitur absolutio peccatorum, *quorum, dum defunctus adhuc viveret, eum paenituit, vel non paenituit ex oblivione*. Mos ponendi in mortui manibus chartam orationem hanc continentem (qui in Russia incepit a tempore Theodosii, Petscherskaiæ Lauræ hegumeni (?), et jam in quibusdam locis obsolevit) nihil

1. Hi tres libelli editi sunt in *Tchteniia Societ. imper. historiæ et antiquitatum russicarum apud Universit. Mosqensem*, 1870, t. i, p. 1-44.

2. *Loc. cit.*, p. 43. Theophylactus et Methodius eadem fere habent : « Ecclesia orientalis pœnas temporales post mortem ut quid absurdum et ineptum habet : *Qui audit verba mea*, etc. »

3. *Ibid.*, p. 44.

aliud significat nisi mortuum, dum viveret, habuisse reverentiam erga absolutionem sacerdotalem [1]. »

Recentiori tempore non defuerunt theologi russi qui liberationem quorumdam damnatorum per Ecclesiæ preces docuerint, dicentes quæcumque peccata, etiam gravissima, præter peccatum in Spiritum Sanctum, posse remitti. Ante bellum recens, hæc doctrina in seminariis et academiis ecclesiasticis a compendiorum theologicæ dogmaticæ vel polemicæ auctoribus jam aperte tradebatur. Quæ in recentissimo *Enchiridio theologiæ dogmaticæ orthodoxæ* N. Malinovskii leguntur de peccatoribus in malo *non penitus induratis*, qui post mortem suorum delictorum pænitere et liberationem ex inferno per Ecclesiæ preces consequi possint, supra retulimus [2], nec repetere opus est. Negat utique ille tum tertium statum, tum tertium locum, et contra dogma catholicum provocat tum ad parabolam de Lazaro et divite, tum ad salutem boni latronis « qui, secundum doctrinæ romano-catholicæ postulata, pœnis purgatoriis tradi debuisset; cui tamen Salvator dixit : *Hodie mecum eris in paradiso* [3]. » Eamdem doctrinam similiaque argumenta in quibusdam theologiæ polemicæ compendiis invenire est. I. Perov fatetur quidem purgatorii latini vestigia deprehendi in primis Ecclesiæ temporibus, v. g., apud Origenem, sanctum Augustinum, Gregorium Magnum; at, inquit, quorumdam doctorum privatæ opiniones adversus unanimem Ecclesiæ universæ sensum in canonibus quintæ synodi œcumenicæ expressum (!) praevalere non possunt. Doctrina de purgatorio eo ipso ruit, quod pœna temporalis vindicativa peccatis debita revera non existat. Testimonia Scripturæ pro purgatorio laudata non sunt ad rem : in particulari, in II Machab., xii, 43 sq., non agitur de peccato levi, sed de delicto gravissimo. His dictis, ad hanc devenit conclusionem :

1. *Ibid.*, p. 28. Theophylactus Riazanensis, p. 23, hæc habet : « Ecclesia orientalis credit ecclesiasticam auctoritatem jus habere absolvendi a peccatis, *paenitentia manifestata*. Talis absolutio potest et debet defunctis postulari sicut et vivis, quatenus Deus ad preces quum vivorum tum defunctorum attendere potest. »

2. P. 33 sq.

3. *Op. cit.*, t. ii, p. 473-473.

« Ecclesia pro defunctis orat; orat autem pro remissione peccatorum eorum, non pro remissione pœnarum temporalium; orat ad eos non a purgatorio, sed ab inferno liberandos. Præterea, Ecclesiæ preces pro omnibus peccatoribus offeruntur, nulla facta inter peccata ab eis commissa discriminatione; ergo non ad sola peccata levia et venialia, sed ad quæcumque peccata referuntur. Secundum Salvatoris dictum, blasphemia in Spiritum Santum sola est quæ neque in hoc sæculo, neque in futuro remittatur. Unde Ecclesia suis suffragiis illos tantum excludit qui redemptionis gratiam voluntarie ac pertinaciter respuerint [1]. »

Truskovskii item duos tantum status, duo tantum animarum loca agnoscit, et ea quæ Perov contra purgatorium habet, ad verbum fere transcribit; tum sententiam eorum refellit qui aerea telonia pro purgatorii loco posuerunt. » Telonia, inquit, nihil aliud sunt quam quædam judicii particularis figurata descriptio; purgatorium autem est tum status tum locus quidam inter cælum et infernum medius. In teloniis, hominum opera examini subjiciuntur, dum purgatorii inclusi pœnas subeunt temporales. Defuncti omnes per telonia transeunt; purgatorium vero pro quibusdam tantum est. Demum, per telonia peregrinatio alios in paradisum ducit, in infernum alios; purgatorium autem versus cælum tantum reseratur et patet [2]. »

A. Temnomierov irremissibile tantum habet in futuro sæculo peccatum in Spiritum Sanctum. Ut autem solvat objectionem ex parabola de divite et Lazaro petitam contra possibilitatem liberationis ab inferno, animadvertit Salvatorem, quo tempore præfatam parabolam protulit, suum sacrificium redemptorium nondum obtulisse; postea autem eum in infernum descendisse et omnibus animabus ibi detentis facultatem obtulisse paenitentiam agendi et a vinculis diaboli sese eximendi [3].

Apud Græcos, sæculo xviii, liberationi damnatorum favet

1. *Oblitchitelnoe Bogoslovie*, ed. 4, p. 105-109.
2. *Oblitchitelnoe Bogoslovie*, p. 96-103.
3. *Doctrina sacræ Scripturæ circa mortem, vitam post mortem*, etc., Petropoli, 1899 (russice), p. 170 sq.; cf. etiam Anonymum in *Pribavleniia sanctorum Patrum : De morte et animarum separatarum*

schola Eugenii Bulgaris, quippe quæ judicium particulare negat et in incerto relinquit peccatorum sortem ante universale judicium. Unus ex hujus scholæ alumnis, Theophilus, Campaniæ episcopus, in *Promptuario Orthodoxiæ*, hæc habet :

« Sed didicisti infernum, ex quo ab omnipotentia animæ Christi conculcatum est, esse semper apertum, et nondum esse per universalem Christi sententiam obseratum. Ideo operantur petitiones, preces et missæ sanctæ Ecclesiæ nostræ, necnon pauperibus eleemosynæ pro defunctis orthodoxis factæ; et per hæc a suppliciis eruuntur multæ animæ secundum delictorum suorum qualitatem et gravitatem [1]. »

Inter Græcos recentes qui tertium animarum statum impugnarunt, et liberationi quorumdam damnatorum ab inferno suffragati sunt, illum Joannem Cassianum invenimus qui encyclicæ epistolæ Pii papæ IX ad Orientales anno 1848 respondit :

« Nos, inquit, tertiam animarum conditionem non profitemur. Epitimia autem habemus ut mera veræ paenitentiæ indicia. Qui vero decedit antequam suum *epitimium* perficere potuerit, si ex corde contritus sit, plenam a Deo remissionem obtinet. Sincera siquidem pænitentia hominem justitia statim induit. Inferni porta nondum clausa est. Quosnam autem peccatores post mortem, et quandonam, et ob quasnam rationes in sinu Abrahæ, sicut et justos ipsos, Deus beatificet, nos de his nihil omnino scimus [2]. »

Cæterum, quum apud Russos tum apud Græcos coævos, alios his similia vel eisdem omnino contraria sentientes exstare nil mirum, cum præ manibus omnes habeant utramque fidei Confessionem, illam scilicet, quæ *orthodoxam nuncupant*, liberationem ab inferno per Ecclesiæ preces aperte docet, et illam quæ Dositheum auctorem habet (Dositheum *pre-*

statu, t. ix, 1850, p. 43-78. Auctor a spe salutis exludit tantum peccatores induratos, p. 62 sq.

1. Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, ed. Ath., 1908, p. 201.
2. « Ἡμεῖς δὲν ὁμολογοῦμεν τρίτην κατάστασιν ψυχῶν... Ποίους ἁμαρτωλοὺς ὁ Θεὸς μετὰ θάνατον, καὶ πότε καὶ διὰ ποίους λόγους μακαρίζει εἰς τοὺς κόλπους τοῦ Ἀβραὰμ καθὼς καὶ τοὺς δικαίους; Ἡμεῖς περὶ τούτων οὐδὲν οἴδαμεν. » Ἀπόκρισις εἰς τὴν ἐγκύκλιον τοῦ ἐνάτου Πίου Ῥώμης. Corcyræ, 1848, p. 58.

mière manière), in qua summa dogmatis catholici de purgatorio exprimitur.

ARTICULUS VII

De theologis qui de tertio statu ambigue loquuntur.

Hæc inter utramque fidei Confessionem de tertio statu manifesta contradictio aliquatenus explicat quomodo multi theologi circa hanc quæstionem vel ambigua, vel inter se pugnantia proferant. Quidam enim in purgatorium ignem invehi satis habent, quin aliquid certi de propria sententia promant. Alii simpliciter affirmant Ecclesiam orare pro iis qui *in fide* dormierunt; vel dicunt animas defunctorum in genere haud parvam utilitatem percipere ex vivorum suffragiis. Alii diversas auctorum inter se pugnantium sententias in unum conferunt, ita ut nullo pacto discernere possis cuinam præ aliis adhæserint. Sunt demum qui tertium statum et tertium locum polemice negare incipiant; postea vero, nempe quando de commemorationibus defunctorum in sua Ecclesia usitatis loquuntur, tertiam animarum classem probe distinguunt, atque de summa dogmatis nobiscum conveniunt. Exempla in promptu sunt, præsertim inter theologos recentiores.

Anno 1824, Anonymus quidam, in commentario russico *Khristianskoe Tchtenie*, dissertationem edidit *De commemoratione defunctorum*, ubi primum negat quemcumque statum medium inter cælum et infernum, subjiciens quosdam peccatores ex inferno liberari posse per Ecclesiæ preces. Objicienti vero hoc esse impossibile ex iis quæ dicit Christus in parabola de divite et Lazaro, respondet peccatores in inferno detentos non posse quidem *propria voluntate et pro libitu ad cælum seu in sinum Abrahæ transire*; *hoc autem fieri posse per voluntatem ejus qui claves inferni et mortis habet.* Crederes utique nostrum auctorem inter eos recensendum esse qui docent quosdam damnatos salvari per vivorum suffragia; verum, multum errares; nam ille mox declarat eos solos liberari posse qui, dum viverent, semina quædam boni in se

habuerunt et *in fide ac paenitentia ex hac vita cesserunt*; vel qui in fervore quidem vitæ christianæ vixerunt, *quasdam vero leves maculas ex humana infirmitate contraxerunt.* Pro christianis hujusmodi, non vero pro impaenitentibus et in vitio induratis Ecclesiæ preces efficaciam habent [1].

Quid præcise de medio statu teneat Philaretus Drozdov in *Catechismo longiori* haud facile definies. Duplicem enim peccatorum classem distinguit, eo ipso quod hanc ponit quæstionem : « Quid cogitandum est de animabus eorum qui *in fide mortui sunt*, quin dignos pænitentiæ fructus tulerint? » Cui sic respondet : « Hujusmodi animæ, ad consequendam beatam resurrectionem, auxilium recipere possunt ex precibus pro eis factis in unione oblationis incruenti sacrificii corporis et sanguinis Jesu Christi necnon ex eleemosynis aliisque piis operibus in earum memoriam cum fide oblatis. » Verum quinam sint illi *qui in fide mortui sint*, Philaretus non satis clare statuit, quamvis mentio fructuum paenitentiæ catholicam doctrinam omnino insinuet, ita ut qui in fide mortui sunt, *in pænitentia etiam*, juxta mentem theologi russi, decesserint; quod si ita accipiendum sit, Philaretus ex alia etiam parte ad sententiam catholicam prope accedet: non enim dicit animas hujusmodi *solis* Ecclesiæ suffragiis ab inferno liberari, sed eas *auxilium tantum* percipere ad consequendam beatam resurrectionem. Ergo a notione *satispassionis*, quam refugiunt plerique Russi recentes, alienus non est : quod mirum non est, cum existentiam satisfactionis pro peccato sensu catholico intellectam admittat [2].

Ambiguitate etiam laborant ea quæ idem Philaretus *Ritui reconciliationis Latinorum* de purgatorio inseruit. Proselytus enim in hunc modum interrogatur : « Credisne mortuorum animas *nihil emolumenti percipere ex igne purgatorio, qui revera non existit*; sed eleemosynas et preces pro eis factas, præsertim vero incruentum sacrificium magnum illis afferre levamen atque refrigerium [3]? »

1. *Kristianskoe Tchtenie*, 1824, p. 169-199. Eadem fere notavimus supra in editione Mosquensi anni 1831 *Compendii* Theophylacti Gorskii.
2. Cf. t. III, p. 348.
3. Cf. Maltzew, *Die Sakramente*, p. 156.

Sylvester Malevanskii, « nomine Ecclesiæ orthodoxæ », omnem statum et locum medium rejicit. Ecclesia orthodoxa tamen, inquit profitetur sortem peccatorum *in fide defunctorum mitigari et in melius mutari posse* per vivorum suffragia : quod ut statuat, non solum ad *Confessionem orthodoxam* provocat, verum etiam ad *Confessionem Dosithei* a Philareto russice versam [1]. Cum autem hujusmodi Confessiones, ad statum medium quod attinet, sibi invicem contradicant, propriam Sylvestri sententiam quis nobis revelabit?

Græci Mesoloræ opinionem adhuc difficilius deteges. Hic enim contra purgatorium Latinorum diversas auctoritates inter se pugnantes congerit, inter quas quædam dogmati catholico aperte suffragantur. Ordine laudat Confessionem Metrophanis Critopuli, qui catholice sentit; Confessionem Petri Moghilæ, quæ tertium statum diserte negat; Jeremiæ II primum ad Reformatos responsum, in quo iterum catholicæ fidei sonus percipitur; demum Protestantes, qui de purgatorio hæc proferunt : « Purgatorium et quidquid ei solemnitatis, cultus et quæstus adhæret, mera diaboli larva est. Pugnat enim cum primo articulo, qui docet *Christum solum et non hominum opera animas liberare.* » Et tamen postea Mesoloras capitulum habet de suffragiis pro defunctis, quorum efficaciam voce Critopuli et Jeremae II prædicat [2].

Andrutsus etiam circa præsentem quæstionem non sibi constat. In *Symbolica* namque ut Catholicus loquitur, ubi sequentia scribit :

« Præter sanctos et impios scelestosque, exstant multi peccatores qui pænitentiam quidem egerunt, nondum tamen *purgati sunt* nec satis vixerunt ad ostendendos dignos paenitentiæ fructus. Defuncti hujusmodi in vitam æternam intrare natura non valentes propter *peccatrices suas maculas*, in infernum abeunt, *ubi pœnas sustinent propter peccata a se commissa*; liberationem tamen obtinere possunt a Deo misericordi. Hanc ex inferni tormentis redemptionem ab initio

1. *Op. cit.*, t. v, Kioviæ, 1897, p. 138-143. In versione russica Confessionis Dosithei a Philareto facta, vox græca ἀπαλλαγή, *liberatio*, per vocem russicam *obleghtchenie, levamen*, reddita est.

2. Συμβολική, t. II², p. 113-117, 395-399.

prædicavit Ecclesia, et docuit eam fieri posse post mortem, ante judicium universale, per opera pia, preces Ecclesiæ et incruenti sacrificii oblationem. His omnibus implorat Ecclesia divinam misericordiam super eos qui imperfecte pænituerunt [1]. »

Post haec autem, in purgatorium ignem invehitur et dicit pœnas, quas animæ medii status sustinent, non esse propitiatorias ac divinæ justitiæ satisfactorias. Negat etiam hujusmodi pœnas *necessario* mitigari et *tolli* per bona opera vivorum et Ecclesiæ suffragia. Deus est solus qui liberet; circa hanc autem liberationem nullam habemus certitudinem [2]. In sua vero *Theologia dogmatica*, idem auctor ulterius progreditur. Negat enim omnem statum medium inter cælum et infernum et etiam omnem pœnam *temporalem* pro peccatis post mortem luendam, utpote dogmati de judicio particulari contrariam. Concedit quidem animas *eorum qui in fide obdormierunt* quamdam percipere utilitatem, ὄνησιν, ex vivorum suffragiis; non vult tamen decernere quænam sint peccata quæ post mortem remitti possint : « Quæstio hæc inquit, vana est ac superflua, et in subtilitatem scholasticam declinans [3]. » Postea logicam consequentiam negationis pœnæ temporalis tum pro vivis tum pro defunctis deducit, sententiamque Meletii Pigæ amplectitur de remissione omnis culpæ et omnis pœnæ per sinceram pænitentiam, ita ut qui vere pænitens decesserit quin dignos pænitentiæ fructus fecerit, in cælum statim post mortem inter electos recipiatur : Pænitentia enim, inquit, in conditionem nos restituit quam baptisma nobis confert [4]. His tamen positis, de efficacia suffragiorum pro mortuis dubius hæret, et quod de eorum utilitate prius concesserat, retractare videtur : « Nostro judicio, inquit, hujusmodi suffragia negative magis

1. « Οἱ τοιοῦτοι μὴ δυνάμενοι φυσικῶς νὰ εἰσέλθωσιν εἰς τὴν αἰώνιον ζωὴν ἕνεκα τῶν ἁμαρτωλῶν αὐτῶν κηλίδων ἀπέρχονται εἰς τὸν ᾅδην, ἔνθα ὑπομένουσι ποινὰς ἕνεκα τῶν ἁμαρτημάτων, ἃ εἰργάσαντο. » Συμβολική, p. 315. In nota, Andrutsus exscribit cap. XVIII Confessionis Dosithei.

2. *Ibid.*, p. 319-323.

3. « Καὶ τίνες μὲν ἐν τοῖς ἐπὶ μέρους αἱ μετὰ θάνατον ἀφιέμεναι ἁμαρτίαι, τοῦτο εἶναι ζήτημα σχολαῖον καὶ εἰς σχολαστικὴν λεπτολογίαν ἀποκλῖνον. » Δογματική, p. 428.

4. *Ibid.*, p. 432.

quam positive definienda sunt, et intra hos limites circumscribenda, quibus ea circumscripsit antiqua Ecclesia, *exclusa omni investigatione circa modum et naturam eorum utilitatis* [1]. » Demum ad sententiam catholicam redire videtur, dum dicit :

« Sub hoc respectu, sententia quorumdam Patrum docentium suffragia prodesse non impænitentibus, sed iis qui mortaliter non peccarunt, vel imperfectam egerunt pænitentiam, est doctrina logice deducta et omnino probanda [2]. »

Hæc omnia nullo pacto sibi invicem cohærere nemo non videt; quibus lectis, nescimus quid Andrutsus de medio statu necnon de efficacia suffragiorum pro mortuis revera sentiat. Unum tantum diserte asserit, scilicet suffragia iis esse utilia, qui ea faciunt [3]. Si principiis in sua *Theologia dogmatica* a se statutis logice staret, ad hanc deveniret conclusionem : Suffragia vivorum hoc tantum pro defunctis efficere possunt, nempe damnatorum tormenta aliquatenus mitigare [4].

Accidit etiam, ut unus et idem polemista de præsenti quæstione omnino diversa proferat, prout vel contra purgatorium Latinorum dimicat, vel adversus Protestantes legitimum suffragiorum pro defunctis usum tuetur; de quo fidem faciat Alexandri Sturdzæ exemplum. Hic primum quidem de purgatorio contra Catholicos disserens, de efficacia orationis pro defunctis incerta omnino et adeo vaga scribit, ut eam negare vel saltem in dubium vocare videatur :

« L'Église orthodoxe intercède pour le salut des morts, et a institué des prières solennelles destinées à fléchir la justice de Dieu en faveur des âmes qui nous ont précédés dans une autre vie. Voilà l'argument que saisissent avec joie les hétérodoxes pour nous faire encourir le reproche de

1. « Τὸ καθ' ἡμᾶς, αἱ δεήρεις αὗται πρέπει νὰ προσδιορίσθωσιν ἀρνητικῶς μᾶλλον..., ἀποκλειομένης πάσης δογματικῆς ἐρεύνὴς περί τε τοῦ τρόπου καὶ τῆς οὐσίας τῆς ὀνήσεως. » *Ibid.*, p. 433.

2. « Παρέχει δίδαγμα λογικῶς καὶ κατὰ πάντα λόγον ἀποδεκτόν. » *Ibid.*, p. 434.

3. *Ibid.*, p. 435.

4. Auctor, p. 434, insinuat preces vivorum nonnisi præter communem rerum ordinem a Deo statutum defunctos juvare posse : « 'Αδύνατον νὰ κατανοήσωμεν πῶς αἱ εὐχαὶ ὠφέλουσι τοὺς κεκοιμημένους καὶ καθόλου, καὶ διότι τὸ θεῖον ἔλεος κατὰ γενικὸν κανόνα δὲν ἐπεκτείνεται εἰς τὴν πέραν τοῦ τάφου χώραν. »

contradiction. *A quoi bon*, disent-ils, *prier pour les morts, si l'on ne croit pas à un lieu intermédiaire, et que l'on considère leur sort comme étant irrévocable?...* Mais hélas! qu'ils sont à plaindre ceux qu'une objection aussi banale, aussi vulgaire, peut porter à admettre un dogme que Notre-Seigneur et ses apôtres ne nous ont jamais enseigné?... Et surtout, qu'ils sont peu initiés au véritable esprit du christianisme! Quoi? parce que nous ignorons les voies mystérieures de la Providence après la mort, nous hésiterions à prier pour nos frères, et nos cœurs, embrasés d'une foi ardente et d'une espérance immortelle, craindraient d'invoquer à pure perte le saint nom de Dieu?... Mais si cela est, à quoi bon également prier dans cette vie? L'objection est absolument la même... Le sort de chacun de nous est irrévocablement fixé; il est prédestiné au salut ou à la damnation avant que d'avoir vu le jour; nous ne saurions l'aider ou le fortifier par nos chétives paroles et nos vœux puérils. L'esprit humain ne peut pénétrer la mystérieuse harmonie de la providence et du libre arbitre. S'ensuit-il pour cela qu'il faille renoncer volontairement aux trésors de la prière, et nous plonger dans une apathique et stupide incrédulité...? Voilà où nous mènent les orgueilleuses subtilités de l'école mondaine...

« Nous prions pour les morts, parce que l'acte de la prière est la respiration de l'âme, le secret de la divinité et la seule voie pour parvenir jusqu'à elle. Nous prions pour les morts, parce que nous sommes solidaires, les uns à l'égard des autres, parce que nous croyons aux miséricordes infinies sans vouloir en sonder les profondeurs. Mais nous n'admettons pas de lieu purgatoire, parce que ce dogme ne nous a pas été enseigné; parce que toutes les combinaisons humaines n'expliquent pas encore les voies de la sagesse divine... L'Église orthodoxe a donc été éclairée par le véritable esprit d'humilité chrétienne, lorsqu'elle s'est refusée de définir le procédé de la miséricorde infinie dans un autre ordre de choses, et n'a point renfermé son action surnaturelle dans les parois du purgatoire [1]. »

1. *Considérations sur la doctrine et l'esprit de l'Égliee orthodoxe*, Weimar, 1816, p. 69-70.

In alio autem opere, ubi de suffragiis pro defunctis contra Protestantes agit, de medio animarum statu ita loquitur, ut catholicum theologum audire putes :

« Nous voyons chaque jour un très grand nombre de pécheurs, nos frères, mourir *avec pénitence*, mais avant d'avoir subi *la peine temporelle de leur transgression ici-bas*. Souvent, pour suppléer à ces peines temporelles et affermir les âmes repenties dans la pénitence, l'Église leur impose des exercices pieux, que l'on désigne sous le nom de *peines canoniques*. Or, que de chrétiens meurent avant de les avoir subies, ou subitement et sans préparation efficace, bien qu'en état de grâce! C'est pour eux que la sollicitude maternelle de l'Église a institué des oraisons et des commémorations incessantes dont l'efficacité et la suave odeur émanent du sacrifice liturgique et non sanglant [1]. »

Et hæc de doctrina Græco-Russorum circa animarum sortem ante universale judicium sufficiant. Ex omnibus quæ diximus, liquido constat Ecclesiam græco-russicam nullum habere dogma definitum tum circa retributionis tempus, tum circa statum medium inter cælum et infernum; ejus tamen theologorum magnam, immo majorem partem de utraque quæstione in præcipuis cum Ecclesia catholica convenire. Superest, ut quædam de efficacia suffragiorum pro mortuis adjiciamus, antequam ad doctrinam de consummatione mundi transeamus.

1. *Double parallèle*, Athènes, 1849, p. 74.

CAPUT TERTIUM

DE SUFFRAGIIS PRO MORTUIS EORUMQUE EFFICACIA

Sæpe quidem in præcedenti capite de suffragiis pro defunctis necnon de eorum efficacia sermonem fecimus. Intime enim connectitur quæstio de animarum conditione post mortem cum quæstione de suffragiis, quæ a vivis fiunt pro ipsis. Vidimus jam theologos medii status assertores hujusmodi suffragiis communiter vim tribuere tum peccatorum venialium remissionem animabus obtinendi tum earum pœnas mitigandi, abbreviandi, immo et penitus tollendi; theologos vero, qui tertiam animarum classem rejiciunt, similes effectus respectu damnatorum in inferno detentorum eisdem agnoscere : quod certe eorum efficaciam nimis ampliat et extendit, doctrinæque catholicæ aperte adversatur. Neque tacuimus de illa miraculosa quorumdam damnatorum per Ecclesiæ vel sanctorum preces ab inferno liberatione, cui communiter suffragati sunt etiam medii status defensores. Duæ autem de suffragiorum efficacia quæstiones adhuc moveri possunt, scilicet : 1º Num ea aliquo modo prosint animabus beatorum? 2º Num aliquid *regulariter* et *ordinarie* conferant ad damnatorum tormenta minuenda seu mitiganda? De his agere nunc intendimus, postquam quædam de diversis commemorationibus defunctorum, quæ apud Græco-Russos celebrantur, præmiserimus. Unde hujus capitis tres articuli erunt :

1º De diversis commemorationibus defunctorum in Ecclesia græco-russica celebratis;

2º De efficacia suffragiorum respectu animarum sanctarum;

3º De mitigatione pœnarum damnatorum per Ecclesiæ et vivorum preces.

ARTICULUS I

De diversis commemorationibus defunctorum in Ecclesia græco-russica celebratis.

Praxim orandi pro defunctis, præsertim intra missæ sacrificium, ab ipsa traditione apostolica derivare historici demonstrant. Ecclesia græco-russica, post separationem, hanc piam consuetudinem, quam a vetere Ecclesia byzantina hæreditavit, ad hanc usque diem fideliter retinuit, etiam postquam purgatorium Latinorum impetere incepit. Commemorationes defunctorum (μνημόσυνα) in hac Ecclesia usitatæ in tres classes dividuntur, in communes nempe seu generales, in privatas seu particulares, et in mixtas.

Commemorationes *mixtæ* illæ sunt, quæ quotidie in sacrificii missæ (seu *liturgiæ*) celebratione fiunt; bis enim, tum in liturgia sancti Joannis Chrysostomi, tum in liturgia sancti Basilii, sacerdos orat et pro quibusdam defunctis in specie, quorum nomina recitantur, et pro omnibus fidelibus generaliter, qui ἐπ'ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου obdormierunt : primo quidem ad προσκομιδὴν seu oblatorum præparationem, quando ex magna hostia exsecantur diversæ μερίδες seu particulæ[1]; secundo, post consecrationem, quando leguntur diptycha mortuorum.

Duæ per annum celebrantur nunc[2] commemorationes generales. Prima fit in sabbato *carnisprivii* seu τῆς ἀπόκρεω, id est sabbato præcedente Dominicam quam Græci vocant

1. Hic ritus τῆς προσκομιδῆς, prout nunc perficitur, non est sæculo XII antiquior; cf. S. Pétridès, *La préparation des oblats dans le rite grec, Echos d'Orient*, t. III, 1900, p. 63-78.

2. Jam sæculo IX, in monasterio Studii, duæ quotannis celebrabantur missæ pro animabus derelictis, prima, mense Septembri, secunda intra festum Paschæ et Pentecosten; cf. J. Pargoire, *op. cit.*, p. 353. Goar, *Euchologium, ed. cit.*, p. 434, nota 3, dicit Græcos tertiam generalem defunctorum commemorationem facere *primo mensis octobris sabbato*; de qua alii silent. Quarumdam Ecclesiarum vel aliquorum monasteriorum erit usus, antiquæ commemorationis mense Septembri a Studitis frequentatæ vestigium.

τῆς ἀπόκρεω, nostræ Dominicæ Sexagesimæ respondentem. Post sæculum IX introducta est, quidquid de ejus origine narret Nicephorus Callistus, qui a tempore Juliani Apostatæ illam repetit[1]. In ea memorantur speciatim « omnes qui a sæculo fuerunt Christi fideles, qui in exsilio vel in mari vel in montibus et præcipitiis, aliisque variis casibus improvisa morte ex hac vita migrarunt, et vel sepultura, vel suorum propinquorum et amicorum suffragiis privati sunt[2]. » Secunda, quæ jam sæculo IX in monasterio Studii recepta erat, in vigilia Pentecostes, quæ ideo *Sabbatum animarum* (ψυχοσάββατον) nuncupatur, pro omnibus hominibus *inde ab Adam pie defunctis* celebratur[3]. Ergo hæc generalior altera est, et non solum ad christianos, verum etiam ad alios omnes justos nondum plene purgatos, qui ante Christum vixere, se extendit.

Præter has duas communes et solemnes commemorationes, recitantur etiam troparia specialia pro mortuis in officio cujuslibet sabbati; sabbatum enim, *cum sit quietis dies*, in liturgia græca animabus defunctorum dicatur.

Usus offerendi sacrificium altaris pro unoquoque defuncto, tum die sepulturæ, tum tertio, nono et quadragesimo die post obitum, antiquissimus est. Jam enim memoratur tum in libro VIII, c. XLII, *Constitutionum apostolicarum*, tum a presbytero Eustratio in sua opella : *Adversus eos qui dicunt animas, statim atque e corpore solutæ sunt, non operari, neque oblatis pro iis Deo precibus et sacrificiis aliisque bonis operibus juvari*[4]. Has particulares commemorationes a traditione acceptas Ecclesia græco-russica non solum retinuit, verum his alias adjunxit, quæ communiter fieri consueverunt, scilicet commemorationem diei anniversarii, commemorationem mensis tertii et etiam mensis sexti post obitum[5]. Viget etiam usus, sicut et apud nos, missæ sacrificium offe-

1. *Hist. eccles.*, l. X, c. XII, *P. G.*, t. CXLVI, col. 473-474.

2. Nectarius Kephalas, Τὰ ἱερὰ μνημόσυνα, Athenis, 1892, p. 43-44.

3. *Ibid.*, p. 47 sq.

4. Hæc dissertatio primum edita est ab Allatio in suo opere *De purgatorio*, p. 319-580, inserta est tomo XVIII, p. 461-514, *Cursus theologici* a Migne publicati.

5. Cf. M. Critopulum, *Confessio fidei*, c. XX, Kimmel, p. 195.

rendi pro uno defuncto, quoties ejus cognati vel necessarii id petierint. Pro monacho autem defuncto *Typicum sancti Sabæ* sequentia præscribit : « Si forte contigerit aliquem ex fratribus migrare, tertii illius diei pervigilium (παννυχίς) non fit per mediam hebdomadam usque ad vesperas feriæ sextæ. Tum enim illius *pannychis* peragitur, et die sabbati pro eodem missæ sacrificium offertur; et sabbato subsequente, fiunt ipsius novendialia, sive tum fuerint, sive non : illius vero quadragesima fiet, cum numerus dierum illius complebitur. Oblationes autem pro eo et commemorationes incipiunt a nova Dominica usque ad quadragesimum diem [1]. »

Hujusmodi commemorationibus pro uno defuncto alii aliam mysticam significationem assignant. Unam jam supra retulimus cum *teloniis* intime connexam [2]. In *Constitutionibus apostolicis, loc. cit.*, hæc leguntur : « Exequiæ mortuorum fiant tertio die, adhibitis psalmis, precibus et lectionibus, propter eum qui tertio die a mortuis suscitatus est; die nono, ad recordationem eorum, qui sunt superstites, et eorum qui defuncti sunt, et quadragesimo, secundum veterem typum. » Presbyter Eustratius, in dissertatione laudata, de hac quæstione fuse disserit; et quidem diei tertio eamdem tribuit significationem; nonum vero ad secundam Christi *post dies octo* a resurrectione apparitionem refert; quadragesimum autem ad Christi ascensionem [3]. Simeon Thessalonicensis alias tradit rationes : « Dicunt aliqui hoc etiam fieri propter nativitatem hominis, quoniam in utero formatur infans die tertio, nono compingitur, et quadragesimo vivificatur ac perficitur... Agitur etiam anniversarium, quoniam infans natus mense tertios entit, et paulatim crescit, mutationes accipiens singulis annis singulisque annorum ternionibus, etc. [4] » Nicephorus Xanthopullus hæc habet : « Oblationes fiunt die tertio, quia tunc cadaver immutatur, deperdito facili discrimine, quo homo dignoscitur; die nono, quia tunc corpus omnino tabescit, solo corde a putredine intacto;

1. Cf. Allatium, *De purgatorio*, p. 50-51.
2. P. 29.
3. Apud Allatium, *op. cit.*, p. 46-48.
4. *De ordine sepulturæ*, c. CCCLXXI, *P. G.*, t. CLV, col. 690.

quadragesimo tandem, qua etiam cor cum reliqua corporis mole tunc diluitur [1], » quæ experientia refelluntur. Juxtas alios, nonus dies ideo ponitur, quod tunc Ecclesia defunctum novem angelorum choris aggregari deprecetur : quadragesimus vero, ob luctum quadraginta dierum populi Israelitici in morte Moysis [2].

Orationibus et sacrificii altaris oblationi pro mortuis Græco-Russi eleemosynam conjungere solent; quæ inde a sæculo IX formam specialem induit. Notum est antiquos christianos fidelium sepulcris panes, dapes, vinum apponere consuevisse, non quidem ut defunctorum manes placarent, sed ut in pauperes et in Ecclesiæ ministros beneficientiam exercerent. Hujus piæ consuetudinis quoddam servarunt vestigium Græco-Russi; in diversis enim defunctorum commemorationibus quamdam placentam, quæ nomine *colyborum* (τὰ κόλυβα vel κόλλυβα, vel etiam κόλβα) nuncupatur, benedicere et adsistentibus fidelibus necnon Ecclesiæ ministris offerre solent. Colyba diversis constant elementis, inter quæ præstant grana frumenti cocta : « Excoquunt leviter frumentum; lancibusque acervatim impositum, frugibus variis, pisis puta, tusis avellanis, cortice nudatis amygdalis, nucibus minutim sectis, Corinthiacæ uvæ et malogranatorum granis in distinctas petroselini foliis veluti radiis areolas et figuras ordinatis respergunt acervumque hujusmodi præfata arte elaboratum κόλυβα vocant [3]. » De colyborum mystica significatione plura disserunt liturgistæ, et de eorum origine quædam fabulosa narrant [4]; quæ referre supersedemus. Sufficiat ea memorasse tanquam piæ consuetudinis

1. Goar, *op. cit.*, p. 434, nota 3.
2. *Ibid.*
3. Goar, *op. cit.*, p. 527.
4. De colybis eorumque significatione, historia, usu vide Simeonem Thessalonicensem, *De ordine sepulturæ*, *P. G.*, *t. cit.*, col. 688-692; Gabrielem Severum, Περὶ τῶν κολύβων; quem libellum edidit Richardus Simon, *Fides Ecclesiæ orientalis*, Parisiis, 1671, p. 23-30; Goarium, *op. cit.*, p. 524-527; Nicodemus Haghiorita, Ὁμολογία πίστεως, ἤτοι ἀπολογία δικαιοτάτη, Venetiis, 1819, p. 8-50; Nilles, *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiæ*, t. II, Œniponte, 1897, p. 96-100, 379-381; L. Petit, *La grande controverse des colybes*, in *Echos d'Orient*, t. II, 1899, p. 321-331.

antiquæ vestigium necnon boni operis pro defunctorum levamine facti documentum [1].

ARTICULUS II

De efficacia suffragiorum respectu animarum sanctarum.

Ecclesia græco-russica (et etiam omnes qui ritu byzantino utuntur) pro sanctis, qui in cælo sunt, immo pro ipsa beata Maria semper virgine videtur orare in sacra liturgia; post oblatorum enim consecrationem sacerdos dicit :

« Item offerimus tibi rationale hoc obsequium pro his qui in fide requieverunt, ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων : pro majoribus, patribus, patriarchis, prophetis, apostolis, prædicatoribus, evangelistis, martyribus, confessoribus, continentibus et quovis spiritu in fide consummato, præsertim pro sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa regina nostra Deipara et semper virgine Maria, sancti Joannis prophetæ præcursoris, sanctorum et percelebrium apostolorum, sancti N., cujus memoriam celebramus, et omnium sanctorum, quorum precibus protege nos, Deus. »

Ergo sacrificium altaris offertur pro sanctis, sed quonam sensu? Non sane ad illis obtinendam remissionem alicujus peccati vel pœnæ, cum sint omnis reatus et maculæ expertes. Ex græco-russis theologis nullus est qui hoc contenderit. Sed multi, ut vidimus, animabus sanctorum ante judicium universale nonnisi inchoatam et omnino imperfectam beatitudinem tribuunt. Hi sine ulla contradictione pro sanctis orare possunt, illisque optare ac petere felicitatis augmentum et in beatitudinis gradibus progressum. Qui tale quid revera docuerint, inter retributionis dilatores non defuerunt. Quosdam hujus opinionis sæculo XIV exstitisse constat ex iis, quæ Nicolaus Cabasilas contra ipsos habet in *Expositione sacræ*

1. Offeruntur etiam colyba in festivitatibus sanctorum; unde liturgistæ distingunt colyba duplicis generis : τὰ νεκρώσιμα et τὰ ἑορτάσιμα.

liturgiæ [1]. Sæculo XV, disertum hujus sententiæ propugnatorem invenimus Simeonem Thessalonicensem, qui in pluribus suorum operum locis docet Ecclesiam militantem pro Ecclesia electorum, angelis et Dei genitrice non exceptis, vere intercedere, et pro eis sanctitatis, illuminationis, gloriæ beatitudinisque augmentum postulare :

« Et unam quidem προσφορὰν (seu particulam), inquit, offerimus in honorem et memoriam venerandarum cælestium virtutum. Et necesse est ut pro ipsis offeratur, quia et incarnationis mysterio ipsæ ministraverunt et quia nobiscum unitæ sunt, et una Ecclesia facti sumus; et quia desiderant in divina Ecclesiæ mysteria prospicere, *accipientes et ipsæ ascensionem*, κομιζόμενοι καὶ οὗτοι ἀνάβασιν... Sancti quoque, ut Christi commilitones, per hoc horrendum sacrificium et salutaris victimæ participationem, *gloriæ* et *elevationis augmentum adipiscuntur*, δόξης καὶ ἀναβάσεως μείζονος μετέχουσι... Sanctæ et divinæ sanctorum animæ iis quæ pro defunctis fiunt maxime delectantur, et cum gaudio exsultant, Christo sese unientes et communicantes per sacratissimum hoc sacrificium, *purius ac splendidius et illius munera perfectius participantes* (καθαρώτερον καὶ λαμπρότερον καὶ τῶν αὐτοῦ μετέχοντες γνησιώτερον χαρισμάτων), pro nobis preces fundunt... Etiam pro sanctis sacrificium pro viribus offerendum est, ut *lætificantes eos* in Christo, eosdem mediatores gaudentes apud illum habeamus [2]. Per has preces et sacrificia et erga pauperes beneficentias non solum his qui deliquerunt et cum pænitentia egressi sunt e corpore remissio et relaxatio conceditur, *sed et illis qui juste vixerunt, et fine bono et Deo complacito vitam terminarunt, major purgatio et sublimatio datur*, μείζων ἡ κάθαρσις καὶ ἀνάβασις χορηγεῖται, ut Chrysostomo videtur in *Interpretatione in Acta Apostolorum*, et ad Deum approximatio et apud eumdem libertas et ex eo illuminationis largitio splendidior... »

Eadem fere professus est Marcus Ephesius in concilio Florentino tum in *prima*, tum in *secunda sua de purgatorio oratione* :

1. Vide supra, p. 52 sq.
2. *De sacra liturgia*, c. XCIV; *De ordine sepulturæ*, c. CCCLXXIII, *P. G.*, t. CLV, col. 280-281, 693; cf. col. 748.

« In eos etiam qui sancte justeque vixerint, cum precum istarum tum præcipue mystici sacrificii virtutem pertingere, *cum et ipsi imperfecti sint, et in bono acquirendo semper proficiant, necdum perfecta beatitudine perfruantur*, ex iis constat quæ rerum divinarum explanator Dionysius in speculatione mysterii, quod pro iis qui sancte obdormierunt agitur, asserit [1]... Quocirca cum in omnes omnino virtus illa redundet, auxilium vero ex precibus mysticisque ritibus obveniens iis omnibus simul proficiat qui in fide obdormierunt, nullam arguendi vim inesse comperimus sermoni dicenti solis iis qui in purgatorio igne versantur ejusmodi auxilium a nobis conferri [2]. »

Quosdam alios ejusdem opinionis invenimus post concilium Florentinum. Ita Laurentius Zizanii in *Magno Catechismo* [3]; Dositheus in *Enchiridio contra Calvinistas*, qui ad auctoritatem Joannis Chrysostomi provocat [4], etc. Communior autem sententia verba liturgiæ interpretatur de gratiarum actione quam Deo reddimus pro gloria sanctorum : quod optime explicatur a Nicolao Cabasila in *Liturgiæ expositione* :

« Sacerdos deinceps enumerat omnem sanctorum cœtum. Hi sunt Ecclesiæ agendarum Deo gratiarum causæ. Pro iis offert rationabilem hunc cultum tanquam Deo gratiarum actionem, et præ cæteris omnibus pro beata Dei Matre, ut quæ omnem sanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat sacerdos, sed potius eos orat, ut ab eis in orationibus

1. Laudatur opus *De eccl. hierarchia*, c. VII, 7, *P. G.*, t. III, col. 561.
2. *Oratio* II, 12, *loc. cit.*, p. 121; cf. *Orat.* I, 3, p. 43-44.
3. Cf. *Trudy Kiov.*, 1898, t. II, p. 244.
4. *Op. cit.*, p. 82. Citatur hic locus homiliæ III Chrysostomi in *Epist. ad Philip.*, qui tamen non occurrit in editione vulgata: « Καὶ εἰ μὲν ἁμαρτωλὸς ὁ τεθνηκὼς ᾖ, ἵνα λύσῃς τὰ ἁμαρτήματα· εἰ δὲ δίκαιος, ἵνα προσθήκη γένηται μισθοῦ καὶ ἀντίδοσις. » Eidem doctrinæ tacite saltem suffragati sunt patriarchæ orientales, anno 1718, quando Injuratis Anglicanis respondentes, eos non redarguerunt, quod docerent animas sanctorum in quibusdam habitaculis judicii diem exspectare, et interim orationes et gratiarum actiones Ecclesiæ militantis participare, « ἐν τῷ μεταξὺ κοινωνοῦσαι προσευχῶν καὶ εὐχαριστιῶν τῆς Ἐκκλησίας ἔτι ἐπὶ τῆς γῆς στρατευομένης. » Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 389, 437; cf. col. 473.

adjuvetur, quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem [1]. »

Cæterum, sine ullo detrimento dogmatis catholici de animarum sanctarum perfecta beatitudine, admitti potest Missæ sacrificium hujusmodi animabus et angelis et ipsi beatæ Mariæ Virgini quoddam beatitudinis accidentalis incrementum afferre, quatenus angeli et sancti omnes maxime gaudent de omni opere bono quod in Dei gloriam et honorem necnon in proximorum utilitatem cedit. In hoc sensu, auctor *libri Imitationis Jesu Christi*, l. IV, c. V, dicit : *Quando sacerdos celebrat, angelos lætificat*. In libro : *Præco divini amoris*, l. IV, c. LIII, narratur sanctam Gertrudem aliquando ante communionem divinæ Majestati spiritu obtulisse sacratissimam hostiam in obsequium æternæ laudis, atque *augmentum gaudii, gloriæ et beatitudinis pro sanctis angelis monasterii monialium custodibus a Jesu postulasse*; Jesum autem orationem suæ sponsæ exaudivisse torrentesque felicitatis in agmina angelica effudisse; hæc nova vero gaudia adeo magna fuisse, ut ex se sola suffecissent ad beatis spiritibus dandam cælestis beatitudinis experientiam, si eam prius non gustavissent [2]. In eumdem fere sensum ipse Nico-

1. *Op. cit.*, c. XXXIII, *P. G.*, t. CL, col. 441-444 : « Διὰ τοῦτο οὐδὲν αὐτοῖς εὔχεται ὁ ἱερεύς, ἀλλὰ μᾶλλον αὐτὸς παρ' ἐκείνων εἰς τὰς εὐχὰς δεῖται βοηθεῖσθαι. »

2. Ad hæc P. Faber in opere : *Tout pour Jésus*, c. IV, § 4 : Je pourrais ajouter ici que quelques écrivains recommandent de prier pour l'accroissement de la gloire accidentelle des bienheureux dans le ciel. Par exemple, quand un religieux prie pour que ceux de son ordre vivent saintement, ou pour que quelsques-uns d'entre eux arrivent à être canonisés, le fondateur (qui voit cela en Dieu, ou auquel Dieu l'a fait connaître) y trouve une gloire nouvelle. C'est dans le même esprit que les prêtres prient à la messe, afin que le saint sacrifice profite à l'honneur des saints. C'est aussi l'avis d'Innocent III, quand il dit : « Beaucoup, ou plutôt la plupart des théologiens pensent qu'il n'est point improbable que la gloire des saints puisse s'accroître jusqu'au jour du jugement et par conséquent que l'Eglise peut légitimement désirer pour eux cette augmentation de leur glorification. » Bellarmin, Suarez, Vasquez et Jean Sanchez enseignent la même doctrine. Soto cite comme un exemple à l'appui de cette opinion la joie des anges dans le ciel quand un pécheur fait pénitence. La sainte Vierge révéla, dit-on,

laus Cabasilas dicit sanctos de sacrificio altaris maxime gaudere : « Hoc etiam, inquit, est sanctis jucundissimum et longe gratissimum, scilicet quod Deus per ipsos gratias accipit et glorificatur. Quemadmodum enim est maximum peccatum malorum hominum quod per ipsos nomen Dei blasphematur, ita sanctis est magnum beneficium, et magno studio appetendum, quod per ipsos Deus glorificatur... Unde si quis eorum recordatus, eorumque honoris, beatitudinis et gloriæ, Deum, qui eos coronavit, laudaverit, tribuit eis gratiam omnium gratiarum præstantissimam [1]. »

Pro sanctis ergo eo pacto offertur missæ sacrificium quo Ecclesia militans, eorum gloriae memor, propter illam Deo gratias agit, eosque ipsos ad laudem Dei provocat, illis aliquo modo gaudia renovans et augens ob vehementissimum amorem, quo tum in Deum tum in nos ardent.

ARTICULUS III

De mitigatione pœnarum inferni per vivorum suffragia.

Haud semel e nostris quosdam audivimus dicentes : « Græco-Russi pro defunctis orant; ergo dogmatis catholici de purgatorio summam revera admittunt. » Hanc consequentiam non esse omnino cogentem et necessariam ex supra dictis satis jam constat. Pro defunctis enim orationem commendant tum qui tertiam animarum conditionem negant et ut possibilem habent damnatorum ab inferno liberationem per Ecclesiæ preces, tum qui sanctorum beatitudinem adeo imperfectam statuunt, ut hæc per vivorum suffragia quotidie augeri possit. Insuper purgatorii adversariis pro defunctis orandi etiam alia ratio superest, ratio scilicet

à saint Thomas de Cantorbéry que les bonnes œuvres de ses serviteurs donnaient chaque jour dans le ciel un nouvel accroissement à sa gloire. Ainsi les hommes peuvent prier pour augmenter la gloire des saints auquels ils ont une dévotion particulière; et il fut révélé à sainte Gertrude que les bienheureux reçoivent une nouvelle gloire accidentelle toutes les fois que la sainte communion est administrée sur la terre. »

1. *Op. cit.*, c. XLVIII, *P. G.*, t. CL, col. 472.

mitigationis pœnarum infernalium, quæ, etiamsi sola remaneret, praxi Ecclesiæ aliquod fundamentum adhuc relinqueret. Quosdam Ecclesiæ Patres et theologos haud paucos pœnarum inferni mitigationi favisse omnibus compertum est. Nil mirum ergo si inter theologos dissidentes invenerimus quosdam huic sententiæ aperte adhærentes. Quidquid enim aliquibus ex antiquis Patribus visum est, hujus assertores et propugnatores aliquot inter Græco-Russos fere semper occurrunt. Jam vero pœnarum infernalium mitigationem docent non solum quidam retributionis dilatores et tertii status adversarii infernique apertores, verum etiam aliqui ex iis qui in omnibus fere de tertio statu nobiscum concordant.

Aliquam pœnarum damnatorum minutionem per descensum Christi ad inferos factam fuisse diserte profitetur Philippus Solitarius in *Dioptra* :

« Christus, inquit, infima loci illius penetrans, omnia claustra, catenas et portas confringens, omnes penitus in custodiis illis vinctos liberavit, in lucem eduxit, multisque videndos exhibuit. Sed animadverte quod consecutum est arbitrium et judicium. Amicos quidem paternos ab aliis secretos maximaque gloria et honore dignatos Regi et Patri universos adducit, ut sint imperii cum Domino participes; non amicos autem sed hostes infra reliquit quoad dies extremi generalisque judicii illucescat, et de omnibus justa sententia pronuntietur... Et hoc illis ad misericordiam maximum censeo, quod eamdem universe libertatem sunt adepti, prostrato qui æque in omnes crudelitatem exercebat suam, communiter custodia levati plene, vinculis soluti et absoluti et a belluis truculentisque carnificibus liberi! quodque amplius et pulchrius est, quod transire potuerunt, cum non esset custos carceris, non janitores acerbi. Si igitur animas adhuc in inferno manere audis, scito neutiquam tormenta sustinere ut prius, nec etiam vinculis teneri ferreis, utpote a tyrannide vindicatas [1]. »

1. *Op. cit.*, l. II, c. XI, *P. G.*, t. CXXVII, col. 779-780. Philippo contraria dicit Pseudo-Damascenus, *De iis qui in fide dormierunt*, *P. G.*, t. XCV, col. 259 BC : Christus nihil profuit iis qui turpiter ac scelerate vixerunt.

Fabula a Pseudo-Damasceno memorata de idolorum pontifice Macario Ægyptio per viam ambulanti respondente [1] doctrinæ mitigationis omnino favet; cum vero hujus Anonymi dissertatio officio liturgico Triodii inserta fuerit, quædamque alia in libris liturgicis Græcorum occurrant quæ, si sensu obvio intelligantur, vel liberationem damnatorum ab inferno, vel saltem eorum pœnarum levationem innuant, (de quibus jam diximus [2]), factum est, ut Byzantini satis communiter senserint Ecclesiam pro omnibus christianis defunctis indiscriminatim orare, si illos excipias qui in malo indurati et in manifesta impænitentia ex hac vita migrarint; cui opinioni inter modernos non pauci etiam adhæserunt. Hanc Marcus Ephesius, in concilio Florentino, in tribus suis de purgatorio orationibus palam professus est; cui alii Græci non contradixerunt.

« Preces illas pro mortuis, inquit, quas Ecclesia ex usu ab apostolis ipsis Patribusque accepto peragit in mystico sacrificio et in aliis quibusdam cærimoniis, quæ per diversa tempora fieri solent, *pro omnibus æqualiter fundimus qui in fide obdormierunt, easque omnibus nonnihil procurare et conferre pronuntiamus*, efficacia et utilitate, quæ ex ipsis derivatur, in cunctos redundante : in peccatores quidem et in eos qui in inferno detinentur, ut tantillum relaxationis percipiant, etiamsi non plane liberentur, prout Basilius Magnus ait in precibus ad Pentecosten recitandis, hæc ad verbum scribens : « Qui et in ista solemnissima et salutari festivitate, expiationes quidem deprecatorias pro iis qui in inferno detinentur, dignatus es suscipere; magnam vero spem nobis præbes relaxationem eorum, quibus plectuntur, suppliciorum et refrigerium quoddam eis a te concessum iri [3]. » Neque mirandum nos pro istis rogare, quandoquidem sanctorum nonnulli, pro impiis cum peculiariter orassent, exauditi sunt... Et vero ex ipso illo dicto a vobis allato e Machabæorum libro, utpote apto ad probandum *bonum*

1. Cf. supra, p. 96.
2. P. 91 sq.
3. Locus e *quinta oratione* in Pentecoste recitata excerptus. Hæc oratio sancto Basilio Magno tribuitur. Hanc laudat Marcus etiam in *prima sua oratione*, 1, *P. O.*, *loc. cit.*, p. 40.

esse ac salutare pro mortuis orare, ut a peccatis solvantur, constat propitiationem illam sacrificiumque pro iis tantum oblatum fuisse, qui in impietatem idololatriamque cecidissent... Quare si ejusmodi hominibus prosint Ecclesiæ preces supplicationesque, et multum lucri eis conferant, ut qui nondum condemnati sint nec judicis sententiæ obnoxii nec in supplicium detrusi, multo amplius medios, si pro eis factæ fuerint, coadjuvabunt [1]. »

A Latinis autem interrogatus quonam sensu acciperet hoc damnatorum levamen per Ecclesiæ preces, respondit : « solatium damnatis impertiri, ipsis manentibus in tormentis, quibus antea addicti erant, quin ab eisdem plene liberentur; illud autem infelicibus multum proficere, quod exiguum saltem aliquod ac temporarium laxamentum capiant [2]. »

Idem docet Georgius Scholarius in *Epistola ad Joannem Thessalonicensem* : « Quæ pro defunctis fieri solent, ait, non solum animabus hujusmodi (id est *mediis*), sed etiam iis, quæ in infernum descendunt, non parum prosunt, non quidem eas a tormentis liberantia, neque plenæ liberationis spem ingerentia — qui enim fieri possit, ut hoc præstent hac vita functis in peccatis mortalibus sine paenitentia? — sed quamdam supplicii gravissime vexantis temporariam remissionem afferentia; quod ostendit illud de magno Macario, asceta Ægyptio, narratum circa responsum calvariæ in eremo inventæ; demonstrat vero adhuc clarius hocce dictum in orationibus sancti Basilii Magni in Pentecoste recitatis : « Qui et in ista solemnissima et salutari festivitate, etc. [3]. »

1. *Oratio* II *de purgatorio*, 12, *P. O.*, *loc. cit.*, p. 118-121.
2. *Oratio* III, 12, *ibid.*, p. 165 : « μένουσιν ἐν οἷς καὶ πρότερον ἦσαν ἡ παραμυθία τοῖς κατακρίτοις δίδοται, καὶ οὐκ εἰσάπαν αὐτῶν ἀπαλλατομένοις. »
3. « Εἰ καὶ τὰ ὑπὲρ τῶν ἀποιχομένων γίνεσθαι εἰωθότα οὐ μόνον ταῖς τοιαύταις ψυχαῖς, ἀλλὰ καὶ ταῖς εἰς ᾅδην κατεληλυθείαις οὐκ ὀλίγα λυσιτελεῖ, οὐ τῆς ἐκεῖ κολάσεως ἀπαλλάττοντα, οὐδὲ παντελοῦς ἀπαλλαγῆς ἐλπίδα διδόντα· — πῶς γὰρ ταῖς ἐν θανασίμοις ἁμαρτήμασιν ἀμετανοήτως ἀπολελοιπυίαις τὸν βίον τόνδε; — ἀλλ᾽ἄνεσίν τινα τοῦ πάνυ πιέζοντος πρόσκαιρον παρεχόμενα· ὃ δηλοῖ μὲν καὶ τὸ κατὰ τὸν μέγαν Μακάριον, τὸν Αἰγύπτιον ἀσκητήν, περὶ τῆς τοῦ ἐν ἐρήμῳ εὑρημένου κρανίου ἐρωτηθέντος τοιαύτης ἀποκρίσεως· παρίστησι δὲ ἐναργέστερον τὸ ἐν ταῖς τοῦ

Inter modernos qui pœnarum inferni mitigationem diserte docuerunt nominandi sunt Laurentius Zizanii, in *Magno Catechismo* [1], et Gabriel Petrov, Novogrodii et Petropolis metropolita [2]. Per se patet eos theologos qui statum tertium negant et quorumdam damnatorum salvationem per Ecclesiæ suffragia regulariter fieri putant, mitigationem etiam propugnare.

μεγάλου Βασιλείου εὐχαῖς, ταῖς εἰς τὴν πεντηκοστὴν ἀναγινωσκομέναις, λεγόμενον· Ὁ καὶ ἐν ταύτῃ τῇ παντελεῖ ἑορτῇ, φησί, καὶ σωτηριώδει ἱλασμοὺς μὲν ἱκεσίους ὑπὲρ τῶν κατεχομένων ἐν ᾅδου, καταξιώσας δέχεσθαι, μεγάλας δὲ παρέχων ἡμῖν ἐλπίδας ἄνεσιν τοῖς κατεχομένοις τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν καὶ παραψυχὴν παρὰ σοῦ καταπέμπεσθαι. » *Œuvres*, t. I, p. 533.

1. Cf. *Trudy Kiov.*, 1898, t. II, p. 242.

2. Τελετουργία ἱερά, Petropoli, 1799, p. 165 : « Οἰόμεθα καὶ ταῖς τῶν ἐν μεγάλοις ἐγκλήμασι περαπετωκότων ψυχαῖς, ὅτι οὐ μικρὸν τὸ ὄφελος ἐπιγίγνεται ἐκ τῆς ἀναιμάκτου θυσίας. » Hoc opus russice scriptum græce reddidit Eugenius Bulgaris.

CAPUT QUARTUM

DE SECUNDO CHRISTI ADVENTU. DE MORTUORUM RESURRECTIONE ET SÆCULI CONSUMMATIONE

Quæ de novissimis nobis tractanda restant, breviter tantum attingemus. Hæc enim nonnisi in epocha moderna a theologis græco-russis via et ratione digesta sunt et ordinata juxta exemplar compendiorum theologiæ dogmaticæ apud nos vulgatorum. Præterea, utraque theologia, catholica videlicet et græco-russica, de quæstionibus mox examinandis plerumque inter se conveniunt. In præsenti capite quædam dicemus : 1º de signis secundi Christi adventus necnon de Antichristo et de chiliasmi errore; 2º de mortuorum resurrectione; 3º de judicio universali; 4º de mundi consummatione et renovatione. Quatuor ergo erunt articuli, pro unaquaque quæstione unus.

ARTICULUS I

De signis Christi adventus; de Antichristo; de chiliasmo.

De signis secundi Christi adventus seu *parusiæ* nihil novi, sed quæ ex sacris Scripturis colligi solent, proferunt Græco-Russi. Ultimi judicii diem incertum esse, et ipsis apostolis ignotum fuisse, neque ex iis quæ in Scripturis dicuntur, certo conjici posse, omnes docent. Hoc non impedit quominus nonnulli singularia quædam de hac quæstione scripserint : « Quidam, ait Philippus Solitarius, secum reputantes quoniam Deus in Verbo totum mundum procreavit, et Spiritu suo superiora et inferiora produxit, ac postea die septimo ab operibus suis requievit, completo sextæ chiliadis anno-

rum numero, vitæ hujus finem et consummationem fore putaverunt... Aliis cogitare in mentem venit, quoniam præsens sæculum, ut aiunt, est humano generi septimum, sextam chiliadem, et totam septimam præterire oportere; deinde finem et judicium futurum... Tempus sive septimum sæculum istud operum est, octavum, quod exspectatur, præmiorum erit[1]. » Alii judicii diem propinquum et *jam in januis esse*, tempore quo ipsi vixerint, simpliciter affirmarunt. Ita, v. g., Josephus Bryennius, Georgius Scholarius, etc.[2].

Quæ sanctus Joannes Damascenus habet in *Fide orthodoxa*, l. IV, c. XXVI, de Henoch et Elia, secundi Christi adventus præcursoribus, necnon de Antichristo, qui eos occidet, communiter repetunt Byzantini et modernorum compendiorum auctores, alia quædam adjicientes a diversis mutuata[3]. Notandum est autem doctrinam de Antichristo speciale momentum apud Russos secum ferre. Illi enim rascolniki qui *bezpopovtsy* (id est, *sacerdotio carentes*) audiunt, totam suam theologiam super hac doctrina adstruunt; quos confutare nituntur theologi russi in enchiridiis theologiæ polemicæ contra rascolnikos, arma tum a sacra Scriptura et Patrum traditione, tum a libris recentioribus, Niconis tamen reformatione prioribus, quos sectarii recipiunt, desumentes. Dum autem plenam de adversariis victoriam referre totis contendunt viribus, quædam minus certa vel probabilia tantum, tanquam Ecclesiæ dogmata, aut saltem ut sententias omnino tenendas proponunt. In locis autem

1. *Dioptra*, l. III, c. VIII, *P. G.*, t. CXXVII, col. 812-813.

2. « Ὅτι δὲ ἐγγὺς καὶ ἐπὶ θύραις, καὶ ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ τῶν παραγγελμάτων. καὶ ἀπὸ τῆς φύσεως τῶν πραγμάτων, πολλὰ τὰ μαρτύρια. » J. Bryennius, *Capita quadraginta novem*, c. XLI, in tomo III operum, ed. Eugenii Bulgaris, p. 111; G. Scholarius mundi finem appropinquare, immo anno Christi 1492 probabilissime futurum iri in suis scriptis haud semel denunciat; cf. *Œuvres complètes*, t. III, Parisiis, 1930, p. 94, 287, 383, 388.

3. De Antichristó necnon de eventibus *parusiæ præviis* plurima habet Philippus Solitarius, *op. cit.*, l. III, c. VIII-XI, col. 812-820, necnon G. Scholarius in dissertatione inscripta : Περὶ τῆς δευτέρας παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ περὶ τῶν σωμάτων ἀναστάσεως. *Œuvres*, t. III, p. 331-337.

Scripturæ, qui de Antichristo sunt, interpretandis, magna inter Orthodoxos et rascolnikos differentia hæc est : quod illi sensui litterali adhærent, hi vero sensu allegorico et metaphorico omnia fere accipiunt. Porro summa doctrinæ *bezpopovtsorum* sic contrahi potest :

Antichristus jam in mundo apparuit, et ubique quidem suum exercet imperium, in Ecclesia autem græco-russica præsertim dominatur, ubi veram fidem et pietatem corrupit, hierarchiam destruxit sacramentaque maculavit. Ad indolem vero Antichristi quod attinet, duplex jam inter primos rascolnikorum duces sententia recepta est. Quidam enim Antichristum sensibilem proposuerunt, illumque primum quidem Niconem patriarcham, mox vero Petrum Magnum esse contenderunt. Alii autem spiritualem Antichristum propugnarunt, dicentes hunc non esse ex hominibus unum, sed potius societatis spiritum ac studia, hæresum universitatem in Ecclesia orthodoxa vigentium. Ejus mater, aiebant, est societas impiorum hominum; ejus ortus est hominum hujusmodi a doctrina evangelica defectio; tres autem anni et sex menses per quos Antichristi regnum durabit tempus indefinitum significat. Ipsa ejus imperii indicia suum habent figuratum sensum : prodigia quæ operaturus est portenta sunt spiritualia seu falsæ doctrinæ, quibus mentes hominum obtenebrabit; in hoc siquidem illius fallacia consistet, quod sacram Scripturam sensim adulterabit, ita ut Ecclesia Scripturam quidem et sacramenta et divina officia conservatura sit; verum hæc omnia erunt depravata. Unde sigillum Antichristi non uno concluditur definito objecto, sed pluribus constat : v. g., nomine *Iissous* (loco *Issous*), *trœperstia* (= formatione signi crucis cum tribus digitis), cruce quadribrachiali, etc. Quidam ultimam a fide apostasiam in Ecclesia græco-russica ab anno 1666 incepisse opinantur. Objicientibus autem orthodoxis polemistis Henoch et Eliam venturos esse ante ipsum Antichristi adventum, illos autem nondum apparuisse, ergo nec ipsum Antichristum advenisse, respondent apparitionem Henoch et Eliæ non *carnaliter* sed *spiritualiter* et *allegorice* esse intelligendam : Henoch enim et Elias, inquiunt, non sunt duæ distinctæ personæ, sed leges diversas designant : Elias siqui-

dem legem scriptam significat, Henoch legem naturalem, gratiæ vero legem Joannes Theologus. Cæterum, Salvatore ipso teste, Elias jam apparuit in Joannis Baptistæ persona. Vel Henoch et Elias omnes figurant fidei et pietatis zelatores, qui contra hæreticos temporum decursu fortiter dimicarunt, et martyres, qui tormenta pro orthodoxia passi sunt. Insuper *bezpopovtsy* addunt tempore Antichristi verum sacerdotium desiturum esse, et una cum eo illa sacramenta quæ nonnisi a sacerdotibus conferri possunt; ergo deficient etiam confirmatio, matrimonium et euchelæum. Dividunt enim sacramenta in *necessario requisita* et in *simpliciter requisita* ad salutem. Necessario requiruntur baptismus, pænitentia et communio, ex quibus duo prima a laicis administrari possunt, communio vero per ardentem desiderium seu communionem spiritualem suppleri potest. Simpliciter vero requiruntur alia quatuor sacramenta, sine quibus Ecclesia bene stare ac perseverare potest. Hæc de sacramentis doctrina in *Pomorianis responsionibus* (anno 1723) primum occurrunt [1].

Dictis *bezpopovtsorum* polemistæ græco-russi contrarias opponunt sententias, quas tanquam ad « Orthodoxiam » pertinentes prætendunt, Unde docent : 1º Henoch et Eliam ante secundum Christi adventum revera venturos esse, et contra Antichristum pugnaturos; 2º Præter diversos antichristos, de quibus Scriptura loquitur, unum hominem (non diabolum incarnatum) qui *proprie* Antichristus erit, tempore *parusiæ* venturum esse; 3º Hunc Ecclesiam Christi omni modo vexaturum et persecuturum esse, Ecclesiam vero cum omnibus institutis suis et sacramentis usque ad finem duraturam; 4º Antichristi imperium nonnisi tres annos et sex menses, juxta Scripturæ doctrinam, perseveraturum, vel saltem omnino breve futurum; unde nostris temporibus nondum incepisse. De persona vero Antichristi, ejus origine, indole, prodigiis, ea referunt, quæ apud quosdam Patres antiquos occurrunt. Dicunt, v. g., eum ex meretrice de tribu Dan oriundum, qui more Judæorum circumcisus erit; qui

1. Cf. Plotnikov, *Enchiridion confutationis russici schismatis* (seu *rascolis*), ed. 4, Petropoli, 1897, p. 193-221.

suis asseclis duplex signaculum in manu dextra et in fronte dabit cum numero 666, etc [1].

Veterem chiliasmi seu millenarismi errorem generatim memorant compendiorum auctores, quem quidam ex eis satis fuse refellunt, quin aliquid novi proferant [2].

ARTICULUS II

De mortuorum resurrectione.

De mortuorum resurrectione Græco-Russi in suis compendiis eadem fere habent, quæ in nostris enchiridiis theologiæ dogmaticæ occurrunt. Primum enim definitionem tradunt resurrectionis; cujus deinde existentiam, convenientiam, possibilitatem adstruunt variis argumentis tum ex fontibus revelationis, tum ex ratione theologica et philosophica desumptis. De qualitatibus corporum resuscitatorum demum agunt, ad curiosas veterum Scholasticorum quæstiones vix attendentes. Notandum est eos communiter insistere in *identitate numerica* corporis resuscitati cum corpore in cineres redacto, hancque identitatem tanquam ad dogma Ecclesiæ pertinentem urgere. Ita Macarius, qui illam deducit : 1º ex ipsa notione resurrectionis;

1. Longam de Antichristo composuit monographiam A. D. Bieliaev, quam in *Bogoslovskii Viestnik* edidit, annis 1893 (t. II, p. 396-428; t. III p. 3-31; t. IV, p. 21-40); 1894 (t. I, p. 193-228; t. II, p. 1-33, 379-417; t. III, p. 9-54; t. IV, p. 412-455); 1895 (t. II, p. 194-234; t. III, p. 1-51, 161-184), ubi ordine tractat de duabus a fide defectionibus quæ in novissimis temporibus et in adventu Antichristi futuræ sunt; de origine Antichristi; de abominatione desolationis stante in loco sancto; de duratione et tempore regni Antichristi; de doctrina Patrum, Ecclesiæ doctorum et orthodoxorum theologorum circa tempus et signa adventus Antichristi; de diversis opinionibus theologorum latinorum medii ævi circa eamdem quæstionem; cf. etiam aliam dissertationem cujusdam Anonymi *De Antichristo*, in *Pribavleniia sanctorum Patrum*, t. XVII, 1858, p. 411-451, 493-574. De quadam chiliasmi specie inter Graecos nunc vigente cf. R. Janin, in *Échos d'Orient*, t. XXVII, 1928, p, 201-210, 480-481.

2. Cf. Macarium, *op. cit.*, t. II, p. 641-648; Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 535-536; Andrutsum, *op. cit.*, p. 440-442.

2º ex resurrectione Salvatoris, qui e sepulcro surrexit cum suo proprio corpore; 3º ex verbis Evangelii : « Venit hora in qua *omnes qui in monumentis sunt, audient* vocem Filii Dei » (Joa., v, 28), et Apostoli : « Oportet *corruptibile hoc* induere incorruptionem » (I Corinth., xv, 53); 4º ex constanti et unanimi Patrum traditione [1]. Andrutsus tanquam origenismum sapientes rejicit hypotheses quorumdam vel identitatem corporis ex sola anima pendere, vel animam in resurrectione levissimum et æthereum sibi corpus adscituram opinantium; vel etiam dicentium ipsam natura possidere organum quoddam, quod in corpus æthereum gradatim sese evolvat [2].

Quoad corporum dotes post resurrectionem, iidem probe distinguunt inter dotes omnibus communes, scilicet incorruptibilitatem et immortalitatem, et dotes solis beatorum corporibus proprias, quæ a variis auctoribus paulo diverse nuncupantur et recensentur. Antonius, v. g., loquitur de subtilitate, agilitate et claritate [3]. Juxta Macarium, beatorum corpora non solum erunt incorruptibilia et immortalia, sed etiam gloriosa seu lucifera, fortia et valida, spiritualia, id est subtilia, levia et cælestia [4]; juxta Malinovskii, erunt corruptionis omnino expertia, valida, spiritualia et gloriosa [5]. « Circa sexum, staturam, etc., corporum resuscitatorum, ait Macarius, diversæ fuerunt antiquorum opiniones, de quibus nihil certi definiri potest, silentibus de quæstionibus hujusmodi Revelationis fontibus. Quidam, v. g., putarunt sexuum differentiam sublatum iri; alii, e contra, hanc remansuram; alii vero omnes in sexu masculino resurrecturos; quorum sententiæ contradicit beatus Augustinus. Fuerunt qui conjecerint omnes omnino mortuos, tum senes, tum juvenes, tum infantes in una eademque statura, *ad mensuram scilicet ætatis plenitudinis Christi* (Eph., iv, 13) surrecturos; dum alii dixerunt staturam non unam futuram esse, quin admiserint infantes et juvenes in corpore infantili

1. Macarius, *op. cit.*, p. 629.
2. *Op. cit.*, p. 443.
3. *Op. cit.*, p. 397.
4. *Op. cit.*, p. 629-630.
5. *Op. cit.*, p. 518-521.

vel juvenili, non autem virili apparituros [1]. » Juxta Malinovskii, sexuum differentia permanebit; de staturarum vero diversitate nihil decernit [2].

Hæc quidem theologi recentiores. Tempore autem quo apud Kiovienses Scholastica latina florebat, sæculis nempe xvii et xviii, singulares de conditione resurgentium quæstiones non aspernabantur. Byzantini vero, usque ad sæculum xv inclusive, de quibusdam quæstionibus hujusmodi doctrinam satis communem ab antiquis Patribus mutuatam habuerunt. Siquidem, juxta illos, resurrectio concipienda est tanquam *in statum pristinum Adæ innocentis restitutio ac reditus.* Haud semel jam diximus multos antiquos Ecclesiæ orientalis Patres et doctores existimasse corpus Adami innocentis iisdem qualitatibus et dotibus fuisse decoratum, quibus corpus Christi et nostrum post resurrectionem. Hoc etiam tenuerunt plerique Byzantini. Cum autem, secundum eosdem Patres et doctores, sexuum diversitas non fuerit introducta nisi ob prævisionem lapsus, et Adam a Deo primum formatus fuerit solus, Byzantini inde collegerunt in resurrectione non tantum sexuum diversitatem sublatum iri, verum etiam omnes notas individuantes, omnia signa corporum distinctiva necessario suppressum iri, ita ut omnes resurgentes perfectam veteris Adami innocentis (et etiam Novi, id est Christi redivivi) similitudinem quoad corpus relaturi sint, absque ulla differentia vel nota individua. *Erunt omnes, ad corpus quod attinet, tanquam unus homo* [3]. Hoc autem posito, nova suboritur quæstio : num scilicet homines in resurrectione se invicem cognoscent et quomodo hoc fieri poterit, sublatis corporum notis et signis propriis. De hujusmodi quæstionibus singularibus fuse disserit Michael Glykas in quatuor e suis *Capitibus theologicis*, testimonia

1. Macarius, *op. cit.*, p. 632.
2. *Op. cit.*, p. 617.
3. Utrum hæc forma humana, communis omnibus, sexus masculini futura sit, an omni signo sexuali caritura, non clare statuunt quidam antiqui; Byzantini vero posteriores de homine neutro loquuntur. Difficultatem tamen illis movet sanctus Joannes Damascenus, qui docet Deum formasse Adamum ἄρρενα. *P. G.*, t. xciv, col. 976; cf. Glykam, *op. cit.*, c. viii, t. ii, p. 111 sq.

antiquorum afferens ac commentans [1]: inter quæ hocce Pseudo-Athanasii primum venit, *ex Quæstionibus ad Antiochum* excerptum :

« Figuræ, signa et affectiones, quæ nostris corporibus ex corruptione et generatione accidunt, per quas nos invicem hic cognoscimus, in resurrectione mortuorum cum generatione et corruptione destruentur. Et quemadmodum Deus ab initio unum fecit hominem, sic et in regeneratione omnes velut unus homo resurgemus, id est : *omnis imago hominis similis erit imagini, magnitudini et figuræ Adami. Unde in resurrectione non est masculus, et femina, parvus et magnus, niger et albus*, flavus et rufus, simus et adunco naso, nec variæ formæ, varii vultus et colores, variæ passiones, diversa tabernacula. Hæc enim omnia, quæ ex generatione et corruptione proveniunt, simul cum corruptione destruentur. Etenim quomodo pater posset agnoscere proprium filium, qui infans mortuus fuerit, et triginta jam annorum homo resurget, quemadmodum et Christus triginta annos natus baptizatus est? Quomodo dignosci possit Æthiops, qui albus resurget; vel qui saucius obierit, et sanus resurget? Quod si hæc tibi videntur vix credibilia, audi Dominum ad Sadducæos dicentem : *In resurrectione mortuorum neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei* (Matth., XXII, 30). Igitur *quemadmodum una est species et figura angelorum, ita idem in resurrectione per incorruptibilitatem nostræ naturæ obventurum credimus.* Et quemadmodum in frumento spicam fecit Deus ab initio, et ex spica granum prodiit, quod deinde satum rursus germinat spica, sic et homo factus est a Deo incorruptus donec servavit præceptum; deinde propter transgressionem contritus est et corruptibilis factus; satus vero per mortem et terra obrutus, *iterum incorruptus repullulet, qualis ab initio erat* [2]. »

1. Cf. c. VIII, IX, LXXVIII, XCII (t. I, p. 89-115, 116-128); t. II, p. 418-435.
2. *Quæstio* XXIV *ad Antiochum, P. G.*, t. XXVIII, col. 612-613 : « Διὸ οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀναστάσει ἄρσεν καὶ θῆλυ, οὐδὲ μικρὸς καὶ μέγας, οὐδὲ μέλας καὶ λευκός... οὐδὲ διάφορα σχήματα καὶ πρόσωπα καὶ χρώματα καὶ παθήματα καὶ σκηνώματα... Οὐκοῦν ὥσπερ οἱ ἄγγελοι μιᾶς ἰδέας καὶ σχήματος ὑπάρχουσιν, οὕτω πιστεύομεν καὶ ἐπὶ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐν τῇ ἀναστάσει διὰ τῆς ἀφθαρσίας λοιπὸν γίνεσθαι. »

Pseudo-Athanasii sententiæ expresse adhærent Anastasius Sinaita [1], Philippus Solitarius [2], Josephus Bryennius [3]. Ad eam alludit sanctus Theodorus Studita, quin eam aperte probet [4]. Eorum enim opinionem refellit, qui ex hac Pseudo-Athanasii doctrina concludebant homines in resurrectione non se invicem cognituros propter notarum corporalium individuantium defectum :

« Nonnulli, inquit, ad audientium detrimentum disputant nos redivivos minime invicem agnituros in regeneratione, quando Dei Filius veniet omnia judicaturus. Dicunt enim : « Quomodo homines resurgentes incorrupti se invicem cognoscent, cum non erit Judæus et gentilis, barbarus et Scytha, parvus et magnus, mas et femina, niger et rufus, neque servus erit, neque liber, sed omnes ad instar erunt angelorum? Impossibile omnino est tales aut cognoscere alios, aut ab aliis cognosci. » Et ita quidem illi et sentiunt et loquuntur; quibus nos contradicentes in hunc modum respondemus : Qui humanis innixi ratiociniis contendunt nos invicem non agnituros, ipsam evertunt corporum resurrectionem ex mortuis... Quin et futurum judicium hac opinione tollitur; nam judicium de personis cognitis fieri solet, sicut scriptum est : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam peccata tua* (Ps., LXIX, 21) [5]. »

Eidem errori obviat Glykas pluribus argumentis. Ad parabolam de divite et Lazaro primum provocat : Dives in inferno Abraham cognovit, quem nunquam viderat, et Lazarum agnovit a corpore separatum. Animæ ergo separatæ se invicem cognoscere possunt. Hoc tamen Pseudo-

1. Cf. Glykam, c. VIII, t. I, p. 107; Fabricium, *Bibliotheca græca*, t. X, p. 571-595.
2. « Post resurrectionem e sepulcris etiam ipsa, perinde ut corpora ipsa, immutabuntur, ad unam eamdemque speciem redacta et ad eamdem ætatem... *In corporibus nulla prorsus differentia cernetur.* » *Dioptra*, l. IV, c. II, *loc. cit.*, col. 823-824; cf. l. III, c. X, col. 775-776.
3. « Οὐδὲ γὰρ ὃ μὲν μελάγχρους ἔσται, ὃ δὲ ξανθὸς τὴν μορφήν· ἢ ὃ μὲν καλὸς καὶ μέγας, ὃ δ' ἀκαλλὴς καὶ βραχὺς, ἀλλὰ πάντες ἴσοι τὰ πάντα. » *Oratio* I *de futuro judicio*, t. II, p. 377.
4. *Sermo catecheticus* XXII, *P. G.*, t. XCIX, col. 538-539 (versio latina tantum); textus græcus apud Glykam, t. I, p. 123-124.
5. *Ibid.*

Athanasius non concedit nisi animabus justis, docens animas peccatrices se invicem non cognoscere, neque peccatores, post resurrectionem, se agnituros [1]; cui assentiunt Philippus Solitarius [2] et Michael Glykas [3]. Hic autem, præter verba divitis ad Abraham, affert etiam exemplum Adami e somno evigilantis et Evam, quam nondum viderat, statim cognoscentis. Laudat deinde multa Patrum testimonia asserentia nos in altera vita et post resurrectionem invicem agnituros. Hæc autem cognitio, inquit ille, fiet *per animæ oculum perspicacem*, τῷ διορατικῷ τῆς ψυχῆς ὀφθαλμῷ [4].

Similia de eadem quæstione habet Philippus Solitarius [5]; qui insuper quærit num et quomodo quælibet anima suum ipsius corpus a mortuis exsurgens recognoscet. Sic autem respondet :

« In præsenti vita, variæ exstant differentiæ ac notæ, variæ passiones, quæ in corporibus cernuntur; in futuro autem sæculo nihil horum cernetur, sed sicut Dominus novit, et κρίσει quam ipse scit, ineffabili modo spiritibus signa dabuntur, quibus unusquisque corpus suum recognoscat, quemadmodum oves agnos suos in ovibus, vicissimque agni matrum suarum ubera agnoscunt [6]. Non enim ex signo, aut ex aliquo indicio aspectabili, sed ex odore quodam eoque solo mutuo se cognoscunt, ut unaquæque procul ad suum occurrat... Sic omnium corporum tunc quoque fiet agnitio per indicium quod divinitus dabitur, cum ad tubæ cælestis sonitum rediviva e sepulcris prodibunt [7]. »

De indole ac qualitatibus corporum gloriosorum Michael Glykas longam habet quæstionem. Dicit ea futura esse incorruptibilia, subtilia, levia, ætheria, fulgida, cujuslibet crassitudinis expertia, spiritualia. De dote spiritualitatis

1. *Responsiones ad Antiochum*, XXII et XXIII, *P. G.*, *t. cit.*, col. 612.
2. *Dioptra*, l. II, c. XIV : « Peccatores etiam hoc præter alia privantur, non habentes agnitionem, sicut nec aliam delectationem, ex quo a justis separati fuerint. » *P. G.*, *t. cit.*, col. 784.
3. Cap. VIII, t. I, p. 120.
4. Cap. IX, t. I, p. 116-128; cf. cap. XCII, t. II, p. 434-435.
5. *Dioptra*, l. II, c. XIV, col. 783-785.
6. Idem dicit Laurentius Zizanii in *Magno Catechismo*, p. 86; cf. *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, 1855, p. 333-334.
7. *Op. cit.*, l. II, c. XIII, col. 782-783.

potissimum disserit, quædamque profert, quæ cum verbis Scripturæ ægre congruunt. Concedit quidem corpus resurrecturum idem fore, quoad essentiam, ac corpus quod nunc gestamus: at vero, inquit, temperamentum erit diversum, quod nos plane ignoramus [1]. Nec ea, quæ in Scriptura narrantur tum de formatione Adami, tum de apparitionibus Jesu Christi redivivi de hoc nos sufficienter monere valent. Verba siquidem Salvatoris ad discipulos : *Palpate et videte; quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere* (Luc., XXIV, 39); loca item clavorum in manibus et pedibus, et lateris vulnus, quæ ostendit eis, cibus quem coram eis sumpsit : hæc omnia per quamdam *condescensionem* et *dispensationem* (συγκαταβατικώτερον καὶ οἰκονομικῶς) dicta vel facta sunt. Corpus enim gloriosum, quanquam revera corpus, *carnem et ossa non habet;* cicatrices vulnerum non retinet; cibi incapax est; immo ab oculo corporeo videri non potest. Unde vera ejus conditio et temperatio nobis ignota manet [2]. Ut hanc doctrinam confirmet, ad Anastasium Sinaitam provocat [3]. Hæc tamen origenismum aliquatenus sapere haud dubium est.

Appetitum concupiscibilem et irascibilem Philippus Solitarius a corpore glorioso expellit [4]. Josephus Bryennius vero eidem quatuor dotes tribuit; scilicet : subtilitatem, agilitatem, claritatem et *perspicientiam* seu facultatem omnia immediate, nulla re interposita impediente, videndi [5].

1. « Καὶ τὴν μὲν οὐσίαν τοῦ ἐγερθησομένου σώματος, εἰ καὶ πολλῷ τοῦ φαινομένου νῦν ἐκεῖνο λαμπρότερον, διαβεβαιούμενοί φαμεν εἶναι τὴν αὐτήν· τὴν δὲ κρᾶσιν οὐκ ἴσμεν, ὅτι καὶ παράδοξος αὕτη. » Cap. XCII, t. II, p. 423.
2. « Οὐδὲ γὰρ δύνανται ὀφθαλμοὶ φθαρτοὶ σῶμα θεωρεῖν ἄφθαρτον... Συγκατάβασίς ἐστι, ὅταν οὐχ ὡς ἔχει φύσεως ὁ Θεὸς ἐμφαίνεται· συμμετρεῖ γὰρ τῇ τῶν ὁρωντῶν ἀσθενείᾳ τῆς ὄψεως τὴν ἐπίδειξιν. » *Ibid.*, p. 426-427. — « Διὰ τοῦτο καὶ σὰρξ μὴ ὢν ἀληθῶς κατ᾽ οἰκονομίαν ὤφθη σάρξ... Ποία καὶ γὰρ ἐκεῖσε σάρξ; ὁποῖα δὲ καὶ ὀστᾶ, σῶμα θεοειδέστερον, ἔνθα σῶμα πάσης ἀπηλλαγμένον παχύτητος, ἔνθα σῶμα ἀκοπίαστον, τροφῆς, ὕπνου καὶ πόσεως ἀνενδεές; » *Ibid.*, p. 430-431.
3. Cf. *Hodegum*, c. XIII, *P. G.*, t. LXXXIX, col. 217. Anastasio suam opinionem immerito tribuit Glykas.
4. *Dioptra*, l. II, c. XV, col. 787.
5. « Αὗται γὰρ αἱ χάριτες, ἃς μέλλουσι μετὰ τῶν ἄλλων ἐν τῇ κοινῇ

ARTICULUS III

De judicio universali.

Admodum pauca de judicio universali dicere habemus. Omnia enim fere, quæ de hac quæstione tradunt moderni compendiorum auctores, a sacra Scriptura mutuantur. Inter antiquos Byzantinos vix aliquot fuere qui quæsitis curiositatem moventibus indulserint; inter quos notandus est Josephus Bryennius. Hic, in duabus *Orationibus de judicio venturo*, non minus quam triginta quinque quæstiones sibi proponit solvendas; ex quibus tamen quædam non ad ipsum judicium referuntur, sed circa alia de novissimis singularia versantur.

Tanquam judicii locum Bryennius designat Jerusalem, versus domum David, ubi vicina est vallis Josaphat, per quam fluvius ignis pertransiet, secundum illud Prophetæ : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas... quia illic sederunt sedes in judicium, sedes super domum David* (Ps. cxxi, 3, 5) [1].

Judicium fiet primo anni tempore, die dominica, septima noctis hora, qua et Christus, primogenitus mortuorum, tertia die surrexit a mortuis. Harum omnium determinationum miras Bryennius adinvenit mysticas rationes, quas referre supersedemus [2].

Judicium non in instanti complebitur, sed longum temporis intervallum perdurabit; quod Magnus Basilius in *Ethicis* insinuat, dicens unumquemque nostrum ordine venturum in examen eorum omnium, quæ in præsenti vita egerit. Hujusmodi autem examen magnum utique postulabit temporis spatium; « immo, si quid insoliti et inauditi proferre liceat, ait Bryennius, tota illa, quæ nescit occasum, dies mihi videtur esse perpetuum peccatoribus judicium; quibus enim

ἀναστάσει λήψεσθαι πρὸς Θεοῦ κοινῶς οἱ δίκαιοι ἅπαντες· λαμπρότης λεπτότης, ἐλαφρία, διόρασις». *Capita quadraginta novem*, c. xxvii, t. iii, p. 80; cf. *Orat.* i *de futuro judicio*, t. ii, p. 377.

1. *Oratio* i *de futuro judicio*, quæstio ii, t. ii, p. 370.
2. *Ibid.*, quæstio iv, p. 371-372.

et condemnatio et opprobrium sine fine erit, quomodo etiam et judicium non semper durabit [1]? »

Prima omnium tunc apparebit crux Domini, de cælo descendens, præ sole fulgens. Hoc autem fiet, quod et dæmonibus hoc signum tremendum est, et Judæis terribile, et christianis desiderabile. Quemadmodum enim ante regem civitatem ingressurum, vel tyrannum debellaturum, vel rebelles puniturum explicantur vexilla, ita etiam Domino in terram descendenti crux, illud dominicum et divinum signum, præibit [2].

Num ex hominum aliquis Christi consessor ad judicandum erit? Bryennius respondet negative : neque hominum neque angelorum ullus, neque alia natura creata Christo considebit; sed Christus solus, qualis ex monte Olivarum ad cælos ascendit, et qualis nunc ad dexteram sedet majestatis, tunc judex descendet, homo homines, circumscriptus circumscriptos, videns videntes judicaturus; quod si Dominus apostolis dixit : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*; et David et Daniel dicunt: *Sedes ponetis*; et a pictoribus apostoli figurantur super thronos duodecim cum Christo ad judicandum sedentes : hoc eorum gloriæ stabilitatem, firmitatem atque constantiam significat [3].

Quomodo autem ordinabitur occursus sanctorum obviam Christo euntium? Præibit avorum (τῶν προπατόρων) chorus, coryphæeum habens Adamum, stirpis ducem; post quem ordine venient : apostolorum cohors, martyrum populus, sacra prophetarum corona, pontificum cœtus, sanctorum agmina et justorum multitudo; sequetur sanctarum mulierum caterva. Omnes hymnos cantabunt, et dicent : *Benedictus qui venit in nomine Domini* [4].

Numquid et impii et peccatores hæreticique omnes et etiam

1. Cf. 5, p. 372 : « Εἰ δὲ δεῖ τι καὶ παράδοξον εἰπεῖν, ἐμοὶ δοκεῖ πᾶσα ἡ ἀνέσπερος ἐκείνη ἡμέρα κρίσις εἶναι ἀπέραντος τοῖς ἁμαρτωλοῖς· οἷς γὰρ καὶ ἡ καταδίκη καὶ ἡ αἰσχύνη ἐστὶν ἀτελεύτητος, πῶς οὐ δι' ὅλου κριθήσονται οἱ ταύτης ὑπεύθυνοι; »
2. Q. vi, p. 373.
3. Q. vii, *ibid.*
4. Q. viii, p. 373-374.

dæmones una cum electis coram Christo judice comparebunt? Respondetur affirmative; nec obstat illud psalmi : *Non resurgent impii in judicio*; hæc enim verba alio spectant, et significant impios suam tunc libertatem et audaciam deposituros[1]. Quod dæmones una cum hominibus judicandi sint, hoc etiam communiter docent compendiorum auctores [2].

Num omnes cognoscent singulos et singuli omnes? Respondetur affirmative. Justi cognoscent justos et peccatores; peccatores cognoscent peccatores et justos; singuli cognoscent omnes et omnium omnia et singula [3]. Hanc doctrinam expresse tradunt, præter Bryennium, Theodorus Studita [4], Philippus Solitarius [5], Michael Glykas [6]. Philippus enim et Michael, qui peccatoribus tum post mortem tum post resurrectionem mutuam cognitionem denegant, hanc illis concedunt pro tempore judicii. Omnia peccata, etiam illa quæ peccatoribus ante duodecimum annum expletum commissa fuerint [7], revelabuntur.

Unus locus haud ægre capiet hanc immensam hominum et angelorum multitudinem. Multi enim spiritus in uno parvo loco adunati non se invicem angustant ac coarctant. Idem dicendum de corporibus incorruptibilitate et subtilitate donatis [8].

Libri qui tunc aperientur singulorum conscientiam designant. Uniuscujusque enim conscientia tunc nuda et aperta omnium oculis erit, atque ex intimis cogitationibus nulla celabitur [9].

Communem judicis condemnationem omnes reprobi pariter recipient; præterea, unusquisque eorum propriam suam

1. Q. IX, p. 374-375.
2. Cf. Antonium, p. 105; Ph. Gumilevskii, p. 316; Macarium, p. 637; Malinovskii, p. 530.
3. Q. X, p. 375.
4. *Catech.*, XXII, *loc. cit.*
5. *Dioptra*, l. II, c. XIV, col. 783-785.
6. Cap. IX, t. I, p. 116-128.
7. Hanc specialem quæstionem habet Glykas, in c. XXVII, t. I, p. 287-289.
8. Bryennius, Q. XI, p. 375-376.
9. Q. XII, p. 376.

sententiam ab iis qui virtutes coluerunt, accipiet : *Stabunt enim justi adversus eos qui se angustiaverunt*, et duodecim apostoli *duodecim tribus Israel judicabunt* [1].

Tempore judicii, telonia vacabunt; ipsi enim malevoli publicani judicio obnoxii erunt et contremiscent [2].

Qui in præsenti vita peccatorum suorum pœnas luere inceperunt tolerabilius quidem tunc habebunt supplicium, sicut de Sodomis et Gomorris Dominus pronuntiavit; at vero non omnes consequentur perfectam a tormentis liberationem [3]. Neque omnes qui præcipitio vel naufragio vel veneno perierunt; vel qui a feris depasti sunt ob hoc solum e supplicio eruentur; sed eorum sors ab intimis dispositionibus, quibuscum e vita cesserunt, dependet [4]. Erit quidem tunc aliqua angelorum atque sanctorum mediatio et intercessio, sed pro iis tantum qui in pænitentia decesserunt, antequam peccatorum maculas perfecte abluere potuerint [5].

Quærit demum Bryennius num sancti, cognatos et propinquos supplicio tradi videntes, aliquam exinde accipient tristitiam. Respondet negative : ubi enim erit sanctis omnibus indeficiens gaudium, ibi procul erit quivis dolor et tristitia et gemitus. Pro Dei inimicis tristari sanctis incongruum est; hoc enim esset seipsos facere Deo meliores. Illic soli sanctis habentur cognati et amici et noti qui ad Domini dexteram stationem consecuti sunt [6].

Rationes propter quas Filio incarnato Pater omne judicium dedit, perbelle recenset Photius in *quæstione CXCII ad Amphilochium* : Filius, inquit, hujus operis principatum tenet primum quidem, quia conditor rectorque creaturarum, quas initio e nihilo eduxit, nuncupatur; secundo, quia generis humani post lapsum renovationis reformationisque auctor ipse exstitit. Ergo oportebat qui creatorem se provisoremque humanæ naturæ utroque opere exhibuerat, hunc ei judicem quoque constitui. Etenim creationi comes

1. Q. XXI, *oratio* II, p. 388-389.
2. Q. XXII, p. 389-390; cf. supra, p. 28,
3. Q. XXIII, p. 390; quæstio sat obscura.
4. Q. XXIV, p. 390-391.
5. Q. XXVI, p. 391-392.
6. Q. XXVII, p. 392.

atque implicita est providentia : providentiam autem consequitur judicium examenque eorum quibus providetur. Tertio, legislatoris munus est judicare eos quibus præcepta data sunt. Atqui legislator novi fœderis præcipuus est Filius, etsi Patris voluntas cum eo operatur, neque Spiritus Sancti communicatio deest. Quarto, quia Filius, humana carne indutus, humanæ naturæ experimentum cepit, duplicemque gestarum rerum notitiam adeptus est; in iis enim, quæ ipse passus est, tentatus, tentatis opem ferre valet. Quinto, quia Filius seipsum adeo humiliavit, ut naturam nostræ similem sibi assumpserit, merito illi traditur judicium, ut exinde exaltetur ac divinitatis ejus dignitas prædicetur. Sexto, quia convenit, ut homo homines judicet — non enim tunc nudæ animæ, sed corporibus suis copulatæ coram tribunali parebunt — et judicati suum judicem cernere possint, auribusque sententiam ab ipso ferendam audire [1].

ARTICULUS IV

De mundi consummatione et renovatione.

Quæ de præsentis universi *per ignem* consummatione necnon de novis cælis novaque terra a Deo in fine temporum constituendis continet Scriptura, Græco-Russi nobiscum repetunt, oreque unanimi docent hunc mundum visibilem non in nihilum redactum iri, sed simpliciter renovandum fore ac transformandum [2]. Hujus transformationis possibilitatem rationis ac scientiæ experimentalis ope quidam adstruunt [3], ejus vero naturam pauci conjicere tentant ex verbis sancti Pauli ad Rom., c. VIII, 19-22 : *Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat*, etc., necnon ex Apocalypsis descriptionibus. Ita Philippus Solitarius, qui

1. *P. G.*, t. CI, col. 929-932.
2. Cf. *Catechismum majorem Philareti*, qui docet « hunc mundum corruptibilem in mundum incorruptibilem per ignem mutatum iri »; Philaretum Gumilevskii, *op. cit.*, p. 310; Macarium, p. 633-638; Andrutsum, p. 45, nota 3.
3. Cf. Malinovskii, p. 526-527.

hæc habet : « Juxta Scripturam, renovata ac transmutata natura incorruptionem suscipiet ut nos, nec interibit amplius : *Liberabitur enim et ipsa creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (Rom., VIII, 21) ; quibus dictis, interpretationem sancti Joannis Chrysostomi in hæc Apostoli verba recitat suamque facit et commentatur [1]. »

1. *Dioptra*, l. III, c. VI, VII, col. 808-810; cf. J. Bryennium, *Oratio* II *De consummatione*, t. II, p. 216 sq.; M. Glykam, c. LXXV, p. 256-258; Georgium Scholarium, *Dissertatio citata de secundo Christi adventu et corporum resurrectione*, *Œuvres complètes*, t. III, p. 331-337.

CAPUT QUINTUM

DE RETRIBUTIONE POST JUDICIUM UNIVERSALE.

Post judicium universale, non erunt nisi duo hominum status, qui in æternum absque ulla essentiali et intrinseca mutatione permanebunt, status scilicet beatitudinis et status damnationis. Hoc unanimiter docent theologi græco-russi, sicut et catholici. Cum autem dissidentes non pauci dilationem retributionis usque ad ultimum judicium doceant, vel nonnisi inchoatam et omnino imperfectam admittant, ut supra vidimus; alii vero de hac quæstione obscure et ambigue loquantur; cum insuper quidam inter beatitudinis immediatæ fautores opinentur felicitatem vel pœnam animarum, *qua animarum*, post judicium intensive auctum iri, ideo moderni compendiorum auctores totam disquisitionem de cælo et inferno ponunt post articulum de judicio universali [1]. Quæ autem de hoc duplici capite tradunt, eadem fere sunt, quæ in enchiridiis theologiæ dogmaticæ apud nos usitatis leguntur, semotis quæstionibus scholasticis de modo et essentia formali beatitudinis, vel de modo quo ignis infernalis damnatos et dæmones cruciat. Unde, quæ nobiscum omnino communia habent, referre supersedemus. Ea tantum notare sufficiat, quæ præter communem theologorum catholicorum sententiam de quæstionibus disputatis ab eis proferuntur, vel quæ de aliis aliquid novi aut gravis exhibeant. Duo tantum erunt articuli, quorum unus erit de sanctorum beatitudine post judicium universale, alter de damnatorum conditione post idem judicium.

1. Eumdem servavit ordinem auctor *Supplementi Summæ theologicæ* sancti Thomæ.

ARTICULUS I

De sanctorum beatitudine post judicium universale.

Juxta omnes, sanctorum beatitudo, post judicium universale, erit omnino plena et perfecta tum quoad animam tum quoad corpus. Erit etiam inæqualis, pro uniuscujusque merito [1]. Erit æterna et inamissibilis. In quibusnam autem consistet, compendiorum auctores dicunt ex sacræ Scripturæ verbis, distinguentes vel non inter beatitudinem *essentialem* et beatitudinem *accidentalem*, inter bona *interna* et *bona externa*. De natura beatitudinis essentialis disserendi hic esset locus, si hanc quæstionem non tractassemus alibi, ubi de palamitico errore [2].

Quidam theologi, qui cæterum retributionem immediatam docuere, animarum sanctarum felicitatem, post resurrectionem et judicium universale, *intensiorem* fore opinati sunt; inter quos præcipui fuerunt Philippus Solitarius, Nicolaus Cabasilas, Gregorius hieromonachus Chius, Stephanus Iavorskii; quorum verba jam supra retulimus [3].

Alii, quorumdam antiquorum vestigiis inhærentes, sanctorum beatitudinem concipiunt tanquam aliquem progressum in infinitum, eo sensu quod electi novas gaudendi causas, novas veritates, novas pulchritudines, etc., in Deo semper

1. De beatitudinis inæqualitate quædam minus recta et lutheranismum redolentia professi fuisse videntur scholæ Procopivitsianæ alumni. Hæc enim in compendio Sylvestri Lebedinskii legimus : « Affectiones (sic) horum bonorum [quibus sancti gaudent] sunt : 1º continua et æterna duratio; 2º varietas et *inæqualitas quoad præmia accessoria*, seu dotes quasdam accidentales, atque imprimis claritatem et splendorem corporum; *cujus tamen inæqualitatis causa quærenda est non in meritis humanis, sed in liberrima divinæ benignitatis dispensatione et gratuita promissione.* » *Op. cit.*, p. 580. Ex his verbis infertur 1º inæqualitatem non existere nisi quoad beatitudinem accidentalem; 2º ipsam inaequalitatem in beatitudine accidentali non fundari super meritis sanctorum. Hæc logice fluunt ex doctrina auctoris de merito; cf. t. II.
2. Cf. t. II.
3. Cf. p. 50, 52, 59, 60.

inventuri ac detecturi sint. Ita, inter alios, Michael Glykas, qui de hac quæstione integrum caput habet :

« Nulla adest, inquit, ratio dubitandi quin divi Patres tradiderint sanctos secundum scientiam et gloriam in sempiternum proficere. Cum enim justi Incomprehensibilem comprehendere nitantur, quomodo hujusmodi studium compescant? Quo pacto conatui terminum imponant?.. Quæ sunt anteriora desiderant, et secundum conatus progressus facere singuli putant; at vero ad ipsum terminum pervenire non possunt. Quomodo enim Deum totum, qui inaccessus omnino est et incomprehensibilis, circumplecti valebunt? Hoc pacto ergo persequuntur, sed non apprehendunt, scientiam super scientia, progressum super progressu accipientes... Et si quando satiati visi fuerint, majori siti laborantes deprehenduntur... Et hoc est quod sacra Scriptura, divinum illum amorem describens, dicit : *Qui edunt me adhuc esurient; et qui bibunt me adhuc sitient* (Eccl., XXIV, 29). Hæc igitur est sanctorum illic conditio; exinde justis progressus succedit; exinde cognitio admodum augetur; exinde justorum gloria multiplicari solet [1]. »

Idem docet Josephus Bryennius in trigesima quæstione de judicio futuro, longumque sancti Gregorii Nysseni recitat locum, ubi hæc sententia expresse declaratur [2].

ARTICULUS II

De damnatorum conditione post judicium universale.

Sicut sancti, post judicium universale, perfectam suorum meritorum mercedem habebunt, ita etiam reprobi plenam

1. « Πῶς καὶ γὰρ ὅλον αὐτὸν περιλαβέσθαι ἰσχύσουσιν, ἀπρόσιτον ὄντα παντάπασι καὶ ἀκατάληπτον; Ταύτῃ τοι καὶ διώκουσι μέν, οὐ καταλαμβάνουσι δέ, γνῶσιν ἀεὶ προσλαμβάνοντες ἐπὶ γνώσει καὶ ἐπὶ προκοπῇ προκοπήν. » Cap. X : *Utrum justi, post restitutionem quæ illic fiet, secundum scientiam et gloriam profecturi sunt, an non?* Tom. I, p. 129-135; locus citatus occurrit, p. 134-135.

2. *Oratio* II *de futuro judicio*, t. II p. 393 : « Ἀπέραντος αὔξησις ἔσται τῶν ἀγαθῶν τοῖς ἁγίοις. »

suorum delictorum retributionem tunc accepturi sunt, eorumque sors et pœnæ pro tota æternitate immutabiliter statuentur. Theologi græco-russi, quemadmodum et catholici, tum æternitatem tum inæqualitatem, pro demeritorum ratione, pœnarum inferni unanimiter docent, utramque iisdem fere argumentis e fontibus Revelationis necnon e ratione theologica haustis demonstrantes. Neque pœnarum hujusmodi vel mitigationem vel intensionem aliquam amplius admittunt [1]. In describendis autem tormentis infernalibus aliquatenus inter se differunt. Alii enim distinguunt inter pœnam damni et pœnam sensus, sicut et nostri [2]; alii inter pœnam damni seu Dei privationem, pœnas internas et pœnas externas [3]. Macarius sex tormentorum species enumerat, scilicet : 1º Longe a Deo ablegationem sub ejus maledictione; 2º Privationem omnium bonorum regni cælorum, quibus electi gaudebunt; 3º Locum horrendum, tenebrosum, quem Scriptura vocat abyssum, gehennam ignis, stagnum ignis ardentis, etc., et in quo sola dæmonum societate utentur; 4º Tormenta interna, scilicet tribulationem, angustiam, perpetuos conscientiæ stimulos, pænitudinem, etc.; 5º Tormenta externa, scilicet vermem non moriturum et ignem inextinguibilem; 6º Horum omnium suppliciorum quum internorum tum externorum sequelas, scilicet fletum, dentium

1. Hoc expresse docet Josephus Bryennius in *Oratione* II *De futuro judicio*, q. XXV et XXX, p. 391, 394 : Ipsa eorumdem tormentorum continuata perpessio nullum reprobis afferet refrigerium. Humanitas simul et justitia Dei quodcumque supplicii damnatorum incrementum vel diminutionem vetant; cum enim hoc supplicium duraturum sit in æternum, quodlibet ejus incrementum, vel minimum, in infinitum augeret omnium et singulorum tormentum; quælibet vero ejusdem diminutio per æternitatem continuata, omnem tandem doloris sensum aboleret : « Τοῖς δὲ ἁμαρτωλοῖς οὔτε αὔξησις ἔσται κολάσεως, οὔτε μείωσις· τὸ μὲν διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν, τὸ δὲ διὰ τὴν δικαιοκρισίαν αὐτοῦ. »

2. « Omnes damnati conveniunt *pœna damni*, qua visione Dei beatifica privati sunt; at differunt *pœna sensus*; siquidem majores cruciatus persentient qui gravius et sæpius peccarunt. » Lebedinskii *op. cit.*, p. 592. Cæterum Lebedinskii, supra, p. 586, tormenta damnatorum dividit in *privativa et positiva*, positiva vero rursus in *interna et externa*.

3. Cf. Antonium, p. 407-408; Ph. Gumilevskii, p. 316-318.

stridorem, desperationem, ruinam sempiternam [1]. Eadem fere habet Malinovskii, qui tamen vermem non moriturum interpretatur de cruciatibus internis, ad quos etiam refert fletum et stridorem dentium [2].

De natura ignis inferni non est una omnium sententia. Quidam enim docent hujusmodi ignem non esse nisi metaphoram, animi intimum cruciatum desideriique inexpleti incendium figurantem. Jam sanctus Joannes Damascenus de hac quæstione vel sententiam mutaverat, vel ambigue saltem locutus fuerat; siquidem in *Dialogo contra manichæos*, ignem inferni esse metaphoricum, sicut et ipsum vermem non moriturum, aperte declarat [3]. In *Homilia* autem *in Sabbatum Sanctum*, dicit hunc ignem esse tenebrosum, victimam comburentem quidem, sed non consumentem [4]. In opere vero *De fide orthodoxa*, de igne illo æterno sermonem faciens cui post ultimum judicium tradentur tum dæmones tum impii et peccatores, pronuntiat eum non esse *materialem ad instar ignis, qui apud nos est, sed talem, qualem Deus ipse noverit* [5].

In capite LXIX, Michael Glykas omnia damnatorum tormenta, quæ variis figuris in sacra Scriptura indicantur, ad unam Dei privationem revocat, omnem dolorem et pœnam et tormentum in peccatoribus gignentem :

« Quemadmodum, inquit, regnum cælorum justis præparatum, item mansiones multæ, throni et sedes, mensa, cibus et potus, insuper et illa bona, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, a Deo illis qui eum diligunt parata*, nihil aliud esse dicuntur, ut didicimus, nisi cum Domino conversari ejusque gloriam secundum uniuscujusque meritum contemplari — exinde enim [beati] ineffabilem illam exsultationem in anima accipiunt — ita etiam *gehenna ignis, tenebræ exteriores, vermis pervigil et dentium stridor nihil aliud sunt nisi ab illa beatitudine exsilium et ablegatio*, sicut sermo noster supra exposuit. Exinde enim intolerabilem illum in propria cons-

1. *Op. cit.*, p. 645-654.
2. *Op. cit.*, p. 543-546.
3. *Dialogus contra manichæos*, 36, 75, *P. G.*, t. XCIV, col. 1541, 1573.
4. *In Sab. Sanctum*, 35, *P. G.*, t. XCVI, col. 640.
5. *De fide orthodoxa*, l. IV, c. XXVII, *P. G.*, t. XCIV, col. 1228.

cientia experiuntur dolorem peccatores, præsertim cum sanctos vident lætantes... De his ergo amplius ambigere ne velis nisi, Patrum et doctorum nostrorum vestigiis inhærere dedignans, Evangelistas a Deo inspiratos secundum litteram tantum legere consultius duxeris. [1] »

Inter theologos recentiores multo communior est sententia tenens ignem infernalem esse realem et physicum. Huic favent præcipui compendiorum auctores : Antonius [2], Philaretus Gumilevskii [3], Macarius [4], Malinovskii [5], etc. Solus Andrutsus ignem figurate accipere videtur [6].

Igni æterno tradentur non solum homines reprobi sed etiam dæmones. Hæc est enim multorum Græco-Russorum sententia, non solum inter eos qui dilationem retributionis docent, sed etiam inter alios : scilicet pœnam ignis reprobis et dæmonibus non inflictum iri nisi post judicium universale [7]. Quomodo autem dæmones, qui corpus non habent, hanc pœnam pati valeant, pauci explicare tentant. Marcus Ephesius in concilio Florentino docuit dæmonibus, post lapsum, data fuisse corpora aerea vel ignea, quibus post

1. « Οὕτως ἡ γέεννα τοῦ πυρός, τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, ὁ ἀκοίμητός τε σκώληξ καὶ ὁ τῶν ὀδόντων βρυγμὸς οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἀλλ' ἢ τῆς μακαριότητος ἐκείνης ἔκπτωσις, ὡς ὁ λόγος ἄνω διείληφεν· ἐντεῦθεν γὰρ καὶ τὴν ἀφόρητον ἐκείνην ὀδύνην ἐν τῷ οἰκείῳ συνειδότι δέχονται οἱ ἁμαρτωλοί, καὶ μᾶλλον ἡνίκα τοὺς ἁγίους εὐφραινομένους ὁρῶσι. » Cap. LXIX, t. II, p. 228-229; Glykas, *ibid.*, p. 225, ad auctoritatem provocat Symeonis Novi Theologi, qui in *Libro I divinorum amorum* dicit peccatores in *infero aduri, sed* in conscientia, et exinde habere intolerabile tormentum.
2. *Op. cit.*, p. 409 : « Ex multiplicibus sacræ Scripturæ testimoniis manifestum est et extra controversiam remanet ignem gehennæ intelligendum esse non metaphorice, sed ad litteram. »
3. *Op. cit.*, p. 317-318.
4. *Op. cit.*, p. 653.
5. *Op. cit.*, p. 544-545.
6. Δογματική, p. 448. Dyovuniotis, Ἡ μέση κατάστασις τῶν ψυχῶν, p. 90, nota 1, metaphorice quidem accipit ignem, vermem, aliaque tormenta in Scriptura notata, sed pro tempore tantum quo animæ manent in *Hade*. Hades autem, secundum ipsum, a gehenna omnino differt. A gehenna ipsa, quæ post judicium universale aperietur, ignem realem excludere non videtur; cf. p. 70 ejus dissertationis.
7. Theologi qui huic sententiæ adhæsere, decursu dissertationis de tempore retributionis nominati sunt.

universale judicium, pœnam ignis et ipsi perpeti possint [1]. Hanc opinionem sancti Basilii auctoritate firmavit [2]. Docuit insuper fieri non posse, ut anima a corpore soluta a corporeo igne crucietur [3]; cui alii Græci, primùm saltem, assensi sunt [4].

Objectiones, quæ contra dogma de pœnarum inferni æternitate vulgo urgentur, nunc fusius, nunc brevius exponunt ac refellunt compendiorum auctores [5], quin aliquid novi proferant. Ex difficultatibus hujusmodi unam jam copiosa explicatione solverat Photius in *Quæstione* XIII *ad Amphilochium* [6].

1. Cf. *Orat*, I *de purgatorio*, 14. *P. O.*, *loc. cit.*, p. 59; *Orat.* II,23, p. 149
2. Cf. *P. O.*, *loc. cit.*, p. 149, nota *b*.
3. *Oratio* I, 14, p. 58; *Oratio* II, 23, p. 148.
4. *Responsio Græcorum ad positionem Latinorum*, 19., *ibid.*, p. 78.
5. Cf. S. Lebedinskii, p. 588-593; Ph. Gumilevskii, p. 321-323; Macarium, p. 660-662; Malinovskii, p. 550-553; Andrustum, p. 446-447.
6. Quæstio sic inscribitur : *Si in æterno supplicio versari multo deterius est quam omnino vita non uti — nihil enim pati multo melius est quam doloribus cruciatibusque divexari — cur Deus homines illos qui in peccatis vitam consumpturi erant, creavit, rem pejorem præ meliore eligens ?* Photius classicam dat responsionem, quam invenies in *P. G.*, t. CI, col. 125-130.

TRACTATUS DE ECCLESIA

DE ECCLESIA CHRISTI
SECUNDUM DOCTRINAM GRÆCO-RUSSORUM
NECNON
DE IPSA ECCLESIA GRÆCO-RUSSICA
EX RERUM VERITATE DESCRIPTA

PRÆNOTAMINA

I. — Hujus tractatus indoles.

Si methodo in exponenda theologia dogmatica Græco-Russorum hactenus servatæ etiam hic staremus, ad munus nostrum hoc tantum spectaret, ut eorumdem doctrinam et opiniones de Ecclesia recte ac sine partium studio referremus. Et hoc quidem, quantum vires suppetent, præstabimus, nec tamen ibi sistere satis ducimus. Lector enim, ut conjicimus, non solum quid Græco-Russi de Ecclesia doceant, scire desiderat, verum etiam quid sit ipsa Ecclesia græco-russica, quibusnam partibus constet, quis ejus verus temporum decursu fuerit et nunc sit status, exspectat ut dicamus. Revera theologorum dissidentium dicta de sua Ecclesia rerum veritati haud semper ex toto respondent. Apologetice namque de ea frequenter disserunt; unde non raro accidit, ut quædam minus decora silentio premant, alia ex parte tantum referant. Affirmationes speculativas cum factis, proposita cum rebus conferre necesse est, ut verum pateat. Ecclesia siquidem non est mera doctrina

speculativa; est etiam factum sociale, cœtus hominum visibilis quibusdam proprietatibus ac notis insignitus, cujus indoles, agendi ratio, intestina vita haud uno modo exterius manifestantur.

Hic ergo tractatus noster non erit tantum Græco-Russorum doctrinæ de Ecclesia expositivus, verum etiam genuinæ indolis Ecclesiæ græco-russicæ manifestativus; seu, si mavis, expositivus simul erit ac criticus; criticus, non polemicus; longe enim a nostro proposito est dictam Ecclesiam calamo polemico insectari, vel ejus defectus, tacendo bona ac laudabilia, detegere, carpere, plus æquo ampliare. Verum inquirere, verum sine fuco scribere : nihil aliud intendimus.

II. — Hujus tractatus historia apud Græco-Russos.

Sicut apud Catholicos, ita etiam apud Graeco-Russos tractatus de Ecclesia sero delineatus est. In suo percelebri doctrinæ christianæ compendio *De fide orthodoxa* inscripto, sanctus Joannes Damascenus ne unum quidem caput habet de Ecclesia. Duos tamen de hac materia fidei articulos, qui summi sane momenti maximæque utilitatis pro Byzantinis erant, in cæteris suis operibus sanctus doctor fortiter declarat : plenam videlicet Ecclesiæ independentiam erga potestatem civilem in rebus fidei, morum et cultus, et principatum Petri apostoli ejusque successoris Romani Pontificis [1]; quibus si Orientales perseveranter stetissent, haud adulteratam Ecclesiæ a Christo fundatæ notionem facile servassent schismatisque barathrum vitassent. At infeliciter his duobus articulis, quos totius tractatus de Ecclesia cardines jure dixeris, Byzantii adversabantur ea omnia turbida elementa discidio gravia, quæ tanquam schismatis byzantini remotas causas in tomo primo hujus operis descripsimus [2]. Principio independentiæ Ecclesiæ contraibat cæsaropapismus; primatum vero juris divini Romani Pontificis obscurabant et in discrimine ponebant tum laicale principium in canone

1. Cf. articulum nostrum : *Doctrine de saint Jean Damascène sur l'Eglise*, in *Échos d'Orient*, t. XXIII, 1924, p. 400-406.
2. Cf. t. I, p. 48-85.

28 Chalcedonensi expressum, quo principatui Romanæ Sedis origo mere humana si non re, specie saltem tribuebatur, suamque super cæteros Orientis thronos byzantinus præsul fundabat præcellentiam; tum illa de *pentarchia* theoria, quæ cum monarchico regimine ab ipso Christo Ecclesiæ dato directe pugnabat.

Horum principiorum schismate gravidorum primos fetus tum in Photio tum in Michaele Cærulario eorumque discipulis jam ostendimus [1]. Photius, ubi schismatice loquitur et agit, consequentias in 28 canone Chalcedonensi logice latentes palam exserit : translationem primatus de seniore Roma ad Juniorem edocet; ipsum Petri principatum impetit; doctrinæ de pentarchia haud semel suffragatur. Post ipsum vero, Romanæ Sedis prærogativa, faventibus circumstantiis, oculis Byzantinorum ita obscuratur, ut Petri successor nonnisi tanquam e patriarchis unus illis appareat; quod Petri Antiocheni, moderati animi viri nec Occidentalibus infensi, scriptis statuimus [2].

Post schisma consummatum, theologi byzantini nunquam aut raro de Ecclesia irenice disserunt; polemice vero Petri, ac præsertim Romani Pontificis primatum ex ipsis quidam identidem impugnant, Photii instar, cujus argumenta repetere plerumque satis habent. Hujusmodi impetibus locum præbent varia unionis cum Latinis tentamina, quæ per totam epocham byzantinam fere continua fuere. Principatui Romani Pontificis doctrinam de pentarchia polemistæ opponere solent. Quidam tamen, antiquæ traditionis non penitus obliti, non primatum Papæ proprie dictum, sed ejus infallibilitatem in docendo præcise negant. Alii cæsaropapismo aperte favent. Ita, v. g., Macarius Ancyranus, in suo perlongo tractatu contra Latinorum errores [3], ea jura ac privilegia quæ Romano Pontifici Catho-

1. *Ibid.*, p. 119-153, 279-285.
2. *Ibid.*, p. 280.
3. Πόνημα κατὰ τῆς τῶν Λατίνων κακοδοξίας, a Dositheo editum in Τόμῳ καταλλαγῆς, Iasii, 1692, p. 1-205. Macarius aliquam theoriam de concilio œcumenico jam adumbrat, quæ in theologos posteriores haud parvum influxum habuit. De hoc auctore vide articulum L. Petit, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IX[b], col. 1441-1443.

lici agnoscunt ad concilium œcumenicum quod attinet, imperatori byzantino vindicat.

Ad præcipuas Ecclesiæ proprietates attendere easque tueri Græco-Russos, sicut et Catholicos, compulerunt Protestantium errores. Jam Jeremias II, in *I Responso ad Tubingenses*, ecclesiasticæ hierarchiæ existentiam malorumque in Ecclesia cum bonis admixtionem contra Reformatos diserte docet [1]. Sæculo autem XVII, Cyrillus Lucaris, Calvinistarum discipulus, in sua *Confessione fidei*, negat Ecclesiæ absolutam infallibilitatem in docendo (c. II), episcopatus divinam originem præcellentemque auctoritatem (c. X), peccatores et non prædestinatos Ecclesiæ catholicæ membra esse (c. XI), Spiritum Sanctum Ecclesiam docere absque ulla erroris admistione per Patres ac doctores, id est per collegium episcoporum (c. XII). Hos errores probe confutarunt plures synodi et docti theologi, inter quos eminent Meletius Syrigus, Dositheus Hierosolymitanus, Stephanus Iavorskii.

Eodem tempore, Græco-Russi theologiam dogmaticam scholastica ac methodica ratione tradere jam incipiunt. In eorum catechismis ac compendiis, tractatus de Ecclesia suum habet locum; ad præcipuas autem ac generales quæstiones plerumque restringitur. Unum tantum caput fusius quandoque tractatur, et quidem polemico calamo, illud scilicet quod est de primatu ac infallibilitate Romani Pontificis. Innumera sunt quæ inde a sæculo XVI ad nostrum ævum conscripta fuere opera vel opuscula polemica contra Papæ principatum, sive separatim, sive intra tractatus generales de novitatibus latinis inscriptos. Ex his operibus polemicis tum parvis tum molis grandioris præcipua indicabuntur, ubi de primatu Papæ secundum dissidentium doctrinam.

Sæculo XVIII, apud Russos, numerosa quidem fuere, ut in tomo I notavimus, theologiæ dogmaticæ compendia ad mentem Theophanis Procopovitch concinnata; verum, quæ hujusmodi scripta de Ecclesia exhibent, admodum

1. Cf. Gedeon Cyprius, Κριτὴς τῆς ἀληθείας, t. I, Lipsiæ, 1758, p. 42-48, 75-80.

manca sunt ac jejuna; quod sane spiritui protestantico theologiam russicam tum pervadenti tribuere inconsultum non fuerit. Ipse Procopovitch nullum specialem tractatum de Ecclesia reliquit. Samuel Mislavskii vero, ejus *Theologiæ christianæ* editor ac suppletor, quædam de hac materia tractatui de justificatione ad mentem magistri annexuit. Ecclesia ibi consideratur tanquam prædestinationis subjectum, et quidem in suo quadruplici statu : ante legem, sub lege, sub gratiæ regimine et in regno gloriæ [1].

In compendiis russicis post reformationem Protasovi editis, tractatus de Ecclesia post tractatum de gratia et ante sacramenta generatim venit [2]. Quidam autem post tractatum de sacramentis et ante tractatum de novissimis illum ponunt [3]. Macarius Bulgakov vero, in suo longiori cursu theologiæ orthodoxæ, duobus in locis de Ecclesia disserit : primum quidem in sua *Introductione ad theologiam orthodoxam* Ecclesiam qua custodem atque interpretem infallibilem sacræ Scripturæ et Traditionis considerat criteriaque subjicit ad veram Ecclesiam dignoscendam [4]; deinde, in cursu *Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ* post soteriologiam et ante tractatum de gratia, de origine, extensione, fine, constitutione, essentia ac proprietatibus essentialibus Ecclesiæ agit [5]. De Ecclesia item tractant, præsertim sub aspectu apologetico vel polemico, tum compendia quædam theologiæ fundamentalis vel introductiones in theologiam orthodoxam [6], tum enchiridia theologiæ

1. Sylvester Lebedinskii, *Compendium theologiæ classicum*, ed. 2 Mosquæ, 1805, de Ecclesia vix aliquid habet in fine, *Aphorismi theologici*, p. XXII-XXIII, ante sacramenta; Theophylactus Gorskii, *op. cit.*, p. 269-276, de ea pauca tradit.

2. Ita Macarius Bulgakov, in *Enchiridio theologiæ orthodoxæ;* Antonius Amphiteatrov, *op. cit.;* Malinovskii tum in longiori tum in breviori cursu; Sylvester Malevanskii, *op. cit.*, t. IV, Kioviæ, 1889, p. 224-319; ita etiam apud Græcos Andrutsus in sua *Dogmatica.*

3. Ita Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*; inter Græcos, Mesoloras, Συμβολική, t. II², de Ecclesia etiam dicit ante tractatum de novissimis, sed post tractatum de gratia.

4. Ed. quinta russica, Petropoli, 1884, p. 363-420.

5. Ed. quarta russica, Petropoli, 1883, t. II, p. 187-247.

6. Cf., v. g., Augustinum archimandritam, *Enchiridion theologiæ fundamentalis*, ed. 3, Mosquæ, 1894; N. P. Rogdestvenskii, *Apologetica*

polemicæ contra Confessiones occidentales vel contra rascolnikos [1].

Tractatus speciales de Ecclesia præter compendia classica rari sunt apud Russos, nulli apud Græcos [2]. Præclarus Slavophilorum dux, Al. St. Khomiakov, famam haud parvam in provincia theologiæ inter suos gentiles sibi comparavit in scribendis quibusdam dissertationibus polemicis contra romanismum (= catholicismum) et protestantismum[3], ubi peculiarem de Ecclesia sibi effingit notionem, hæresim omni ex parte redolentem, testante ipsa Ecclesia russica [4]. Ejus tamen influxus in theologos dissidentes nostri temporis maximus deprehenditur. Plerique qui sive de Ecclesia in genere, sive de Ecclesia catholica in specie in Russia his ultimis annis scripsere ejus spiritu erroribusque imbuti manifesto apparent, ut ex infra dicendis patebit [5].

christiana. Cursus theologiæ fundamentalis, 2 vol., ed. 2, Petropoli, 1893; Iv. Piatnitskii, *Introductio in theologiam orthodoxam*, Stavropoli, 1893.

1. De præcipuis compendiis hujusmodi cf. quæ dicta sunt in t. I hujus operis, p. 618-628.

2. Edidit quidem archimandrita (postea metropolita) græcus Chrysostomus opus inscriptum, Περὶ Ἐκκλησίας, 2 vol., Athenis, 1896; verum ibi non invenies systematicam atque irenicam expositionem doctrinæ Græco-Russorum de Ecclesia, sed aliquam speciem *Symbolicæ* (in sensu Græcorum recentiorum), in qua referuntur ac polemice confutantur differentiæ dogmaticæ inter varias Ecclesias hodie vigentes. Tota secunda pars nihil aliud est quam ipsa *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ.

3. Hujusmodi dissertationes in unum collectas gallice reperies in opere inscripto, *L'Église latine et le protestantisme au point de vue de l'Église d'Orient*, Lausonii, 1872, tum russice in tomo II omnium operum auctoris (*Polnoe sobranie sotchinenii*), Mosquæ, ed. 4, 1900, ubi insuper occurrit quoddam *Specimen expositionis catecheticæ doctrinæ de Ecclesia*, 23 p.

4. Opera theologica Khomiakovi censura russica quominus per Russiam evulgarentur diu vetuit. Anno tandem 1879, licentia illa edendi concessa est, ea tamen conditione ut in prooemio de parum orthodoxo sentiendi vel loquendi modo hujus novi theologi lectores monerentur.

5. Inter recentes monographias de Ecclesia a Russis conscriptas notandæ sunt : 1° dissertationes duæ E. Akvinolovi, quarum una inscribitur : *Ecclesia. Scientificæ definitiones Ecclesiæ et apostolica doctrina de ea quatenus est corpus Christi*, Petropoli, 1894; altera vero : *Doctrina*

Græci recentiores quædam de Ecclesia tradunt in suis *Symbolicis*, ubi dogmaticas differentias inter christianos cœtus existentes exponunt ac perpendunt [1].

Haud pauca etiam scitu utilia de antiqua Ecclesia byzantina vel de constitutione ac præsenti statu cujusque Ecclesiæ autocephalæ invenies apud canonistas, præsertim vero apud Russos Suvorov et Pavlov [2], apud Serbum Nic. Milasch [3], cujus opus canonicum ubique fere vulgatur, apud Græcum Eutaxiam [4].

Quidam theologi catholici de doctrina Græco-Russorum circa Ecclesiam aliqua nuper tradiderunt, inter quos nominandi veniunt : 1° A. Palmieri, in tomo II *Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ*, Florentiæ, 1913, c. III; 2° F. Grivec, *Doctrina byzantina de primatu et unitate Ecclesiæ*, Liublianæ, 1921 [5]; 3° Th. Spacil, *Conceptus et doctrina de Ecclesia juxta theologiam Orientis separati*, Romæ, 1923-1924 (*Orientalia christiana*, fasc. 3 et 8) [6].

Novi Testamenti de Ecclesia. Tentamen dogmatico-exegeticæ inquisitionis, Petropoli, 1904; 2° V. Troitskii, *Adumbratio historiæ dogmatis de Ecclesia*, Serghief-Possad, 1913; 3° A. Svietlakov, *Expositio doctrinæ Ecclesiæ orthodoxæ de Ecclesia*, Nijni-Novogrodii, 1878; 4° P. J. Svietlov, *Ubinam est Ecclesia universalis? De quæstione unionis Ecclesiarum necnon de doctrina circa Ecclesiam*, Serghief-Possad, 1905. Idem auctor non pauca magni momenti de Ecclesia scribit in tomo I suæ *Doctrinæ fidei christianæ apologetice exposita* (*Khristianskoe Vieroutchenie*), ed. 3, Kioviæ, 1910, p. 180-248. De doctrina Philareti Drozdov, cf. I. Korsunskii, *Determinatio conceptus de Ecclesia in scriptis Philareti, metropolitæ Mosquensis*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1895, t. II, p. 47-90. Multi articuli de quæstionibus ad præsens tractatum spectantibus occurrunt in commentariis theologicis academiarum ecclesiasticarum Russiæ, ex quibus aliqui loco opportuno indicabuntur.

1. Lectori bene notæ sunt *Symbolicæ* Mesoloræ et Andrutsi, quas sæpe jam laudavimus. Jejuna quædam habet etiam N. Ambrazis, Ἡ Ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ἐν σχέσει πρὸς ὅλας τὰς χριστιανικὰς Ἐκκλησίας ἐξεταζομένη, Athenis, 1902; cf. etiam opus Nicolai Damalæ, Περὶ ἀρχῶν, Lipsiæ, 1865, p. 85-198.

2. Cf. t. I, hujus operis, p. 618.

3. *Ibid.*, p. 636.

4. Cursus canonicus Eutaxiæ prelo non est mandatus. Exemplo manuscripto usi sumus.

5. Idem auctor de doctrina Græco-Russorum quædam etiam tradit in suo tractatu de Ecclesia slovenice scriptum, *Cerkev*, Liublianæ, 1924.

6. Cf. etiam opus M. d'Herbigny, *Theologica de Ecclesia*, ed. 3, 2 vol.,

III. — Quære hic tractatus ultimus ponatur.

Hunc tractatum ad calcem expositionis theologiæ Græco-Russorum ideo remisimus, quod ad genuinam Ecclesiæ græco-russicæ indolem verumque statum probe dignoscendum haud parum confert totius theologiæ dogmaticæ ac polemicæ hujus Ecclesiæ prævia cognitio. Nihil enim theologi græco-russi antiquius habent quam ut Ecclesiæ suæ perpetuam in docendis fidei veritatibus immutabilitatem atque infallibilitatem etiam atque etiam jactent omniumque auribus ventilent, dum e contra Ecclesiam catholicam de gravibus in deposito revelato mutationibus, et quod nova semper, antiquitati christianæ prorsus inaudita, dogmata condat, indesinenter insimulant. Jam vero ea quæ de Græco-Russorum in rebus ad fidem pertinentibus perpetuis variationibus in præcedentibus tractatibus retulimus, quid de infallibili Ecclesiæ græco-russicæ magisterio revera sit sentiendum satis superque nos admonent. Quæ vero hic, ad doctrinam de Ecclesia quod attinet, subjecturi sumus, eorum quæ dicta sunt obviam conclusionem nova luce illustrabunt novisque argumentis confirmabunt.

IV. — Tractatus divisio.

Ut propositum supra delineatum ordine exsequamur, tractatui novem capita damus, videlicet :

Caput I : De Ecclesiæ græco-russicæ hodierno statu ac regimine;

Caput II : De Ecclesiæ generica notione ac variis definitionibus apud Græco-Russos;

Caput III : De Ecclesiæ membris seu de extensione Ecclesiæ universæ necnon de necessitate Ecclesiae ad salutem consequendam secundum eosdem;

Parisiis, 1927-1928, ubi ad præcipuas theses sententiæ dissidentium breviter memorantur. Utiles indicationes bibliographicas invenies apud auctores farraginosæ compilationis inscriptæ : *Synopsis status quæstionum de quibus inter catholicam et orthodoxam Ecclesiam disputatur*, in *Actorum Academiæ Velehradensis* t. x, p. 265-379.

Caput IV : De primatu Petri apostoli et Romani Pontificis in Ecclesia græco-russica post schisma perfectum;

Caput V : De primatu Constantinopolitanæ Sedis aliarumque sedium Orientis a Græco-Russis temporum decursu propugnato;

Caput VI : De aliis regiminis ecclesiastici formis præter primatum et hodiernum autocephalismum ab eisdem pro temporum varietate edoctis;

Caput VII : De Ecclesiæ infallibili magisterio secundum doctrinam Græco-Russorum;

Caput VIII : De Ecclesiæ proprietatibus ac notis secundum eosdem;

Caput IX : De Ecclesiæ ac potestatis civilis mutua habitudine ac societate ex Græco-Russorum doctrina necnon ex historia Ecclesiæ græco-russicæ.

Generalem conclusionem ex expositione totius theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum manantem in fine subjiciemus.

CAPUT PRIMUM

DE ECCLESIÆ GRÆCO-RUSSICÆ HODIERNO STATU AC REGIMINE

Prænotamina.

Veram Ecclesiæ græco-russicæ effigiem, prout nunc est, depingere haud ita facile. Ecclesia enim ista, quæ paucis abhinc annis in suis usibus ac vetustis traditionibus firma et prorsus immutabilis communiter habebatur, post recens bellum intestinas perpessa est mutationes improvisasque perturbationes adeo graves, ut ejus status ex toto fere versus esse videatur. Immobilis Oriens a fundamentis subito commotus est, eaque pars Orientis dissidentis, quæ tum fidelium numero, tum opum abundantia tum scientiæ claritate cæteris longe præcellebat, Ecclesiam dico russici imperii, vix nunc recognosci potest ex tot tantisque novis rebus, confusionibus, domesticis dissensionibus quibus obnoxia fuit, quæ nec plene adhuc nobis innotuerunt, vel etiam omnino ignorantur. Atqui omnia fere quæ de Autocephaliis græco-russicis sive ab ipsis dissidentibus, sive a doctis viris Occidentis hactenus scripta sunt, res prout ante bellum exstabant, tibi exhibent[1]; de præsenti vero statu pauca adhuc, vel nulla, vel falsis admixta repeantur.

Harum Ecclesiarum brevem conspectum, quem hic tradere in proposito est — non enim cujusque Autocephaliæ descriptionem per singula dare intendimus —, e fontibus quos

1. De interno statu, constitutione, ecclesiastica ordinatione cujusque autocephaliæ ritus byzantini, prout ante bellum erant, vide primam editionem compendii R. Janin, *Les Églises orientales et les rites orientaux*, Parisiis, 1922, in qua ad calcem capitum notata invenies præcipua scripta de Ecclesiis orientalibus. In secunda editione ejusdem operis, Parisiis, 1926, quædam jam de recentibus mutationibus in Ecclesiarum hujusmodi constitutionem introductis brevi indicantur.

invenire facultas fuit, auctoritate gravioribus hausimus. Duo autem potissimum præstabimus. Primum quidem diversas Ecclesias autocephalas vel autonomas, quæ nunc exstant, quarumque glomeratio Ecclesiam græco-russicam sic dictam constituunt, ordine recensebimus, de uniuscujusque hodierna extensione, hierarchica dispositione, intestino statu brevia subjicientes. Deinde communem regiminis ecclesiastici formam, quæ recentiori præsertim tempore apud eas invaluit, summatim ac per capita, differentiis minoris momenti neglectis, describemus. Huic autem duplici disquisitioni articulum de diversis appellationibus seu nominibus, quibus Ecclesia græco-russica designari solet, præmittere utile ducimus. Unde hujus primi capitis tres erunt articuli :

1° De diversis appellationibus, quibus Ecclesia græco-russica designari solet;

2° De diversis Ecclesiis autocephalis earumque præsenti statu ;

3° De communi forma regiminis ecclesiastici apud Græco-Russos hodie vigenti, seu de autocephalismo synodali.

ARTICULUS I

De diversis appellationibus, quibus Ecclesia græco-russica designari solet [1].

Appellationes hujusmodi duplicis sunt generis : quasdam enim Ecclesia græco-russica ipsa sibi sumit ac vindicat; alias vero ab extraneis ei tribuuntur. De utrisque pauca dicamus.

I. — Appellationes primi generis.

Non uno sed pluribus nominibus Græco-Russi suam Ecclesiam appellant ; vocant enim illam *Ecclesiam*

1. De appellationibus istis egimus in commentario *Bessarione*, t. XXXVIII, 1923, p. 179-199; cf. J. de Maistre, *Du pape*, l. IV, c. I, IV, V; ejusdem, *Lettre à une dame russe sur le changement de religion.*

orthodoxam, Ecclesiam orientalem, vel simul *Ecclesiam orientalem-orthodoxam, Ecclesiam septem conciliorum.* His appellationibus appositum *catholica* haud raro subjungitur, sed quasi per accidens.

Ecclesia orthodoxa : en denominatio multo frequentius usurpata, quam ut propriam sibi vindicat Ecclesia græco-russica et de qua maxime gloriatur; quam tamen omnino impropriam esse duo potissimum arguunt :

Primum quidem hujusmodi nuncupatio ad discriminandam Ecclesiam græco-russicam ab aliis cœtibus seu sectis christianis minus est idonea. Omnes enim christiani cœtus ab invicem separati orthodoxiam tanquam proprium patrimonium repetunt. Orthodoxos seipsos vocant Nestoriani; seipsos item Monophysitæ omnes; neque heterodoxos se esse putant Catholici. Ut lepide quidam dixit, ὀρθοδοξία est ἡ δόξα ἡ ἐμή.

Præterea, græco-russi theologi in decernendis doctrinis quæ Ecclesiæ eorum ita essent propriæ, ut epithetum *orthodoxa* illi exclusive mererent, inter se minime conveniunt. *Orthodoxia*, prout doctrinas illis omnibus communes complectitur, ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum necnon ad dogmaticas definitiones septem priorum conciliorum œcumenicorum fere reducitur; ex illis enim theologis non pauci nihil præter hoc minimum ad dogma stricte dictum pertinere autumant. Atqui si *Orthodoxia* hoc sensu accipiatur, *Ecclesia orthodoxa* ab Ecclesia catholica, quæ hoc minimum totum etiam retinet, *positive* vix distinguetur [1]. Verum, Græco-Russorum plerique *Orthodoxiæ* sic intellectæ sententias alii alias doctrinæ Ecclesiæ catholicæ oppositas adnectunt, de quibus notandum est : 1º) eas etiam ab aliis

1. Dico : *positive*, quia *negative*, id est quatenus theologi græco-russi de quibus loquimur, omne aliud dogma præter symbolum et septem conciliorum definitiones respuunt, ab Ecclesia catholica, quæ alias definitiones ac dogmata admittit, græco-russica Ecclesia segregata remanebit. Dico : *vix distinguetur*, quia Orthodoxus aliquis orientalis tibi dicet additionem voculæ *Filioque* ad symbolum Constantinopolitanum genuinam *Orthodoxiam* infringere; cui respondere poteris Ecclesiam catholicam Nicænum-Constantinopolitanum etiam absque addito, prout scriptum est, admittere, quibusdamque Catholicis orientalibus unitis illud absque τὸ *Filioque* decantare fas esse.

sectis christianis propugnari; unde ex hoc capite Ecclesia græco-russica ab aliis cœtibus separatis non secerneretur nec singulariter *orthodoxa* appareret [1]; 2º) dissidentes theologos in enumerandis ac explicandis hujusmodi sententiis dogmati catholico adversantibus inter se multum discrepare; immo, ut ex hac tota expositione nostra theologiæ græco-russicæ luce clarius patet, vix unum caput controversum reperies, si Romani Pontificis infallibilitatem excipias, de quo temporum decursu non catholice senserint Græco-Russi sat multi.

Ex his liquido constat Græco-Russorum *Orthodoxiam* esse quid nimis vagum, incertum, fluitans; quod candide fatentur aliqui. Nuper siquidem Russus Molojskii scribebat : « Apud nos, non una sed plures exstant *Orthodoxiæ*. Græca orthodoxia a russica differt; hæc iterum varia est. Quæ enim in antiqua Russia vigebat non eadem censenda ac illa, quæ Petri Magni ætate invecta est... Tot sunt *Orthodoxiæ*, quot *orbis orthodoxi* clarioris notæ theologi [2]. »

Item presbyter M. Celzov epithetum ὀρθόδοξον inanem ducit vocem; quippe quæ nihil certi præ se ferat discrepantibusque significationibus latissime pateat [3].

Archipresbyter P. J. Svietlov *Orthodoxiam authenticam*, eam scilicet quæ in theologiæ dogmaticæ compendiis in academiarum ac seminariorum Russiæ usum redactis nuper tradebatur, diro carpit calamo; quam theologiam *privilegiatam* vocitat ac *falsam Orthodoxiam*, meras opiniones theologicas cum dogmate miscentem [4].

Suvorov vero, de diversis ac inter se pugnantibus sententiis loquens, quæ de mutua inter Ecclesiam et Statum societate apud russos theologos occurrunt, hoc tandem profert judicium : « Id quod *Orthodoxia* apud nos audit non est plane perspicuum nec liquidum [5]. »

1. Criminationes fere omnes, quas contra Catholicos Græco-Russi proferre solent, recenti tempore suas fecerunt cæteri Orientales separati.
2. In commentario *Viek* (*Sæculum*), t. xxv, 1907, col. 389-392.
3. In commentario *Tserkovno-obchtchesvennaia gizn* (*Ecclesiastico-socialis Vita*), t. x, col. 292, Kazani, 1907.
4. *Khristianskoe Vieroutchenie*, ed. 3, Kioviæ, 1910, p. 258-293, et etiam in prooemio.
5. *Juris ecclesiastici enchiridion*, ed. 4, Mosquæ, 1912, p. 212.

E contra, archipresbyter Alexander Lebedev, in suo polemico opere *De principatu Papæ*, appositum *orthodoxa* Ecclesiæ græco-russicæ tributum convenientissimum habet « Hac appellatione, inquit, ipsa universalis Ecclesiæ essentia declaratur, recta fides scilicet (*pravovierie*) seu veritatis revelatæ in primigeniæ revelationis integritate indubitata conservatio [1]. » Verum animadvertitne Lebedev de hoc maxime disceptari, num græco-russica Ecclesia depositum revelatum in ejus genuina sinceritate olim de facto servaverit, et nunc etiam retineat?

Quod supra nobis dixit Molojskii, tot scilicet orthodoxias esse quot exstant alicujus notæ theologi, omnino verum comprobatur. Nihil enim solemnius habent theologi græco-russi quam ut suas proprias opiniones proponant tanquam Ecclesiæ « orthodoxæ » doctrinam indubitatam; quod eorum scripta evolvendo sæpe experti sumus. Unde fit, ut secundum varios theologos variet ipsa « Orthodoxia » [2].

Aliud nomen a Græco-Russis Ecclesiæ suæ communiter etiam præfixum, quod appellationi *Ecclesia occidentalis*, id est *Ecclesia catholica*, opponunt, est : *Ecclesia orientalis*. Hujus nuncupationis significationem Philaretus Drozdov in suo *Catechismo majori* his verbis declarat :

« In paradiso in Oriente plantato, protoplastorum adhuc innocentium prima Ecclesia constituta fuit. Hic etiam, lapsis illis per Salvatoris promissionem novum fundamentum Ecclesiæ salvatorum positum est. In Oriente, in terra Judaeæ scilicet, Jesus Christus Dominus noster, salutis nostræ perfecto opere, Ecclesiæ suæ christianæ proprie dictæ principium statuit; quæ exinde per universum orbem propagata est; et usque ad hodiernam diem fides orthodoxa-catholica-universalis, a septem conciliis œcumenicis confirmata, apud antiquas Orientis Ecclesias necnon apud Ecclesias Orientalibus unitas, inter quas, favente Deo,

1. *De principatu Papæ* (*O glavenstvie papy*), Petropoli, 1903, p. 241. De hoc opere in præsenti tractatu frequens mentio erit.

2. « Orthodoxia », prout doctrinæ catholicæ opponitur, bene definiri posset : « Complexus opinionum plus minusve inter se discrepantium, quas inde a peracto schismate theologi dissidentes et Ecclesiæ græco-russicæ fallibiles auctoritates contra Catholicos propugnarunt. »

eminet omnium Russiarum Ecclesia, in sua primæva integritate immutabiliter servatur [1]. »

Nemo sane non videt Philareti rationes non probare Ecclesiæ orientalis nomen græco-russicæ Ecclesiæ unice convenire; siquidem propter duas primas rationes quævis secta christiana hunc titulum sibi jure vindicare possit. Ecclesiæ enim omnes a primæva protoplastorum Ecclesia originem repetunt. Omnes item illius Ecclesiæ cujus Christus, dum in terris degeret, fundamenta in Oriente jecit, legitimas se jactant hæredes. Ad tertiam vero rationem quod attinet, Ecclesiæ catholicæ titulum *Orientalis* quis jure denegabit? Contendit enim et ipsa integram servare fidem a septem conciliis œcumenicis confirmatam. Quod si Græco-Russi objiciant Catholicos symbolum Nicæno-constantinopolitanum per additionem vocis « Filioque » depravasse, illis respondere licet symbolum processionem Spiritus Sancti a Patre simpliciter affirmare, quin de relatione Spiritus Sancti ad Filium aliquid decernat; de qua relatione septem concilia œcumenica, fatentibus ipsis dissidentibus, nihil expresse definierunt. Cæterum Catholici, sub hac ratione, ecclesiæ græco-russicæ titulum *Orientalis* merito abnuere possent, cum in septem conciliorum œcumenicorum Actis primatus jurisdictionis et ipsa Romani Pontificis infallibilitas, quæ a Græco-Russis communiter hodie rejiciuntur, frequens atque expressa mentio occurrat.

Propter duplicem rationem a Philareto tacitam Ecclesia græco-russica nomen Ecclesiæ orientalis aliquatenus meretur : primo quidem, quod in Oriente ut cœtus ab Ecclesia catholica segregatus initio constituta est; secundo, quod intra limites veterum patriarchatuum Orientis fideles haud paucos hactenus retinet. Animadvertas tamen velim hanc ultimam rationem infirmiorem esse. Etenim in orientalibus patriarchiis, multæ aliæ sectæ christianæ asseclas hodie possident; ibi namque (præter rituum orientalium Catholicos, ut Armenos, Syros, Coptos, Chaldæos, Melkitas, Græcos) nestorianæ et monophysiticæ Ecclesiæ inveniun-

1. *Catechismus major*, I, p. ad art. 9 Symboli.

tur; quibus omnibus Ecclesiæ orientalis appellatio congruit, non solum quia de facto in Oriente hodie exstant, verum etiam quia ibidem primum constitutæ sunt; immo ad has Ecclesias potiori jure quam ad Ecclesiam græco-russicam titulus Ecclesiæ orientalis pertinebit, quandoquidem hujusmodi cœtus fideles suos fere omnes in Oriente habent; pars vero Ecclesiæ græco-russicæ multo major in iis regionibus, quæ orientales vulgo audiunt, non habitant.

Cæterum, notandum est hanc denominationem præteriti jamdudum elapsi quoddam esse vestigium. Quamdiu enim romanum imperium, ad fidem christianam jam conversum, in duas partes divisum remansit, unius catholicæ Ecclesiæ partitio territorialis ab ipsa imperii divisione nomen accipiebat; unde tunc vulgo dicebant : « Ecclesia occidentalis, Ecclesia orientalis », quemadmodum et de utroque imperio, orientali et occidentali, loquebantur. Nunc vero, terrestri imperio everso jamque perfecto schismate, appellationes hujusmodi rerum veritati non respondent amplius. Olim siquidem hoc nomen : *Ecclesia orientalis* unius Ecclesiæ catholicæ indivisæ mediam fere partem designabat; nostris vero diebus, multas Ecclesias particulares in Oriente videmus, ex quibus aliæ unitatis catholicæ centro conjunguntur, Ecclesiæque orientales unitæ seu catholicæ audiunt; aliæ autem a catholica Ecclesia separatæ manent communique vocabulo Ecclesiarum orientalium dissidentium jure nuncupantur; inter quas Ecclesiam graeco-russicam invenimus.

Porro suspicari licet Græco-Russos suam Ecclesiam hoc nomine *Ecclesiæ orientalis* vocitare ideo non desistere, quod illam semper habere velint quod antea revera erat, mediam scilicet catholicitatis partem. Istud autem postulatum nullo pacto ratum habet Ecclesia catholica Romana, cui sane *Ecclesiæ occidentalis* appellatio non sufficit, catholica cum sit, in omnibus orbis regionibus multos fideles habens et non magis occidentalis dicenda quam orientalis aut meridionalis, vel etiam septentrionalis. Eodem fere jure Ecclesia catholica a Græco-Russis vocatur *Ecclesia occidentalis*, qua Ecclesia Janseniana Ultrajectina *Ecclesiæ meridionalis* vocabulo eamdem nuncuparet, dum ipsa *Ecclesia septentrionalis* nomen sibi retineret [1].

Sæpissime utroque apposito : *orthodoxa* scilicet et *orientalis*, Ecclesia græco-russica a suis designatur. Hanc compositam appellationem iisdem laborare incommodis quibus utrumque appositum seorsum sumptum dicere supervacuum; omnes enim aliæ Ecclesiæ orientales orthodoxas etiam se jactant, et meliori quam illa titulo, saltem prout nunc existit, orientales nuncupandæ.

Demum suam Ecclesiam Græco-Russi quidam, non omnes, quandoque nominant *Ecclesiam septem conciliorum*. Hæc nova appellatio vel in sensu positivo et simpliciter affirmativo, vel in sensu negativo et exclusivo intelligi potest. In primo casu, Ecclesia septem conciliorum ea est quæ definitiones septem priorum conciliorum œcumenicorum admittit, quin alia concilia œcumenica rejiciat; in altero vero, septem conciliorum Ecclesia ea est, quæ septem *tantum* priora concilia recipit. Patet hoc altero sensu Ecclesiam græco-russicam nomen Ecclesiæ septem conciliorum sibi sumere, quia Ecclesia catholica septem priora concilia positive agnoscit, ita ut sensu simpliciter affirmativo dici possit etiam Ecclesia septem conciliorum. Utrum autem vocabulum *Ecclesia septem conciliorum*, etiam sensu negativo acceptum, Ecclesiæ græco-russicæ revera conveniat, jure quis infitias ibit, cum ex una quidem parte, septem conciliis octavum semper addat, Trullanum scilicet, quod cum quinta, vel cum sexta synodo œcumenica, vel cum utraque simul Græco-Russi immerito confundunt; ex alia vero, de septem conciliorum doctrina prout in eorum Actis exprimitur, aliquid magni momenti detrahat, primatum videlicet juris divini Romanæ Sedis, ex synodicis documentis perspicue elucentem, et tamen a Græco-Russis hodie communiter negatum. Quamquam enim suprema potestas jurisdictionis Romani Pontificis in Ecclesiam universam expressis verbis a septem conciliis non fuit definita, haud semel tamen

1. Ita anonymus quidam in opusculo inscripto : *La question religieuse en Orient*, Parisiis, 1854, p. 59 (excerptum e commentario *La Civilta cattolica*, 1854, t. I, gallice versum).

tum dictis, tum scriptis, tum Patrum agendi modo indubitanter asserta est. Cæterum hujusmodi titulum Ecclesiæ græco-russicæ aliunde etiam denegare poteris, quatenus scilicet de certo conciliorum œcumenicorum numero inter Græco-Russos nondum constat, ut alibi statuimus [1].

II. Appellationes alterius generis.

Qui ad Ecclesiam græco-russicam non pertinent iis appellationibus, quas ut proprias sibi vindicat, eam haud raro nuncupant; plerumque tamen aliis denominationibus utuntur, ex quibus frequentiores haec sunt : *Ecclesia schismatica, Ecclesia schismatica orientalis*, vel *Ecclesia dissidens orientalis, Ecclesia græca, Ecclesia byzantina, Ecclesia photiana, Ecclesia græco-slavica, Ecclesia græco-russica, Ecclesiae autocephalae.*

Catholici Ecclesiam græco-russicam vocare consuerunt *Ecclesiam schismaticam* antonomastice, vel *schismaticam orientalem*, vel *dissidentem orientalem.* Hujus appellationis rationem tomi I initio dedimus, ubi etiam diximus consultius esse uti apposito *dissidens* quam apposito *schismatica.*

Appellatio *Ecclesia schismatica orientalis*, vel *dissidens orientalis*, in tantum deficit in quantum peccat ipsum appositum *orientalis.* Etenim Ecclesia græco-russica ex parte tantum est orientalis; insuper, non est sola Ecclesia cui congruat epithetum *schismatica* vel dissidens.

Nomen *Ecclesia græca* manifesto improprium est : « Ni fallor, ait J. de Maistre, Græcia invenitur in Græcia » [2]. Atqui ex Ecclesiæ græco-russicæ fidelibus pauci tantum regionem, quæ Græcia audit, incolunt. Verum quidem est, separationis initio, Ecclesiam græco-russicam natione et lingua græcam potissimum exstitisse; nostris autem diebus, tum gente tum dialecto majori ex parte slavica est. Quod vero de titulo *Ecclesia orientalis* supra diximus, hoc etiam de vocabulo *Ecclesia græca* verum est. Utraque appellatio

1. Cf. t. I hujus operis, p. 663-666, et commentarium *Échos d'Orient*, t. XVIII, 1919, p. 305-320.
2. *Du pape*, l. IV, c. v.

præteritum jam antiquatum revocat; siquidem *Ecclesia græca latinæ Ecclesiæ* opponitur, alluditque ad linguæ græcæ usum in officiis liturgicis. Primitus enim, scilicet ante utriusque Ecclesiæ separationem et Slavorum conversionem, duæ linguæ in catholico orbe potissimum usurpabantur, latina nempe et græca. Occidens latine, Oriens græce loquebatur; exinde denominationes : *Ecclesia latina, Ecclesia græca*, quæ unius catholicæ Ecclesiæ quasi germanæ medietates erant. Nunc vero hujusmodi nuncupationes veritati rerum non amplius consonant, neque ex parte Ecclesiæ catholicæ, quæ non latine tantum loquitur, sed etiam cœtus orientales diversis dialectis in officiis liturgicis utentes, complectitur; neque ex parte ipsius Ecclesiæ græco-russicæ, cujus fideles variis linguis sacra peragunt.

Vocabulum *Ecclesia byzantina* tripliciter accipi potest : *geographice* scilicet, *historice* ac *liturgice.*

Geographice, Ecclesia byzantina idem sonat ac *Ecclesia Byzantii, Ecclesia Constantinopolis.* Patet illud, sub hoc respectu, ad designandam totam Ecclesiam græco-russicam minime aptum esse, cum Ecclesia byzantina ut sic pars tantum ejus exstet. Congrueret tamen, sicut et congruit appositum *romana*, Ecclesiæ catholicæ tributum, si byzantinus episcopus, Romani Pontificis instar, in totam Ecclesiam græco-russicam veri nominis jurisdictionem exerceret. Tunc enim ista denominatio ex suprema auctoritate qua gauderet præsul byzantinus, fundamentum in re haberet; quod per aliquod tempus olim revera contigit; nunc autem patriarcha Constantinopolitanus extra sui patriarchatus limites omni vera jurisdictione caret; cui nonnisi honoris ac precedentiæ primatum communiter agnoscunt.

Historice accepta, dicta appellatio Ecclesiam limitibus veteris imperii byzantini circumscriptam significat. Quum autem byzantinum imperium non amplius existat, *Ecclesia byzantina* non videtur esse nisi præteriti temporis memoria; unde ad denominandam Ecclesiam græco-russicam non accommodatur. Res tamen attentius inspicienti duplicem convenientiam nomen præfert. Primo quidem, Ecclesia græco-russica est byzantina ratione *suæ originis.* Etenim

Ecclesia byzantina omnium prima ab Ecclesia catholica se sejunxit, schismatisque germina per cæteras Orientis Ecclesias, quæ ejus quasi sorores erant, necnon per Ecclesias slavicas, suas spirituales filias, seminavit. Præterea, byzantina est ratione propriæ indolis et intestinæ constitutionis. Byzantii namque specialis regiminis ecclesiastici forma viguit, quæ paucis mutatis ad Ecclesias autocephalas hodiernas, quibus constat Ecclesia græco-russica, transivit. Hujus summa est : et quod omnia ad Ecclesiam spectantia *synodice* decernuntur, et quod in res et personas ecclesiasticas suprema auctoritas ab imperatore seu civili potestate de *facto* exercetur; ex quo *phyletismi* et *nationalismi* nota Ecclesiæ adhæret.

Inspecta demum sub ratione liturgica, hujusmodi appellatio Ecclesiæ græco-russicæ convenit quidem, cum hæc liturgiam byzantinam ubique retineat; at vero ei omnino propria dici non potest, quandoquidem exstant Ecclesiæ catholicæ ritus byzantini, ut Ruthenorum, Rumenorum, Melkitarum.

Cognomentum *Ecclesia photiana* vel potius *Ecclesiæ photianæ*, Josepho de Maistre [1] omnium convenientissimum videbatur ad cœtus ecclesiasticos nuncupandos Ecclesiam græco-russicam conjunctim constituentes. « Photius enim, inquit, verus byzantini schismatis præcipuus auctor exstitit; secta autem a catholicæ unitatis centro divulsa a suo auctore nomen accipere solet ». Ratio sane probabilis, cui nemo contradicet; quam ea omnia firmant, quæ de Photio ejusque in posteros theologico influxu in tomo I hujus nostri operis attulimus. Notandum insuper Ecclesiam græco-russicam, nostris præsertim diebus, Photio magnas dare laudes, immo eum ut sanctum colere; unde photiana merito audiet. Hoc tamen apposito eam signare haud expedire censemus, quod dissidentibus bona fide errantibus, quos ad catholicam unitatem adducere conamur, contumeliosum plerumque videbitur [2].

1. *Du pape*, l. IV, c. I.
2. Græco-Russi aliqui de *Photianorum* appellatione gloriantur, nedum eam detrectent. Ita, v. g., A. A. Kireev : « Libenter, inquit ille, Photiani audimus, non quod principiorum orthodoxorum Photius adinventor fuerit, sed quod ea firmiter tuitus sit ipso initio nostræ contra Latinos romanasque novitates pugnæ. » In *Revue internationale de théologie*, 1894, p. 257. E contra, sæculo XVII, Nectarius Hierosolymitanus cognomen *Photianus* repellebat et Photium de quibusdam vituperare non dubitabat.

Nuncupatio *Ecclesia græco-slavica* duplici sensu accipi solet, sensu scilicet liturgico et sensu ethnico. Ex primo, ea Ecclesia *græco-slavica* dicitur quæ byzantina liturgia in slavicum idioma translata utitur. Sensu autem ethnico sumpta, hujusmodi appellatio latius patet maximamque Ecclesiæ græco-russicæ partem de facto notat; Græci enim fere omnes Slavorumque major pars ad hanc pertinent Ecclesiam. Non est tamen ad amussim congrua, tum quia græco-russica Ecclesia neque omnes Slavos, neque etiam Græcorum universitatem suo sinu complectitur; tum quia fideles habet neque ad slavicam stirpem, neque ad græcam gentem pertinentes, v. g., Rumenos, Arabes, Syros.

Præcedenti appellationi multo illa affinis est, quam per hujus operis decursum plerumque usurpavimus : *Ecclesia græco-russica* idem fere sonat ac *Ecclesia græco-slavica*, quanquam non tam late patet, cum Russi non sint nisi stirpis slavicæ ramus unus. Hoc tamen commodi habet quod ambiguitate vacat sensumque ethnicum vel geographicum tantum præ se fert. Insuper Ecclesiæ autocephalæ græci sermonis una cum russica Ecclesia potior simul et cultior pars exstant Ecclesiæ byzantino schismati addictæ. Ad theologiam præsertim quod spectat, qui de rebus theologicis scripserunt fere omnes natione vel Græci sunt, vel Russi. Ob has rationes nuncupationem *Ecclesia græco-russica* præ aliis seligimus, quanquam illam non plene rei æqualem esse scimus. Hoc etiam in ejus opportunitatem addendum, scilicet quod dissidentibus non displicet, et a quibusdam illorum quandoque revera usurpatur.

Quid tandem de designatione haud raro adhibita : *Ecclesiæ autocephalæ*, vel : *Ecclesiæ autocephalæ orientales*, sentiendum? Hoc vocabulum latiore comprehensione laborat. In Oriente enim, præter cœtus independentes, quorum complexio Ecclesiam græco-russicam constituit, alias sectas auto-

cephalas invenimus inde a sæculo v ab Ecclesia catholica disjunctas, quæ sive nestorianismo sive severiano monophysismo adhærent. Num vero ad Ecclesiam græco-russicam nominandam singulari vel plurali numero uti congruat, quæstio infra solvetur.

III. — Adnotatio de appellationibus quibus Græco-Russi Ecclesiam catholicam nuncupare solent.

Hanc brevem adnotationem de appellationibus a Græco-Russis usurpatis ad Ecclesiam catholicam denominandam post inquisitionem de diversis nominibus ipsius Ecclesiæ græco-russicæ subjicere haud abs re erit.

A theologis vel polemistis dissidentibus Catholici vocantur plerumque *Latini*, *Occidentales* (οἱ Δυτικοί), *Romani*, aliquando *Papistæ* vel *Pontificii* [1], vel etiam *Catholici* et *Catolici* (absque littera *h*); Ecclesiam catholicam vero iidem appellant *Ecclesiam occidentalem* (ἡ δυτικὴ Ἐκκλησία), *Ecclesiam latinam*, *Ecclesiam romanam* vel *romanicam* (ἡ ῥωμαϊκὴ Ἐκκλησία), rarius : *Ecclesiam catolicam* vel *romano-catolicam* (absque *h*), *Ecclesiam papicam* (ἡ παπικὴ Ἐκκλησία), *Ecclesiam pontificiam*. Tria priora vocabula usurpant theologi cordatiores necnon mitioris animi polemistæ; cæteris plerumque utuntur qui infenso animo in Catholicos invehuntur; qui etiam ad alias denominationes contumeliosas recurrunt. Appellationes : *Ecclesia occidentalis* [2], *Ecclesia latina* omnino improprias esse jam supra ostendimus, quanquam e nostris quidam, parum attenti, ad indicandam Ecclesiam catholicam eas quandoque adhibent.

1. Cognomen *Pontificii* Theophanis Procopovitch discipulis præ aliis arridebat, ut ex illorum compendiis videre est.

2. Philaretus Drozdov, in quodam sermone suo, de Ecclesia occidentali christianisque occidentalibus hæc habet : « Haud incassum vocantur *Occidentales;* hoc enim nomine jure notantur non solum propter suæ dominationis localem situm in mundo elementorum, sed etiam propter suum statum in provincia Spiritus, in crepusculo Ecclesiæ; quatenus scilicet veritas fidei, quæ inter casta regni cælestis desideria orta est ac resplenduit, apud eos in impuro terrestris imperii studio tanquam in nebula seu caligine occidit et obscuratur. » *Sermones*, t. II, Mosquæ, 1874, p. 407-408. Hunc locum laudat Akvinolov in suo opere *Tserkov*, Petropoli, 1894, p. 57.

Nuncupatio *Ecclesia romana* a nostris communiter probatur; accurate vero explicanda est. Strictiori sensu accepta cœtum fidelium Romanæ diœcesis designat; sensu vero largiori ac vere theologico, appositum *romana* ad supremam auctoritatem Petri successoris, qui Romæ sedet, alludit. Unde *Ecclesia romana* idem in re sonat ac *Ecclesia catholica*, Romano Pontifici subjecta.

Cognomen *Ecclesia papica* tolerabilis esset, si a polemistis in contumeliam non proferretur. Melius sonaret vocabulum : *Ecclesia papalis*.

Ad suppressionem vero quod attinet litteræ *h* in epitheto *catholica* (*catolica*), patienter nobis est toleranda, quamvis eadem mensura metiri dissidentes nobis admodum facile esset per ejusdem litteræ suppressionem in apposito *orthodoxa* (*ortodoxa*). Dum autem nostram Ecclesiam *catolicam* etiam absque *h* appellant, invite testantur Ecclesiam cui Romanus Pontifex præest passim audire *catholicam*; quam appellationem inde a principio contra quascumque sectas vel conventus hæreticos vera Christi Ecclesia semper retinuit, ita ut etiam in fidei symbolo fuerit notata.

ARTICULUS II

De diversis Ecclesiis autocephalis ritus byzantini earumque præsenti statu.

Prænotamina.

Sub generica denominatione *Ecclesiæ græco-russicæ* non unus tantum christianus cœtus, sed plures inter se, quantum ad visibilem auctoritatem et gubernationem, *absolute* vel *relative* independentes comprehenduntur. Cœtus *absolute* independentes appellantur *Autocephaliæ* proprie dictæ; qui vero *relative* tantum independentes sunt, *Autonomiæ* dicuntur.

Differentia inter Autocephaliam et Autonomiam in hoc potissimum consistit quod Ecclesia *autocephala* nulli immixtioni alterius Autocephaliæ, etiam in casibus extraordinariis, obnoxia est quantum ad propriam gubernationem et rerum ecclesiasticarum administrationem soliusque concilii œcumenici jurisdictioni subjicitur; Ecclesia vero *simplici autonomia* donata a suprema auctoritate alius Autocephaliæ, illius scilicet ad quam ut pars prius pertinebat et a qua canonice divisa est, in aliquibus adhuc pendet. Autocephaliæ matri generatim competit jus ordinandi primum pastorem Ecclesiæ filiæ, sacrum chrisma ei tradendi, in rebus majoris momenti interveniendi exarchum mittendo, appellationes recipiendi, ut primatis vel synodi Autocephaliæ in officiis liturgicis memoria fiat, obligationem imponendi [1].

Numerus tum Autocephaliarum tum Autonomiarum per sæcula multum variavit, quippe qui a politicis eventibus, a nationum geographicis limitibus vel intestinis partitionibus maxime pendet. Per totam epocham byzantinam, inde a perfecto schismate, quatuor vix fuere Autocephaliæ *permanentes*, videlicet quatuor patriarchatus orientales : Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, quanquam, ut postea ostensuri sumus, patriarcha Constantinopolitanus in tres alios patriarchatus veram jurisdictionis potestatem exercuit; quod etiam post captam urbem, toto dominationis Turcarum tempore contigit. Duo alii patriarchatus autocephali aliquamdiu exstiterunt, Achridensis scilicet, a 1393 ad 1767, et Ipekiensis a 1346 ad 1459, et rursus a 1557 ad 1767. Ecclesiæ vero plus minusve autonomæ fuerunt, v. g., archiepiscopatus græco-bulgaricus Achridensis a 1020 ad 1393, Ecclesia Cypri insulæ, archiepiscopatus Sinaiticus inde ab anno 1573. Ecclesia russica moscovitica de facto plene independens exstitit post periodum mongolicam, inde ab anno 1461; juridicam vero autocephaliam non adepta est nisi quando constitutus est patriarchatus Mosquensis, anno 1589-1590.

1. De differentia inter Autocephaliam et Autonomiam in scriptis tum Græco-Russorum tum aliorum aliquid certi vix invenies. Quæ de hac in præsenti tradimus e consueta praxi potissimum hausimus. Nota non omnes obligationes hic indicatas Ecclesiæ autonomæ ab Autocephalia matre *semper* imponi. Quædam ex istis, v. g., obligatio sacrum chrisma postulandi et liturgica commemoratio, occurrunt etiam in *tomis* seu decretis de autocephalia dictis, quibus aliqua Ecclesia autocephala alii Ecclesiæ confert plenam independentiam seu autocephalismum.

Ante recens bellum, sexdecim erant Ecclesiæ autocephalæ vel autonomæ, nempe : 1º patriarchatus Constantinopolitanus (= patriarchatus œcumenicus seu patriarchatus Phanarii seu Magna Christi Ecclesia), cujus fideles circa 1 800 000 erant; 2º Ecclesia Græciæ seu hellenica (2 700 000 fideles); 3º Ecclesia Cypri insulæ (200 000 fideles); 4º patriarchatus Antiochenus (200 000 f.); 5º patriarchatus Hierosolymitanus (circa 50 000 f.); 6º patriarchatus Alexandrinus (100 000 f.); 7º archiepiscopatus autonomus montis Sinai (50 f.); 8º Ecclesia russica (circa 90 000 000 f., inter quos computandi erant Starovieri non pauci, qui ab Orthodoxis niconianis quantum ad fidei dogmata vix differebant); 9º exarchatus bulgaricus (4 000 000 f.); 10º Ecclesia serbica (3 700 000 f.); 11º Ecclesia Montis Nigri (circa 300 000 f.); 12º patriarchatus Carlovitzianus (Serborum, 1 110 000 f.); 13º metropolis serbo-rumena, cujus sedes Tchernovitzii erat, Slavos et Rumenos Bukovinæ una cum Serbis Dalmatiæ complectens (circa 700 000 f.); 14º Ecclesia rumena (7 200 000 f.); 15º Ecclesia rumena Transylvaniæ, cujus metropolitana sedes erat Sibiu (circa 2 000 000 f.); 16º Ecclesia autonoma Bosniæ et Herzegovinæ (850 000 f.), quæ tenui jurisdictionis nexu patriachatui œcumenico adhuc adhærebat.

Post politicas et geographicas mutationes, quæ diversis nationibus ex magno bello acciderunt, præsenti anno 1929, quo hæc scribimus, ex sexdecim supra enumeratis Autocephaliis vel Autonomiis quinque jam vixerunt, scilicet patriarchatus Carlovitzianus, Ecclesia Montis Nigri, metropolis Tchernovitziana, metropolis Sibiu, Autonomia Bosniæ et Herzegovinæ; cæterarum vero undecim multæ graves permutationes expertæ sunt. Insuper novæ Autocephaliæ vel Autonomiæ haud paucæ, vi eorumdem politicorum eventuum, aut jam natæ sunt pleneque constitutæ, aut jam in fieri proximeque orituræ; quarum certum numerum hodie tradere vix possibile esse ex mox dicendis patebit.

De undecim Autocephaliis bello superstitibus primum loquamur.

I. — De Autocephaliis græcæ dialecti.

Ex Autocephaliis quæ græco sermone in liturgia utuntur primum locum obtinet patriarchatus Constantinopolitanus, œcumenicus dictus, cui aliæ Autocephaliæ ex quibusdam canonibus pseudo-œcumenicis libenter agnoscunt quemdam primatum honoris et præcedentiæ, et quandoque etiam, si non *speculative* ac *dogmatice*, *practice* saltem, aliquem primatum jurisdictionis; de quo infra fusus sermo erit. Ecclesia ista principii laicalis, quo innixa super omnes alios Orientis thronos olim se extulit, ipsiusque romanæ Ecclesiæ æmula exstitit, diras, sed logicas consequentias per totum sæculum XIX, et gravius adhuc his ultimis annis perpessa est. Post bellum Balchanicum an. 1912-1913, dimidium fere suorum fidelium amisit. Ex pactionibus vero politicis, quae magnum bellum clausere, potissimum autem ex gravissima clade a Turcis anno 1922 Græcis illata, patriarchatus œcumenicus ad unam Constantinopolim urbem ejusque vicinitates, ubi circa 200 000 Græci dissidentes degunt, fere redactus est. Per aliquot annos, ab anno scilicet 1913 ad annum 1928, contra manifestam principii autocephalismi consequentiam, Status hellenicus patriarchæ œcumenico concessit, ut Macedonianas metropoles ab imperio Turcarum distractas et Græciæ adjunctas regere pergeret; nunc autem et istas perdidit [1]. Retinet quidem adhuc jurisdictionem in Dodecanesi Italorum fideles (circa 120 000); hæc vero tenuissimo filo ei pendet, jamque Dodecanesus italus inter Autocephalias in fieri computandus est [2]. Item, nondum penitus amisit omnem auctoritatem in Cretam insulam, quanquam hæc insula ad Græciam politice pertinet.

1. Ex recenti tamen conventu cum Statu hellenico pacto, patriarcha œcumenicus suam in prædictas metropoles jurisdictionem recuperabit, si quando præsens rerum politicarum status immutatus fuerit; cf. *Échos d'Orient*, t. XXVII, 1928, p. 480.
2. Cf. R. Janin, *La destinée du patriarcat œcuménique*, in *Échos d'Orient*, t. XXIV, 1925, p. 202-211.

Parte majori fidelium a patriarchatu œcumenico amissorum ditata est Ecclesia Græciae, quæ nunc circa 5 700 000 fidelibus præest. Hæc ex recentibus politicis eventibus plures quidem ac graves perpessa est intestinas perturbationes; cui tamen feliciter contigit, ut anno 1923 civilis potestas cæsaropapismi vincula lege anni 1852 firmata aliquatenus ei relaxaret [1].

Ecclesiæ Cypri insulæ novi nihil accidit, et prout ante bellum erat, absque mutatione notabili remansit; cujus fideles exstant nunc numero 250 000.

II. — De Autocephaliis græco-arabophonis.

Autocephaliæ græcum sermonem in liturgia arabico miscentes quatuor sunt, scilicet patriarchatus Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus et archiepiscopatus Sinai montis; quarum status post bellum mutatus non est. Numerus tamen fidelium patriarchatus Alexandrini paulum crevit ascenditque nunc ad 110 000, dum, e contra, nonnisi 35 000 fideles patriarchatui Hierosolymitano quidam tribuunt, 150 000 vero Antiocheno.

III. — De patriarchatu Rumeno.

In novo Rumenorum regno, cujus cives 18 000 000 numerantur, patriarchatus nuper creatus est (12 februarii 1925) a Bucarestiana civitate dictus, complectens non solum priorem Ecclesiam rumenam, verum etiam veteres Autocephalias Transylvaniæ (Sibiu) et Bukovinæ (Tchernovitzium) necnon dioeceses Bessarabiæ. Fideles numero sunt circa 12 000 000. Nova statuta ab utraque potestate, ecclesiastica ac civili, elaborata ac approbata patriarchatus intestinam vitam delineant ac dirigunt [2]; de quibus quædam infra dicturi sumus.

1. Cf. *Échos d'Orient*, t. XXIII, 1924, p. 234-236; t. XXIV, 1925, p. 68-85. Attamen in detrimentum libertatis Ecclesiæ de novis institutis quædam jam derogata sunt; cf. *Échos d'Orient*, t. XXVIII, 1929, p. 229.
2. Hæc statuta gallice versa invenies in *Échos d'Orient*, t. XXV, 1926, p. 61-70.

IV. — De patriarchatu Serborum.

Anno 1920, die 30 junii, quinque Autocephaliæ vel Autonomiæ quæ intra limites erant novi regni Serborum, Croatorum et Slovenorum, seu Yugoslaviæ, scilicet metropolis Beligradensis (= vetus Ecclesia serbica), patriarchatus Carlovitzianus, metropolis Montis Nigri (= Cettinie), diœceses Bosniæ et Herzegovinæ, episcopatus Zarensis et Cattarensis in Dalmatia, in unam Autocephaliam redactæ sunt, titulo patriarchatus Ipekii decoratam, cujus primas *archiepiscopus Ipekii seu Petcii, metropolita Beligradensis et Carlovitsiensis, patriarcha Serborum* audit. Novæ Ecclesiæ ita constitutæ nova data sunt statuta a cæsaropapismi labe haud immunia [1]. Fidelium numerus anno 1921 erat 5 602 227.

V. — De Ecclesia bulgarica.

Ecclesia bulgarica post bellum, etsi territorio imminuta, fidelium tamen numero crevit ex adventu Bulgarorum qui Macedoniam meridionalem vel Thraciam orientalem prius habitabant, ita ut fidelium universitas nunc sit circa 4 300 000. Hujus Ecclesiæ intestina ordinatio statutis Exarchatus bulgarici anno 1895 promulgatis regulatur [2]. Notandum est hanc Ecclesiam ab Autocephaliis græci sermonis schismaticam haberi, inde ab anno 1872, propter peccatum phyletismi, de quo infra.

VI. — De Ecclesia russica.

Ecclesiæ russicæ præsens status vix describi potest, cum haud pauca quæ intra Rerum Publicarum Sovieticarum limites his ultimis annis huic Ecclesiæ acciderunt, adhuc ignorentur. Unum tantum omnino certum est, scilicet hunc statum lugendum prorsus esse, plures nunc exstare factiones invicem infensissimas, quæ tamen schismate observantiaque canonica vel liturgica potius quam dogmate

1. *Échos d'Orient*, t. xxi, 1922, p. 186-203.
2. In *Échos d'Orient*, t. xiii, 1910, p. 351-355; t. xiv, 1911, p. 20-24, 170-176, 212-216.

inter se dividuntur. Nec apud Russos extorres, per omnes fere orbis regiones in præsenti dispersos, major concordia deprehenditur : intestinum discidium ubique fere regnat, ita ut vel ipsum certum Ecclesiarum russicarum numerum statuere inter res, quæ vix effici queant, sit deputandum.

His magnis perturbationibus dissensionibusque occasionem præbuere : 1° Patriarchatus Mosquensis instauratio, plenariæ omnium Russiarum synodi (Mosquæ, annis 1917-1918, instante jam Sovietica persecutione, habitæ) suffragio firmata [1]; 2° Ecclesiæ ab Statu subitanea separatio a regimine Sovietistarum decreta; cui mox accessit bonorum ecclesiasticorum confiscatio necnon in pastores fidelesque dirissima persecutio [2]; 3° Cleri sæcularis, *albi* dicti (id est conjugati) tum secreta ambitio (quippe qui ad episcopalem dignitatem sibi illatenus imperviam a longo contenderet), tum unius matrimonii legis impatientia; 4° In quibusdam vastissimi imperii russici partibus, incolarum a russica gente alienorum fervidus propriæ gentis amor seu *nationalismus*, sub cujus influxu, neglecta canonicarum legum observantia, novæ Ecclesiæ autocephalæ constitutæ sunt.

Intra Rerum Publicarum Sovieticarum fines tres nunc præcipuæ exstant ecclesiasticæ factiones sibi invicem inimicæ, quæ veteris Ecclesiæ russicæ fideles inter se diripiunt, videlicet :

1° Ecclesia patriarchalis, *Tikhoniana* dicta ex Tikhone Beliavin, qui a synodo Mosquensi ad Sedem patriarchalem Mosquensem instauratam anno 1917 promotus est. Hæc

1. Acta hujus magnæ synodi Consilii synodalis opera, Mosquæ, anno 1918 publicata sunt sub hoc titulo : *Sylloge decretorum et ordinationum sancti concilii Ecclesiæ russicæ orthodoxæ.* De hac synodo vide Titlinov, *Tserkov vo vremia revolutzii* (= Ecclesia rerum perturbationis tempore), Petropoli, 1924; A. Maniglier, *L'Église russe dans la tourmente*, in commentario *La documentation catholique*, t. xiii, 1925, col. 1475-1514; P. Volkonskii, *La reconstitution du patriarcat de Russie. Mgr Tikhon, patriarche de Moscou*, in *Échos d'Orient*, t. xx, 1921, p. 195-219.
2. De historia hujus persecutionis, vide Mc. Cullagh, *The Bolshevik persecution of christianity*, Londini, 1924; A. Maniglier, *op.* et *loc. cit.*, t. xiii-xiv-xv, 1925-1926, passim; *La législation soviétique contre la religion*, in commentario *Orientalia christiana*, t. v, p. 1-136.

pristinæ Ecclesiæ russicæ, omnes traditiones, prout ante bellum exstabant, fideliter retinet, et ab omni novitate tum in dogmate, tum in canone et ritu abhorret; servat tamen decreta synodi Mosquensis annis 1917-1918 habitæ, eisque vim legis obligatoriæ tribuit; unde formæ regiminis ecclesiastici ab hac synodo definitæ adhæret. Cum autem post Tikhonis mortem, quæ die 7 aprilis 1925 accidit, ei successorem dare secundum præscriptiones synodales rerum eventus non permiserint, patriarchalis sedes hactenus vacat; interim jurisdictio in Ecclesiam detinetur a synodo duodecim episcoporum, cujus præses vicarii patriarchalis titulo decoratur.

Porro jam ab anno 1925 finiente, multæ litigationes circa personam vicarii patriarchalis inter Tikhonianos exortæ sunt, quæ nondum sopitæ sunt. Aliquot episcopis præeuntibus, factio quædam schismatica constituta est, quæ Ecclesia, *Starotserkovnikov* seu *Ecclesiasticorum Veterum dicitur*. Hi quidem instaurationi patriarchatus suffragantur, Tikhonis memoriam venerantur ejusque nomen usurpant, quanquam de peccato contra *principium synodale* seu *sobornost* illum insimulant, quod vicarium patriarchalem propria auctoritate absque synodi suffragio ante mortem designaverit; obedientiam vero detrectant vicario patriarchali nunc existenti, Sergio scilicet Starogorodskii, Nigegorodiensi episcopo, Petri Krutitsæ episcopi (qui primus fuit patriarchalis vicarius ab ipso Tikhone electus) successori; cui item crimini vertunt quod initio in *sobornost* peccaverit regimen personale exercendo, illosque episcopos propria auctoritate deponendo qui Mosquæ, anno 1925, die 9-22 decembris, *Consilium supremum ecclesiasticum transitorium* (*Vyschii vremennyi tserkovnyi Soviet*) ad regendam Ecclesiam capite carentem omnino canonice constituerant. Istud *Consilium supremum transitorium*, cui nunc præest Gregorius, archiepiscopus Sverdlovskiensis, cœtum *Veterum Ecclesiasticorum* seu *Starotserkovnicorum* regit, quoadusque synodus plenaria omnium Russiarum ad præscripta synodi Mosquensis anni 1917-1918 novum patriarcham elegerit.

Qui jurisdictioni Sergii Nigegorodiensis subjiciuntur Consilii supremi transitorii asseclas nuncupant *Grigorievtsy*; hi vero illos appellant *Serghievtsy*. Hi autem et illi communi nomine *Tikhonianorum* vel etiam *Starotserkovnicorum* ab aliorum cœtuum fidelibus vocantur;

2º Ecclesia synodalis, de *Renovatione orthodoxa* dicta, seu Ecclesia *Renovatorum* (*Obnovlentsy*), cujus nebulosa origo repetenda est ab illis schismaticis factionibus, quæ inde a captivitate Tikhonis patriarchæ ejusque ad tempus abdicatione (die 12 maii 1922) sub generico nomine *Ecclesiæ viventis* (*Givaia Tserkov*) lucem aspexerunt. Ecclesiæ viventis præcipui fundatores fuere episcopus Antoninus Granovskii, archipresbyter Wedenskii, presbyter Krasnitskii. Jam a mense augusto anni 1922 in sinu Ecclesiæ viventis nova secta orta est, de *Renascentia ecclesiastica* nuncupata (*Tserkovnoe Vozrogdenie*); ex hac vero mox alia enata est, cujus nomen fuit *Fœderatio communitatum Ecclesiæ veteris apostolicæ* (*Soiuz obchtchine drevle apostolikoi Tserkvi*). Tres illæ factiones, scilicet Ecclesia vivens proprie dicta, Ecclesia Renascentiæ et Fœderatio communitatum Ecclesiæ veteris apostolicæ, per suos legatos, qui numero fuere 430, Mosquæ, anno 1923, die 2 maii in unum convenerunt fundamentaque jecerunt illius novæ ordinationis ecclesiasticæ, quæ in *Ecclesia Renovationis* nunc viget. Hæc schismatica adunatio a Tikhone patriarcha condemnata nomen sibi sumpit *secundæ synodi ecclesiasticæ panrussicæ*, patriarcham deposuit, ipsi patriarchatui ut formæ regiminis ecclesiastici valedixit et ad priorem formam pure synodalem rediit, cuidam *Consilio supremo ecclesiastico*, certo numero legatorum cujusque ex tribus sectis supra dictis constanti, Ecclesiæ gubernationem committens. Præterea synodus ista duas graves novitates in disciplinam canonicam introduxit; siquidem legem cælibatus pro episcopis, legem unius matrimonii pro presbyteris sua auctoritate abrogavit : quod jamdudum cleri *albi* membra ardenter appetebant.

Paulo post, id est die 16 junii anni 1923, Tikhon regimini sovietico se submisit, eoque pacto e captivitate liberatus, Ecclesiæ gubernacula resumpsit. Magna inde inter cœtus schismaticos turbatio atque confusio. Multi ex iis qui hujusmodi cœtibus nomen dederant ad Ecclesiam patriarchalem redierunt. Præcipui autem schismaticorum duces, ne secta-

torum suorum agmina penitus amitterent, ad unius Ecclesiæ formam sese redigere necesse duxerunt, suumque cœtum ex tribus sectis supra dictis nove efformatum primum quidem titulo *Ecclesiæ orthodoxæ russicæ* decorarunt; mox et cognomen *Renovationis orthodoxæ* et *Renovatorum* sibi sumpserunt. In locum *Consilii supremi ecclesiastici* suffecta est *Sanctissima synodus Ecclesiæ russicæ orthodoxæ* (vel — inde ab anno 1928 — *Ecclesiarum orthodoxarum in territorio Rerum Publicarum Sovieticarum existentium*). Quidam sectarii huic Synodo morem gerere renuerunt; inter quos exstitit episcopus Antoninus, factionis dictæ de *Fœderatione Ecclesiæ renascentiæ ecclesiasticæ* exinde dux; quæ hodie penitus fere exstincta est. Item archipresbyter Krasnitskii *Ecclesiæ viventi*, de qua amplius sermo non est, aliquamdiu præfuit.

Ecclesia renovationis orthodoxæ (*Obnovlentchestvo*) ab Ecclesia patriarchali seu *Tikhoniana*, quam Renovatores *Tikhonovchtchina* vocant, in hoc differt : 1° quod patriarchatui, prout a synodo Mosquensi anni 1917-1918 constitutus est, formam pure synodalem suffecit; unde *Ecclesia synodalis* dicitur; quæ differentia est potius de titulo quam de re ipsa; 2° quod rata habet decreta concilii Mosquensis anni 1923 de abrogatione cælibatus obligatorii pro episcopis necnon legis unius matrimonii pro presbyteris; unde multos jam habet episcopos conjugatos [1], multos etiam presbyteros qui alterum matrimonium contraxerunt; 3° quod mutationum et novationum tum in disciplina ecclesiastica, tum in officiis ac ritibus liturgicis studiosa est; volunt siquidem Renovatores veteri formalismo ac traditionalismo byzantino valedicere, ecclesiasticas institutiones præsenti tempori aptare, veteri corpori Ecclesiæ russicæ sub cæsaropapismi jugo fatiscenti novam vitam inspirare. Inter recentes novitates ab eis acceptas notandus est linguæ vulgaris usus in officiis liturgicis necnon kalendarii Gregoriani usurpatio. Ut nunc exstat, Ecclesia renovationis cleri albi studiis satis bene respondet;

1. Anno 1926, ex 136 episcopis Ecclesiæ renovationis 44 conjugati, 49 vidui, alii cælibes erant.

3° *Ecclesia orthodoxa Ukrainiana autocephala*, quæ a membris concilii panukrainiani, anno 1921, mense octobri, in ecclesia Sanctæ Sophiæ Kioviensi habiti, constituta est. Cum in hoc concilio nullus adesset episcopus, archipresbyter Basilius Lipkovskii per impositionem manuum presbyterorum necnon et laicorum præsentium ad dignitatem episcopalem evectus est. Inde hierarchiæ hujus Ecclesiæ origo; quæ utique vera potestate episcopali caret, cum simplices presbyteri plenitudinem sacerdotii conferre nequeant; ideo Ecclesia ista ab aliis vulgo appellatur Ecclesia *autochirotonitarum* seu *Ecclesia eorum qui seipsos ordinaverunt* vel consecrarunt (*Samosviaty*). Ei præest *Consilium* (= *Rada*) *Ecclesiasticum panukrainianum* episcopis et legatis a populo ad tempus electis constans. Septem priorum conciliorum œcumenicorum doctrinam se recipere profitetur, non autem eorum canones, saltem omnes. *Samosviaty* enim, sicut et Renovatores, conjugium episcopis, et secundas ac ulteriores nuptias presbyteris aliisque clericis viduis permittunt; item lingua vulgari (ukrainiana, a russica distincta) utuntur in sacris peragendis. In pastoribus vero Ecclesiæ eligendis necnon in bonis ecclesiasticis administrandis majores partes laicis tribuunt [1].

De his tribus vel potius quatuor factionibus (cum Niconiani inter se dissideant) hæc communiter dicenda sunt : 1° Omnes jam regiminis sovietici legitimitatem publice agnoverunt eique se submiserunt; quod omnium ultimus egit Tikhonianorum præsul, Sergius Starogorodskii, per litteras encyclicas ad omnes Russos ubicumque degentes, die 16-29 julii, anno 1927 datas [2]; 2° De sectatorum numero cuique earum adhærentium nihil certi definiri potest; dicunt tamen *Tikhonianos Serghievtsos* fidelium majorem partem in suo ovili retinere, dum Renovatorum agmina sensim decrescunt.

1. Dicunt Sovietistas recenti decreto suppressisse hanc Ecclesiam.
2. Has litteras gallice versas invenies in commentario *Documentation catholique*, t. XVIII, 1927, col. 729-734. Sergius Russos extorres hortatur, ut contra regimen Sovietistarum nihil amplius moliantur ejusque legitimitatem agnoscant. Clericis huic suæ ordinationi non obsequentibus pœnas canonicas minatur. Plerique nimirum ex Russis τῆς διασπορᾶς huic decreto obtemperare renuerunt.

Samosviaty vero Ukrainiæ in dies evanescunt. Ex certis etiam indiciis conjicimus *Tikhonionos Grigorievtsos* admodum paucos esse nec longum ævum sibi promittere posse; 3º Unaquæque secta non solum per omnes fere vastissimi dominatus Sovietistarum regiones suos conscribit asseclas, verum extra Russiæ fines quosdam invenit fideles, ita ut hierarchiæ et jurisdictiones adversæ in uno et eodem loco vel territorio sibi invicem offendant, inextricabiliter misceantur. Ita, v. g., in Ukrainiana regione invenies *Samosviatos*, Tikhonianos Serghievtsos, Tikhonianos Grigorievtsos, Renovatores sat multos [1]; 4º Ecclesia Renovatorum sola amicam societatem inivit et communionem adhuc servat cum quibusdam aliis Ecclesiis autocephalis, scilicet cum patriarcha Constantinopolitano (jam ab anno 1924), — quod satis mirum est, — cum patriarchis Antiocheno et Hierosolymitano necnon cum archiepiscopo Montis Sinai; 5º Item Ecclesia Renovatorum jus pleni autocephalismi tum Renovatorum ukrainianorum cœtui, tum Ecclesiæ Iberorum (Georgianorum) agnovit. E contra, Tikhoniani Grigorievtsy concedunt quidem Ukrainianos, Iberos et etiam alios ad autocephalismum jus sufficienter fundatum habere; soli autem omnium Russiarum synodo competere dicunt, ut novas Autocephalias canonice de facto constituat.

Præ his omnibus intestinis discidiis, quædam jam eparchiæ Russiæ seu diœceses, immo et simplices parochiæ, cuinam hierarchiæ parendum sit dubie hærentes, autocephalas sese edixerunt, quibusdam secretis patriarchæ Tikhonis ejusque primi vicarii Agathangeli metropolitæ statutis innixæ. Qui hujusmodi particularibus cœtibus adhærent nomen *Autocephalistarum* ab aliis accipiunt [2].

His diversis Ecclesiis intra Russiæ fines existentibus adjungendæ sunt illorum Rascolnicorum communitates,

1. Anno 1928, circa Kioviensem metropolim, Tikhoniani 332 ecclesias habebant, Samosviaty 155, Renovatores 42; in regione vero Tchernigoviensi, Tikhoniani in 223, Samosviaty in 5, Renovatores in 31 ecclesiis sacra persolvebant.

2. Cf. *Acta adunationis Starotserkovnicorum die 15-18 novembris anni 1927 Mosquæ habitæ, a Supremo Consilio ecclesiastico transitorio publicata* (*Vtoroi s'iezd Starotserkovnikov*).

quæ valido episcopatu gaudent communique *Popovtsorum Starovierorum* vocabulo designantur. Hi enim Starovieri, quos autocraticum tsarorum regimen constanter persecutus fuerat, jure communi a Sovietistis donati, publice jam se prodere potuerunt fidelesque haud paucos ad se attraxerunt.

Cum autem hujusmodi sectarii Ecclesiæ catholicæ, ad dogma quod attinet, propinquiores sint quam multi ex illis qui *Orthodoxi* vulgo audiunt, eorum cœtum inter Ecclesias russicas dissidentes merito recensere possumus [1].

Ad Russos autem extorres quod attinet, quorum numerus circa 1 500 000 existimandus videtur, hi inter se graviter discordant, nec unam jurisdictionem agnoscunt. Quidam synodo episcoporum Carlovitzii sedenti, cui præest Antonius Khrapovitskii, pristinus Kioviæ metropolita, obœdiunt, omnemque communionem cum Tikhonianis Serghievtsis Russiæ recenter abruperunt; quorum cœtum aliquam speciem Autocephaliæ *phyleticæ* præ se ferre jure dixeris. Alii Eulogio, Parisiis degenti nuper parebant. Qui vero Americam ac præsertim Status Unitos habitant vel cuidam Platoni metropolitæ subjiciuntur, vel uni ex factionibus in Russia exstantibus nomen dederunt [2].

1. Starovierorum Popovtsorum duplex cœtus nuper exstabat : eorum scilicet qui ad hierarchiam Bielokrinitzianam pertinebant verosque episcopos ex Ambrosio habebant; atque eorum qui episcopatu adhuc carebant vulgoque *Bieglopopovtsy* appellabantur. Hi episcopum anno 1926 adinvenerunt, Nicolaum scilicet Saratoviensem, jamque episcopaliani evaserunt, sicut et Bielokrinitziani. Utrum utraque factio in unam nunc coeat, asserere non habemus.

2. De statu Ecclesiarum Russiæ post bellum, cf. *Viestnik sanctissimæ Synodi Ecclesiæ orthodoxæ russicæ* (Renovatorum), inde ab anno 1925; Boris Rukin, *De præsenti statu Ecclesiæ russicæ orthodoxæ patriarchalis* (*O sovremennom pologenii Russkoi pravoslavnoi patriarchei Tserkvi*), Mosquæ, 1927 (Auctor ad factionem Tikhonianorum Grigorevtsorum pertinet); *Secunda sessio Starotserkovnikov Concilio supremo ecclesiastico transitorio subjectorum, quæ Mosquæ in monasterio Donskio diebus 15-18 novembris 1927 habita est*, Mosquæ 1928; *Veritas* (*Pravda*) *de transitorio Consilio supremo ecclesiastico necnon de Sergio, metropolita Nigegorodiensi*, Novotcherkasskii, 1927 (2ª editio emendata et supplementis aucta); P. Volskonsky et M. d'Herbigny, *L'Eglise orthodoxe panukrainienne. Documents, traduction et notes*, in commentario : *Orientalia christiana*, t. I, p. 73-220; Tchitateli, *Deux conciles à Moscou en octobre 1925*, in *Échos d'Orient*, t. XXV, 1926, p. 328-343; E. Goudal,

VII. — De novis Autocephaliis et Autonomiis.

Quatuor novæ Autocephaliæ proprie dictæ recenter constitutæ sunt, quæ tamen apud omnes alias Ecclesias autocephalas juridicam civitatem nondum consecutæ sunt, sed ab aliquibus earum tantum ut tales agnoscuntur scilicet :

1º Ecclesia Iberiæ (Georgia), quæ inde a principio perturbationis rerum in Russia, anno scilicet 1917, autocephalismi jura sibi vindicavit, patriarcha Antiocheno aliisque reclamantibus. Huic præest patriarcha seu Catholicus Iberiæ, qui Tiphlesii sedet Ecclesiamque regit una cum synodo quatuor episcoporum suffraganeorum. Fidelium numerum ad 2 500 000 propinquare dicunt;

2º Ecclesia polonica, Orthodoxos orientales intra Poloniæ limites degentes complectens, qui olim Synodi Dirigentis petropolitanæ jurisdictioni subdebantur. Hæc anno 1924, die 11 novembris, a patriarcha œcumenico Constantinopolitano decretum seu τόμον autocephalismi obtinuit, plerisque Ecclesiis russicis reclamantibus; cujus fideles circa 2 800 000 putantur. Regitur a synodo episcoporum (numero quinque), cujus præses titulo metropolitæ Varsaviæ, Volhyniæ et totius Poloniæ insignitur;

3º Ecclesia albanica, quæ nuperrime, anno scilicet 1929, die 26 februarii, absque patriarchæ œcumenici interventu se plene autocephalam esse publice declaravit. Patriarcha Constantinopolitanus cum sua synodo novam Autocephaliam ut schismaticam damnavit, pœnaque depositionis quatuor ejus præsules mulctavit. Huic sententiæ duæ vel tres tantum Autocephaliæ suffragatæ sunt. Aliæ silent. Albani « orthodoxi », qui lingua græca in sacris adhuc utuntur, circa 180 000 sunt. Eos regit synodus episcoporum regionis, cujus præses archiepiscopus Albaniæ appellatur;

4º Ecclesia ukrainiana Renovationis orthodoxæ, cui autocephalismum concessit synodus Renovatorum Russiæ, anno

La situation religieuse en Russie, ibid., t. xxvi, 1927, p. 304-320; ejusdem, *Les Églises russes. Origine. Situation actuelle, ibid.*, t. xxvii, 1928, p. 45-67; cf. etiam *Nuntia chronica*, quæ in eodem commentario *Échos d'Orient* de Ecclesiis orientalibus quater in anno eduntur.

1925, mense octobri. Autocephala est etiam Ecclesia ukrainiana *Samosviatorum*, de qua supra locuti sumus [1].

Præter has Autocephalias, quæ plena independentia jam donatæ sunt, aliæ particulares Ecclesiæ ex politicis eventibus bellum consecutis efformatæ sunt, quæ simplici autonomia adhuc gaudent, donec et ipsæ ad ordinem Autocephaliarum ascendant. Sunt autem sequentes :

1º Ecclesia Finniæ, quæ anno 1923 a patriarcha œcumenico autonomiæ jura accepit. Exstant circa 50 000 fideles, quibus præest archiepiscopus Viborgi. Altera diœcesis nuper creata est. Episcopi Finniæ una cum episcopis Esthoniæ temporibus statutis in synodum conveniunt, ut de rebus ecclesiasticis agant.

2º Ecclesia Esthoniæ, anno 1923 a patriarcha Constantinopolitano tanquam autonoma item agnita. Anno 1922, fidelium numerus erat 209 094. Ejus caput est metropolita Tallinæ (Reval), qui una cum duobus aliis episcopis synodum facit.

3º Ecclesia orthodoxa Cecoslovacha, cui præest archiepiscopus Pragensis. Anno 1921, fideles erant numero 72 696. Primum quidem, anno scilicet 1923, die 8 martii, patriarcha œcumenicus hanc novam Ecclesiam canonice constituit, autonomiæ jura ei tribuens. Anno vero 1925, hæc ad supremam jurisdictionem patriarchæ Serborum transivit.

4º Ecclesia Lithuaniæ, quæ regitur a metropolita Lithuaniæ, Kaunæ civitatis sedente, habebatque, anno 1923, 31 907 fideles [2]. Hæc in præsenti autocephala plene videtur.

5º Ecclesia Latviæ seu Lettoniæ, cujus caput est archiepiscopus Rigæ, constabatque, anno 1925, 167 538 fidelibus [3]. Hæc item de facto plene autocephala est.

1. Anno 1927, in illa parte Bielorussiæ quæ ad Russiam adhuc pertinet, nova Autocephalia constituta est, cujus caput est metropolis Minskiensis. Sergius, Tikhonianorum præsul, non solum ejus canonicam existentiam agnoscere recusavit, verum etiam Philaretum, primum ejus metropolitam, deposuit. Utrum hæc Autocephalia condemnationi hujusmodi supervixerit, ignoramus; cf. opusculum : *Secunda sessio Starotserkovnikov*, p. 17.

2. Eodem anno, intra Lithuaniæ fines degebant 32.000 Starovieri.

3. Eodem anno, in Lettonia erant 89.239 Starovieri; cf. M. Skujenecks, *Latvija, zeme un eendzivotoji*, Rigæ, 1927, p. 319.

6º Archiepiscopatus Græcorum utramque Americam habitantium, anno 1922 a patriarcha œcumenico constitutus. Ei præest « archiepiscopus Americæ septentrionalis necnon meridionalis », qui Neo-Eboraci sedet habetque tres episcopos suffraganeos, quibuscum synodum constituit. Dicunt fideles esse numero 200 000. Autonomia ista factionibus intestinis sæpe turbatur [1].

His Ecclesiis autonomis annumerandæ sunt quædam aliæ communitates « orthodoxæ », in Extremo Oriente sive apud Sinas, sive apud Japones adunatæ, quæ ante bellum in dicione erant Synodi Dirigentis petropolitanæ; de quibus nihil certi in præsenti habemus.

ARTICULUS III

De communi forma regiminis ecclesiastici apud Græco-Russos hodie vigenti, seu de autocephalismo synodali.

Prænotamina.

Omnium dogmaticarum differentiarum inter Ecclesiam catholicam et varios Græco-Russorum cœtus hodie existentium gravissima sane est illa quæ ad Ecclesiæ constitutionem, prout est societas visibilis, seu ad regiminis ecclesiastici formam spectat, quandoquidem in omni societate illud quod præcipuum est ac primas tenet ipsa auctoritas est qua regitur ac gubernatur.

Jam vero punctum certum in quo Græco-Russi, quantum ad hoc caput, a doctrina catholica nostris diebus recedunt, existentiam alicujus supremæ auctoritatis *permanentis*, quæ juris divini sit, directe, et addere possumus : fere *unice*, respicit. Illorum enim *plerique* [2] Ecclesiam Christi societatem

1. Inter Autonomias a patriarchatu œcumenico pendentes Ecclesiam Cretæ insulæ quis numerare possit; quæ a synodo quatuor episcoporum regitur. Secundum principia autocephalismi, hæc ad Ecclesiam hellenicam annectenda esset.

2. *Plerique*, non *omnes*; cf. quæ dicuntur infra, p. 286.

esse inæqualem seu hierarchicam, episcopos apostolorum successores esse Ecclesiisque particularibus tanquam duces ac capita visibilia præesse nobiscum profitentur. Agnoscunt etiam pro universali Ecclesia aliquam supremam atque infallibilem auctoritatem *transitoriam*, concilium scilicet œcumenicum, cujus decretis omnes particulares Ecclesiæ de necessitate obstringuntur. Negant vero Christum suæ Ecclesiæ primatem dedisse ac principem super omnes alios episcopos exaltatum, vera atque immediata jurisdictionis potestate in omnem Ecclesiam donatum, qui et præses et dux et caput visibile permanens sit totius Ecclesiæ *militantis*, ipsiusque Christi, Ecclesiæ universæ capitis invisibilis, *quantum ad externam fidelium et pastorum gubernationem ac directionem*, visibilis in terris vicarius.

Differentia, quæ inter conceptum catholicum et conceptum Græco-Russorum de Ecclesia visibili intercedit, aliis verbis declari potest : Catholici docent Ecclesiam militantem esse societatem ex divino jure regimine monarchico donatam unique primati visibili supremo subjectam; Græco-Russi vero eamdem Ecclesiam concipiunt tanquam glomerationem plurium societatum ab invicem quoad regimen externum *plerumque* omnino independentium; quæ tamen aliquando, necessitate postulante, per suos legatos, id est episcopos, in unum conveniunt, ut quæstiones controversas dirimant, vel leges pro omnibus Ecclesiis autocephalis de communi consensu statuant ac promulgent. Ecclesia militans, secundum conceptum catholicum, uni nationi vel regno quod a monarcha vel rege gubernetur bene comparari potest; conceptus vero Græco-Russorum suum fere adæquatum invenit exemplum in illo nationum synedrio quod Genevæ nuper constitutum est, cum hac tamen differentia, scilicet quod Genevense concilium sat frequenter suas habet sessiones; concilium vero œcumenicum Græco-Russorum adhuc in votis est.

Quotnam autem sint vel debeant esse Ecclesiæ autocephalæ seu independentes secundum Græco-Russorum conceptum primo aspectu non constat. Rem in abstracto consideranti primum apparet Ecclesias autocephalas tot posse esse quot sunt diœceses vel episcopi, cum juxta doctrinam

dissidentium nullus exstet in Ecclesia primas jure divino constitutus, et singuli episcopi sint æquo jure apostolorum successores, æquali potestate donati. De facto tamen Autocephaliarum numerus minor est quam episcoporum. Primum igitur quærendum est quodnam sit principium multiplicationis Autocephaliarum; quo detecto, de regimine interno cujusque Autocephaliæ inquirendum erit. Deinde, de partibus supremæ auctoritatis *transitoriæ* super omnes Autocephalias, seu concilii œcumenici, sermo erit. Quædam etiam de primatu patriarchæ Constantinopolitani, prout nunc exercetur, dicere juvabit; Græco-Russi enim huic præsuli aliquem primatum tribuere adhuc consueverunt. Postea de Autocephaliarum mutua societate disseremus; in fine vero tum de consequentiis theologicis ac politicis regiminis autocephalistici, tum de ejus historia apud Græco-Russos quædam subjiciemus. In octo ergo sectiones præsens articulus dividetur, scilicet : 1º De principio multiplicationis Autocephaliarum; 2º De phyletismo stricte dicto; 3º De regimine interno cujusque Autocephaliæ; 4º De partibus concilii œcumenici in systemate autocephalismi; 5º De primatu patriarchæ Constantinopolitani; 6º De Autocephaliarum mutua societate extra tempus quo perdurat concilium œcumenicum; 7º De consequentiis theologicis ac politicis autocephalismi; 8º De origine atque historia autocephalismi apud Græco-Russos [1].

I. — De principio multiplicationis Autocephaliarum.

Secundum doctrinam catholicam nihil impedit quominus inter episcopos, qui divina institutione tum ordine tum jurisdictione sunt æquales, aliqua subordinatio juris ecclesiastici quantum ad jurisdictionem constituatur, *expresse* ordinante vel *tacite* consentiente eo qui supremam ac immediatam in universam Ecclesiam a Christo accepit jurisdictionem, id est Petro ejusque successore Romano Pontifice.

1. De autocephalismo ut speciali forma regiminis ecclesiastici vix aliquid habent compendiorum dogmaticæ theologiæ auctores. Pauca tradunt quidam canonistæ vel polemistæ. Pleraque ex praxi Ecclesiarum autocephalarum, præsertim inde a sæculo XIX, colligenda sunt.

De facto, a primis Ecclesiæ sæculis, et primum quidem in Oriente, constitutæ sunt provinciæ ecclesiasticæ, ex quibus aliquæ, quæ postea titulo patriarchatus nuncupatæ sunt, super alias aliquam superiorem jurisdictionem exercuerunt. Præcipuus inter episcopos cujusque provinciæ præsul, metropolitanus vel metropolita dictus, in suos suffraganeos aliquo primatu *relativo* juris ecclesiastici donabatur; item patriarcha in metropolitanos sui patriarchatus. Harum metropolium vel patriarchatuum sedes, etiam illæ quæ ab apostolis immediate constitutæ sunt, sola excepta Romana sede Petri ejusque successoris, cujus primatus supremus divinæ est originis, non sunt ex se immutabiles ac permanentes; de loco in locum moveri possunt, perire possunt, aliasque in aliis civitatibus vel urbibus in earum locum sufficí fidei doctrina nequaquam vetat. Unde dogmati catholico non officit illud effatum in canonibus quorumdam antiquorum conciliorum occurrens, scilicet quod gradus ecclesiasticus seu major minorve jurisdictio alicujus sedis episcopalis ad gradum civilem urbis accommodatur [1], dummodo tamen hujusmodi principium ad Petri sedem non extendatur. Atqui peccatum fuit auctorum canonis 28 Chalcedonensis, quod Romanæ Sedis præeminentiam ex civili dignitate Romæ urbis, qua imperii capitis, verbis saltem repetere visi fuerint [2].

Hæc ideo præmittimus, ut præcipuus modernorum autocephalismi propugnatorum error statim a principio manifestus appareat. Hic in eo est, quod universalem Romani Pontificis jurisdictionem, ab antiquis Ecclesiæ temporibus tam in Oriente quam in Occidente semper agnitam ac revera exercitam, penitus tollunt, voluntque tot esse primates absolute independentes seu autocephalos, quot sunt regna

1. Cf. can. 12 et 17 concilii Chalcedonensis et can. 38 Trullanæ synodi. In canone 17 Chalcedonensi hæc leguntur : « Εἰ δέ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις, ἢ αὖθις καινισθείη, τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω : Si quæ civitas per imperialem auctoritatem novata est, aut si in posterum innovetur, civilibus ac publicis normis etiam ecclesiasticarum provinciarum ordinatio sit conformis. » Hardouin, *Acta conciliorum*, t. I, col. 607.

2. Cf. t. I hujus operis, p. 50 sq.

vel nationes politica independentia donatae. Hoc multiplicationis Autocephaliarum principium inde a primis sæculi elapsi annis in medium potissimum protulerunt Græci aliique peninsulæ balchanicæ incolæ qui, detrectato Turcarum exsecrando jugo, in novas nationes tum ab infidelibus, tum ab invicem politice liberas coadunati sunt.

Autocephalistæ huic rationi tanquam præcipuum fundamentum canonicum assignant canonem 34 apostolorum his verbis conceptum :

« Episcopi cujusque gentis, ἔθνους, agnoscere debent illum qui inter eos primas obtinet, et eum habere ut caput, nihilque amplius sine illius sententia agere : singuli autem illa sola faciant quæ parochiæ (seu diœcesi) propriæ et villis, quæ sub ea sunt, competunt; sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat. Sic enim unanimitas erit, et glorificabitur Deus per Christum in Spiritu Sancto [1]. »

Hoc canone provinciæ ecclesiasticæ seu metropolis internam ordinationem definiri, juraque et officia tum metropolitani tum episcoporum suffraganeorum clare statui satis constat; quod adhuc luculentius elucet, si hanc regulam

1. « Τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν, καὶ μηδέν τι περιττὸν πράττειν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης, ἐκεῖνα δὲ μόνα ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις· ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. Οὕτω γὰρ ὁμόνοια ἔσται, καὶ δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ Χριστοῦ ἐν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. » Idem statutum clarius expressum occurrit in canone 9 synodi Antiochenæ anni 341 : « Episcopi per singulas provincias constituti (τοὺς καθ'ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους) scire debent metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes undique, qui negotia habent, concurrunt. Unde placuit eum et honore præcellere, et nihil amplius sine illo cæteros episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam : Nisi ea tantum quæ ad suam diœcesim pertinent, et ad pagos, qui illis subsunt (καὶ ταῖς ὑπ'αὐτὴν χώραις). Unusquisque enim episcopus habeat suæ parochiæ potestatem, ut regat juxta sollicitudinm cuique competentem et curam gerat totius regionis quæ est sub ejus civitate, ita ut presbyteros et diaconos ordinet et cum judicio singula comprehendat. Amplius autem nihil agere tentet præter antistitem metropolitanum, nec metropolitanus aliquid faciat sine cæterorum consilio. » Omnino verisimile est canonem apostolicum non esse nisi canonis Antiocheni textum abbreviatum. Nota loco vocis « ἐπαρχίας », apostolicum habere vocem « ἔθνους ».

cum canone 9 synodi Antiochenæ anni 341 accurate conferas. Ita et veteres canonistæ byzantini et multi ex recentioribus formulam interpretati sunt [1]. Non ita vero autocephalismi doctores nostri ævi, sed in verbis *uniuscujusque gentis*, ἑκάστου ἔθνους, insistunt. Ἔθνος illis idem sonat ac *gens* seu *natio* politice independens, perfectam atque autonomam societatem constituens, ita ut canoni pseudo-apostolico hunc fere sensum præfigant :

« Quæcumque gens seu natio politice autonoma jus etiam habet ad plenam independentiam in ordine ecclesiastico. Ei licet Ecclesiam localem ad normam perfectæ Autocephaliæ ordinare sub quodam primate, qui eam una cum episcopis regionis omnino independenter regat atque gubernet. »

Provocant etiam, et sane potiori jure, ad canonem 28 Chalcedonensem, qui, ut notum est, præsulem Constantinopolitanum super omnes alios episcopos Orientis exaltat non solum quantum ad primatum honoris, sed etiam quantum ad primatum jurisdictionis — illi enim tribuit jus recipiendi appellationes pro toto Oriente —, eo quod Constantinopolitana civitas imperatoris et senatus sedes facta est et totius imperii caput. Unde in hunc modum argumentantur : ex quo aliqua civitas caput fit alicujus regni seu nationis independentis, episcopus illius civitatis primatum meretur super omnes alios episcopos hujus regni vel nationis. Ecclesia autem in hoc regno existens jus habet seipsam independenter regendi ad normam canonis apostolici : aliis verbis, ipso facto autocephala evadit.

II. — De phyletismo stricte dicto.

Vox ἔθνος in canone 34 apostolorum duplici sensu accipi potest, scilicet vel pro Statu seu natione politice

1. Cf. interpretationem Zonaræ, Aristeni et Balsamonis in *P. G.*, t. CXXXVII, col. 106-108. Item, sæculo XIX patriarchatus œcumenici theologi eamdem exegesim tuiti sunt contra Græcos novi regni hellenici, Bulgaros aliosque, qui jura autocephalismi ecclesiastici sibi vindicarunt ex ipso canone 28 Chalcedonensi necnon ex 34 apostolico; cf. Mansi-Petit, *Amplissima collectio conciliorum*, t. XL, col. 191-194; t. XLV, col. 201-202.

independente, vel pro *gente* stricte sumpta seu *tribu* (gallice *race*) ex eadem stirpe oriunda, eadem dialecto utente, eadem indole prædita, sive illius gentis seu tribus soboles tota in uno eodemque Statu independente sit collecta, sive in plures Status seu nationes sit dispersa. Priore sensu vocem ἔθνος intellexerunt plerique autocephalistæ, hancque interpretationem, saltem in praxi, sua auctoritate vel inviti sanxerunt ipsi patriarchæ Constantinopolitani, dum autocephalismi τόμους post multas litigationes longaque colloquia concesserunt illis Ecclesiis autocephalis, quæ in novis Statibus peninsulæ balchanicæ ab imperio turcico distractis constitutæ sunt. Bulgari vero, omnium primi, antequam plenam independentiam politicam adepti fuissent, alterum sensum voci ἔθνος tribuerunt, remque significatam in praxim deduxerunt, particulares cœtus ecclesiasticos cum gentili hierarchia efformantes ubicumque fideles ad gentem Bulgarorum pertinentes bulgariceque loquentes invenirentur, etiam in illis locis et urbibus ubi hierarchia « orthodoxa » alterius stirpis et dialecti jam canonice existebat. In hac nova autocephalismi forma, principium multiplicationis Autocephaliarum non est omnino idem ac primum jam elucidatum; siquidem non Statuum vel nationum politice independentium ratio habetur, sed ex numero gentium seu tribuum Autocephaliæ multiplicantur, Statuum independentium geographicis limitibus neglectis. Hoc fundamento nititur bulgarici Exarchatus constitutio.

In hanc alteram autocephalismi acceptionem vehementer invecti sunt Græci patriarchatus Constantinopolitani cæteræque græcæ dialecti Autocephaliæ, probrosaque *phyletismi* (= ὁ φυλετισμός, *ex* φυλή, *tribus*) appellatione eam nuncuparunt. Phyletismus solemni condemnatione mulctatus est a synodo Constantinopolitana anno 1872, septembri mense habita, cui interfuerunt patriarchæ Constantinopolis, Alexandriæ et Antiochiæ, Cypri archiepiscopus, 25 metropolitæ aliæque ecclesiasticæ dignitates; quam reddere œcumenicam patriarcha œcumenicus incassum conatus erat :

« Reprobamus, ait synodus, vituperamus atque damnamus τὸν φυλετισμόν, id est phyleticas separationes, litigationes, simultates ac ethnicas divisiones in Ecclesia Jesu

Christi, utpote evangelicæ doctrinæ sanctisque nostrorum beatorum Patrum canonibus, qui sunt sanctæ Ecclesiæ firmamentum, oppositas... His sanctis canonibus obsequentes, alienos ab una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia verique nominis schismaticos declaramus eos omnes, qui hujusmodi phyletismo adhærent et super isto principio fundare non dubitant phyletica conciliabula hactenus inaudita. Consequenter schismaticos atque ab orthodoxa Christi Ecclesia extraneos habemus eos omnes qui ab Ecclesia orthodoxa seipsos segregarunt, altare separatum erexerunt atque παρασυναγωγὴν phyleticam constituerunt [1]. »

Huic sententiæ suffragatæ sunt quidem Autocephaliæ græci sermonis; Rumeni vero atque Ecclesiæ slavicæ non ita; quæ communionem cum Bulgaris non abruperunt; unde ab illo tempore usque ad præsentem diem Græcis dissidentibus Bulgari habentur schismatici.

1945 Reconciliatio cfr. W. de Vries, Der christl. Osten in Gesch. u. Gegenwart, Würzburg '51 p. 141-142. La Docum. Cath. 11 Mai 1947.

Porro phyletistæ Bulgari suæ agendi rationis non unam protulerunt defensionem. Primum quidem et ipsi ad auctoritatem canonis 34 apostolorum provocarunt, dicentes vocem ἔθνος potius significare *gentem* quam *nationem* seu *juridicam civitatem*, minime vero, ut Græci contendebant, *eparchiam* seu provinciam ecclesiasticam. Deinde memoriam renovarunt illius Autonomiæ ecclesiasticæ a Græcis anno 1767 abolitæ, cujus primatialis sedes fuit civitas Akridensis; quæ sane phyleticam indolem intra unius imperii Turcarum fines præ se ferebat; quod et de patriarchatu serbico Ipekii item asserere licebat. Tandem et quædam argumenta minus valida, ex sacra Scriptura vel antiqua traditione deprompta in medium producebant, dicentes, v. g., apostolum Paulum ad Ecclesias inter *gentes* (non *nationes*) constitutas haud semel alludere; ipsum gentium apostolum vocari; in quibusdam conciliis suo gentilicio nomine quosdam episcopos

1. « Τοὺς παραδεχομένους τὸν τοιοῦτον φυλετισμὸν καὶ ἐπ᾽αὐτῷ τολμῶντας παραπηγνύναι καινοφανεῖς φυλετικὰς παρασυναγωγὰς κηρύττομεν, συνῳδὰ τοῖς ἱεροῖς κανόσιν, ἀλλοτρίους τῆς μιᾶς, ἁγίας, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο σχισματικούς. » Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XLV, col. 533; cf. ibidem, col. 472-486, confutationem phyletismi a Græcis conceptam.

subscripsisse, ut v. g., in concilio Nicæno I : « Theophilus, Gothorum episcopus [1]. »

Statum præsentem Ecclesiarum autocephalarum inspicienti apparet nunc phyletismi labe maculari non solos Bulgaros, verum etiam quasdam alias Autocephalias, quæ propriam hierarchiam constituerunt in regionibus ubi jam aliæ « orthodoxæ » diœceses exstabant. Primum exemplum habes Russorum τῆς διασπορᾶς, qui tum in Yugoslavia tum aliis in locis παρασυναγωγὰς particulares habent. Item, in Statibus fœderatis Americæ septentrionalis varias jurisdictiones invenis : Græcorum scilicet, Slavorum, Rumenorum [2]. In Cecoslovachia, præsul a patriarcha œcumenico creatus nuper expulsus est, in cujus locum promotus est patriarchæ Serborum candidatus. De Ecclesiis russicis invicem inimicis non loquimur, quippe quæ, ut supra diximus, in uno eodemque territorio singulæ propriam hierarchiam crearunt [3].

Ut phyletismi extensioni viam præcluderent, patriarchæ Constantinopolitani jurisdictionem in omnes Græco-Russos extra proprios fines degentes in regionibus ubi Ecclesia autocephala nondum constituta est, haud semel sibi vindicarunt, concilii Chalcedonensis canone 28 innixi, quo præsuli Novæ Romæ jurisdictio confertur in eas partes diœcesum Ponti, Asiæ proconsularis et Thraciæ, quæ *Barbarorum ditioni subdebantur* [4]. « Horum verborum, inquiunt

1. *Ibid.*, col. 472-474. De tota hac quæstione quædam in *Échos d'Orient* scripsimus : *Nationalisme et phylétisme dans l'Église gréco-russe*, t. xxiv, 1925, p. 326-339.

2. Anno 1925, Rumeni duos episcopatus extorres constituerunt, unum pro America, alterum pro Europa; cf. *Échos d'Orient*, t. xxv, 1926, p. 233.

3. Nonne ipse patriarchatus Constantinopolitanus phyletismo thus adolevit, dum contra autocephalismi principia, ab anno 1913 ad annum 1928, in metropoles Macedoniæ et Thraciæ ad Statum hellenicum jam pertinentes jurisdictionem sibi retinuit? Tibi respondebunt Phanarii præsules patriarchatus œcumenici jura principio autocephalismi præcellere, cæterum se hujus principii consequentias nonnisi invite subiisse.

4. « Ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Θρακικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ἀπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατα Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας. »

Constantinopolitani, non tam litteralem sensum attendas quam significationem analogam et intentionalem. Barbaricæ partes, de quibus loquuntur Patres Chalcedonenses, supponunt pro omnibus regionibus extra Statuum Orthodoxiæ addictorum fines sitis, in quibus fideles orthodoxi degunt; unde hi omnes patriarchæ œcumenici regimini subsunt. » Huic ingeniosæ interpretationi Ecclesia russica ante bellum nequaquam suffragabatur, quippe quæ proprios episcopatus extra Russiæ limites tum in America, tum apud Sinas et Japones creaverat. Recenter tamen Meletius IV, patriarcha œcumenicus, ex canone 28 Chalcedonensi jurisdictionem in Russos extorres sibi tribuere non dubitavit [1]. Idem anno 1922 jurisdictionem in Græcos Americæ, quæ anno 1908 Ecclesiæ hellenicæ ad tempus et sub certis conditionibus concessa fuerat [2], resumpsit.

III. — De regimine interno cujusque Autocephaliæ. De principio collegiali seu "sobornost".

Regimen apud Ecclesias græco-russicas hodie communiter vigens vocavimus autocephalismum synodalem. Voce *autocephalismus* sufficienter explanata, restat ut appositum *synodalis* explicemus.

De hac quæstione potissimum egerunt theologi russi recentiores, ex quibus haud pauci regimen collegiale seu *sobornost* veræ Christi Ecclesiæ essentiale esse et ex ejus notis unam autumare non dubitarunt [3]. *Sobornost* alii a

1. Cf. M. d'Herbigny, *L'âme religieuse des Russes d'après leurs plus récentes publications*, Romæ, 1924, p. 59-70 (*Orientalia christiana*, t. iii).

2. Cf. *Échos d'Orient*, t. xi, 1908, p. 54-55, 243-245. In Ecclesia catholica, quamdam phyletismi speciem apud Orientales unitos deprehendimus, quæ non directe super gentilitate fidelium, sed super diversitate ritus vel linguæ liturgicæ fundatur. Ita tres patriarchas Antiochenos rituum Orientalium habemus præter latinum, qui mere titularis est. Item in America septentrionali, episcopi ritus orientalis pro Ruthenis catholicis nuper constituti sunt, qui tamen Ordinariis latinis subordinantur.

3. De principio synodali seu *sobornost* vix aliquid habent theologi græci, quanquam in Autocephaliis græcis regimen collegiale revera

vocabulo *sobor* (= *concilium*, *synodus*) simpliciter derivant; alii vero ab epitheto vetero-slavico *sobornaia*, quo slavice primum redditum est appositum καθολική Ecclesiæ in symbolo Nicæno-Constantinopolitano tributum, ita ut *sobornost* idem illis sit ac *catholicitas* (*capholitchnost*) [1]. Hi et illi tamen in hoc conveniunt, quod voci *sobornost* præfigunt eamdem fundamentalem significationem : *Sobornost* seu *sobornoe natchalo* (= principium synodale) regimen collegiale designat quatenus opponitur regimini unius personæ seu *natchalo edino litchnago pravleniia*.

Quidquid sit de etymo τῆς *sobornost*, verum est in plerisque Ecclesiis autocephalis regimen synodale seu collegiale hodie vigere; unde non solum ab Ecclesia universa, verum etiam a singulis Ecclesiis independentibus Græco-Russi monarchiam seu regimen unius expellunt. Auctoritas suprema ecclesiastica cuique Autocephaliæ præfecta non ab uno tantum præsule, sed a pluribus in unum synodaliter seu collegialiter adunatis exercetur. Etiam in illis Ecclesiis, quibus præest primas aliquis patriarchæ titulo aliove nomine decoratus, huic primati plerumque assidet synodus aliqua episcoporum, quæ una cum primate Autocephaliam regit, sine cujus suffragio primas nihil aut fere nihil proprio motu decernere potest. Synodus hujusmodi est verum caput visibile, *saltem ex parte*, cujusque Autocephaliæ.

Dicimus synodum episcoporum esse caput visibile Ecclesiæ autocephalæ *ex parte tantum*, et *non ex toto*, quia suprema auctoritas singulas Autocephalias regens ubique duplex

existit. Multo plura de hac quæstione invenies apud canonistas. Canonista serbus Milasch, *Jus ecclesiasticum orthodoxæ orientalis Ecclesiæ*, ed. græca, Athenis 1906, de ea disserit, pars II, § 57, p. 326-327.

1. De significatione et origine epitheti *sorbornaia* fusius infra agimus, ubi de notis Ecclesiæ. *Sobornost* his verbis nuperrime definiebat archiepiscopus Gregorius, factionis Tikhonianorum e suo nomine nuncupatæ præsul (cf. p. 232) : « *Sobornost* sive *capholichnost* est Ecclesiæ nota essentialis, id est, Ecclesia ex se repræsentat conventum credentium omnium locorum, temporum et gentium, atque tota ejus vita non uniuscujuscumque personæ, sed collegiali ratione innititur, id est communibus conatibus principum pastorum, pastorum et fidelium, sub invisibili spirituali directione capitis Ecclesiæ, Domini Jesu Christi scilicet, necnon sub vivificanti gratia Sanctissimi Spiritus. » *Secunda Mosquensis sessio Starotserkovnikorum*, Mosquæ, 1928, p. 2.

est : una nempe ecclesiastica, altera civilis. Hæc altera est ipsissima auctoritas civilis cujusque Status in quo Ecclesia autocephala invenitur. Si vero quæras quænam ex utraque auctoritate primas partes revera obtineat, τὴν ἡγεμονίαν in Ecclesiam de facto exerceat, respondendum hanc esse potestatem civilem, cujus partes in Ecclesia administranda seu *quantum ad jurisdictionem proprie dictam*, eædem fere sunt quas Papa tenet in Ecclesia catholica. Unde jure asseritur antiquum cæsaropapismum plus minusve attenuatum, vel etiam quandoque ingravatum, apud Græco-Russos adhuc vigere. Hujus cæsaropapismi existentiam certis documentis ac factis in capite IX hujus tractatus probabimus [1].

Notandum est synodos variis Autocephaliis præpositas non esse omnes unius ejusdemque formæ. Quædam enim *perpetuæ* sunt, et continenter sedent : ita synodus hellenica, synodi quatuor patriarchiorum orientalium, pristina synodus dirigens Russorum, synodus novi patriarchatus Serborum; quædam vero *periodicæ* sunt statisque temporibus (plerumque semel in anno, raro bis) convocantur : ita synodus Cypria, synodus novi patriarchatus Rumenorum. Pleræque sunt stricte *episcopales*, eæ scilicet quæ ad normam canonum ex solis constant episcopis, « quos Deus posuit regere Ecclesiam Dei » : ita synodus Constantinopolitana, synodus serbica, synodus rumenica. Aliæ, præter episcopos, quædam habent membra ex clero inferiori, sæculari vel regulari sumpta, ut synodus Hierosolymitana [2], pristina synodus Petropolitana [3], aliquamdiu synodus ser-

1. Vide, p. 598 sq.

2. Inter hujus synodi membra, præter episcopos veniunt plures archimandritæ et unus archidiaconus.

3. Synodi Dirigentis compositio temporum decursu haud semel variavit. Primum quidem constitit ex quinque episcopis, quatuor archimandritis, duobus hegumenis, hieromonacho uno, duobus archipresbyteris et duobus aliis clericis, præter « tsari oculum », scilicet summum procuratorem (*ober procuror*), qui semper ex laicis sumptus est. Anno 1763, Catharinæ II imperatricis jussu, sex membra habuit, scilicet tres archiepiscopos, duos archimandritas, archipresbyterum unum. Inde vero ab anno 1819, membra fuere numero septem haud minus, nempe episcopi quatuor, archimandritæ duo (magnus capellanus exercitus et classis necnon imperatoris et aulæ capellanus), archi-

bica [1], ante bellum synodus Montis Nigri [2]. Quædam tum res mere spirituales, tum res mixtas necnon bona ecclesiastica per se solas curant : ita synodus hellenica, synodus patriarchatus serbici una cum conventu episcoporum, etc. Quædam autem adjunctum habent quoddam *Consilium mixtum* ex laicorum majori numero, clericorum minori plerumque constans, quod bonorum ecclesiasticorum administrationi aliisque mixti generis rebus curandis præficitur : ita synodus Constantinopolitana ab anno 1860 usque ad annum 1923 in administranda Ecclesia socium habuit Consilium mixtum ex quatuor metropolitis et octo laicis compositum; item in patriarchatu Carlovitsiano nationale Consilium exstabat, cujus membra erant 25 clerici et 50 laici. Hodie in novo patriarchatu Rumenorum, bonorum ecclesiasticorum administratio tribuitur cuidam Concilio nationali ecclesiastico laicorum majori numero constans.

Ex dictis patet regimen collegiale, prout in quibusdam Autocephaliis viget, antiquis Ecclesiæ orientalis canonibus adversari, quatenus clero inferiori ac præsertim laicis eas concedit partes quæ solis episcopis competunt [3].

Theologi et canonistæ græco-russi plura argumenta tum ex sacra Scriptura, tum ex Traditione, tum etiam ex ratione petita proferunt, ut regimen synodale seu τὴν *sobornost* commendent ac confirment, regimen vero unius seu regimen monarchicum ac papale convellant. Ex sacra Scriptura ea omnia promunt, quæ ostendunt apostolos in quæstionibus

presbyter unus. Neque huc steterunt mutationes. Alexandro III regnante, soli assumebantur episcopi; postea quædam cleri albi membra rursum vocati sunt; item præfati duo capellani (exercitus classisque ac imperatoris), qui ad clerum album pertinebant, synodo plerumque adjuncti sunt.

1. Ab anno 1882 ad annum 1900, serbica synodus constitit ex Beligradensi metropolitano, quatuor aliis episcopis, duobus archimandritis et quinque archipresbyteris.

2. Hæc duos habebat episcopos, archimandritas duos, tres archipresbyteros, scribam unum.

3. Consiliis mixtis in quibusdam Autocephaliis constitutis ut juri ecclesiastico contrariis reclamat canonista Milasch, *op. cit.*, pars II, § 99, p. 487 sq. Theologi et canonistæ russi synodum dirigentem a Petro Magno creatam prorsus anticanonicam esse haud semel pronuntiarunt.

alicujus momenti tractandis vel controversiis dirimendis collegialiter plerumque egisse. Item dicunt regimen hujusmodi præcepto fraternæ charitatis potissimum congruere. Ad traditionem autem ecclesiasticam quod attinet, ad canonem 34 apostolorum supra recitatum iterum provocant necnon ad canonem 9 synodi Antiochenæ anni 341 et ad universalem praxim in antiqua Ecclesia receptam. Rationis vero argumenta novem in regiminis collegialis laudem evolvit Theophanes Procopovitch in prima parte *Regulamenti sive Statuti spiritualis Collegii*, ad cujus textum lectorem remittimus [1].

Diximus quosdam theologos regimen synodale seu *sobornost* ita extollere, ut hoc ad Ecclesiæ essentiam pertinere dicant. Alii tamen, certis documentis factisque historicis innixi, contradicunt, inter quos invenimus Alexandrum Lebedev in ipso suo tractatu contra Papæ principatum :

« Theologis orthodoxis, inquit, solenne est pronuntiare in Ecclesia latina principium regiminis unius vigere, in Ecclesia vero orientali principium synodale. Verum differentiam inter utramque Ecclesiam existentem ita definire totam rei essentiam non declarat. Tum principium regiminis monarchici, tum principium regiminis collegialis (*sobornosti*) pressiori et absoluta definitione determinanda sunt; quemamodum enim prius non est necessario heterodoxum, ita et posterius non est ex se absolute orthodoxum. Si christianismus orthodoxus totus in uno tantum patriarchatu vel in una natione sub uno duce spirituali tanquam capite permaneret, talis monarchia (*edinonatchalie*) essetne heterodoxa? Minime gentium. Patriarcha siquidem vel metropolita, qui totius christianismi orthodoxi caput fieret, et ut talis ab omnibus pastoribus et fidelibus suæ provinciæ acciperetur, quamvis Papæ effigiem non omnino præ se ferret, ad illum tamen, ut nobis videtur, similitudine prope accederet. Unde — hoc iterum dicimus — regimen unius, prout in

1. Optimam editionem cum versione gallica et latina *Regulamenti ecclesiastici* Petri Magni publici juris fecit C. Tondini, *Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand*, Paris, 1874, adjectis doctis commentationibus. Hanc editionem in *Coll. conciliorum Mansiana*, t. XXXVII, L. Petit iteravit.

Ecclesia latina usurpatur, ex se nondum est principium heterodoxum. Potest esse orthodoxum vel heterodoxum pro modo quo in praxim deducitur. Fuit sane legitimum et, ut moderne loquar, orthodoxum in Ecclesia Veteris Testamenti. Judæorum pontifices, qui regiam potestatem sacerdotio aliquando in se cumularunt, ex hoc ipso Romanis Pontificibus nequaquam similes evaserunt... Aliunde neque ipsa *sobornost* orthodoxia inconditionate donatur; non enim qualiscumque synodus est orthodoxa ex hoc ipso quod est episcoporum conventus. Synodus ad Quercum contra Joannem Chrysostomum congregata, synodus Dioscori Ephesi habita, conciliabulum Iconomachorum (anni 753), Florentinum tandem ab Ecclesia orthodoxa rejiciuntur et heterodoxia damnantur, quamvis ex illis synodis quædam... œcumenicitatem sibi vindicaverint. Ergo tam pro regimine unius quam pro collegiali criterium altius ac perfectius existit, quo orthodoxia unius vel alterius discerni possit [1]. »

Revera regiminis monarchici seu *personalis* exempla in Ecclesia græco-russica olim exstitisse et adhuc inveniri non uno constat documento. Fuit, v. g., tempus quo patriarchæ Mosquenses suam in alios Russiæ episcopos jurisdictionem absque cujuscumque synodi interventu exercerent [1]. Item Montis Nigri episcopus rex simul ac monarchicus pontifex hujus regionis diu exstitit, et Montis Sinai archiepiscopus fuit semper solus. Quondam etiam patriarcha Alexandrinus absque synodo suam rexit Ecclesiam. Recentiori tempore, archiepiscopus Beligradensis, Serbiæ metropolitanus, quibusdam juribus primatialibus in universum clerum regni Serborum gaudebat, ita ut, ad jurisdictionem quod attinet, alios episcopos suffraganeos vere superaret; ei siquidem competebat synodum episcoporum convocare illique cum suffragio prævalenti præesse, episcopos consecrare, eis peregrinandi licentiam concedere; neque absque ejus consensu episcopis licebat quamcumque mutationem in ecclesiasticam ordinationem introducere. Quædam ex istis privilegiis servat novus Ipekiensis patriarcha.

1. *Op. cit.*, p. 7-8. Revera regiminis collegialis privilegium seu monopolium non habet Ecclesia græco-russica. Non defuerunt sane nec adhuc desunt in Ecclesia catholica synodi tum œcumenicæ tum particulares. Dum autem Ecclesiæ autocephalæ septem tantum concilia œcumenica communiter noverunt, Ecclesia catholica decem et novem hujusmodi jam numerat. Præterea, quamquam Papa immediatam ac sibi propriam in universam Ecclesiam jurisdictionem habet, personalique infallibiliter docendi munere donatur, attamen Romæ, nostris etiam temporibus, ubi maxima viget omnium rerum ecclesiasticarum centralis administratio, omnia *collegialiter* per varias Congregationes examinantur et cum Summi Pontificis approbatione ultimo solvuntur atque dirimuntur. Ipse Romanus Pontifex, quando aliquod magni momenti inceptum vel propositum meditatur, vel etiam aliquod dogma ex cathedra definire intendit, episcoporum collegium consulere consuevit. Sine ulla controversia, principium collegiale super fraterna caritate fundatum frequentius in Ecclesia catholica usurpatur quam in Ecclesiis autocephalis Orientis, ubi civilis potestas ex auctoritate, et haud raro autocratice, contra Ecclesiæ beneplacitum vel commodum quæstiones ecclesiasticas sine appellatione non semel tractat ac solvit.

IV. — De partibus concilii œcumenici in systemate autocephalismi.

De ipso concilio œcumenico ut magisterii ecclesiastici organo hic non agimus, sed sub quodam particulari aspectu illud consideramus, quatenus scilicet in forma regiminis ecclesiastici *autocephalismus* dicta tanquam unitatis regiminis pro universa Ecclesia unica manifestatio atque momentaneum unitatis centrum apparet. Jam vero Græco-Russi sub hoc respectu de eo disserunt tum quatenus est in ipso fieri, tum quatenus est jam in facto esse.

Sub prima ratione spectatum, hujusmodi concilium a quibusdam vocatur *caput visibile transitorium* totius Ecclesiæ; quod alii recipere nolunt, ne Ecclesiæ capita duo, unum visibile, invisibile alterum tribuere videantur bicephalumque faciant corpus Christi mysticum. Quatenus autem *in facto esse* consideratur, id est in suis decretis et canonibus, quæ vim legis pro tota Ecclesia habere non cessant, etiam postquam concilium actu non amplius existit, quidam theologi ad aliquam mentis fictionem recurrentes, hos canones

1. Patriarcha Nicon docebat patriarcham Christi imaginem referre, metropolitas vero et episcopos apostolorum et discipulorum locum tenere ; cf. Kapterev, *Patriarch Nicon i tsar Alexiei Mikhaïlovitch*, t. II, p. 129-130, Serghiev Possad, 1912.

pro perpetua visibili auctoritate universæ Ecclesiæ præfecta ponere tentant, ut a difficultate quam Catholici de necessitate alicujus capitis visibilis pro visibili Ecclesia movere solent, hoc pacto se expediant. Dicunt nempe antiqua concilia œcumenica nondum esse penitus mortua, sed aliquo modo sibi superesse, quatenus scilicet per sua decreta Ecclesiam universam regere pergunt eique præsunt. « Concilia œcumenica, ait Alexander Bielaev, continenter, ad hodiernam usque diem, per decreta et regulas a se promulgatas Ecclesiam gubernare non destiterunt [1]. » Et ita in tuto ponitur principii synodalis seu *sobornosti* perennitas. Hoc modo etiam theologi isti Catholicis concedere non dubitant quod ab aliis tam acriter repellitur, scilicet ad unitatem Ecclesiæ universæ servandam, aliquam auctoritatem visibilem perpetuam necessariam esse. Conciliis œcumenicis siquidem capitis visibilis partes pro universali Ecclesia revera tribuunt. Caput autem hujusmodi non est una persona; est collegialis quædam auctoritas; quod cum « Orthodoxia » optime congruit.

Alii vim ac momentum canonum a septem primis conciliis prolatorum paulo aliter declarant. Non enim eos habent ut quosdam totius Ecclesiæ duces ac præsides sed ut constitutionem Ecclesiæ scripto traditam, cui in regimine proprio conformare se debent Ecclesiæ particulares. Sub hac ratione, multi theologi de unitate disciplinæ ecclesiasticæ, de unitate canonica vel de unitate regiminis et ordinationis ecclesiasticæ loquuntur [2]. Hanc vero regiminis unitatem non numericam sed specificam esse per se patet. Eadem sane ratione, duæ nationes ab invicem independentes, eamdem autem

1. *De Ecclesiarum unione. Examen Encyclicæ Leonis papæ XIII die 2 junii anno 1894 datæ*, Serghief Possad, 1897, p. 101-102.

2. Ita Lebedev, *op. cit*, p. 105 : « Symbolum, liturgia, ecclesiastici canones, en triplex murus, quo munitur una, catholica, sancta et apostolica Ecclesia. » Item, p. 108 : « Ecclesia orthodoxa orientalis fideliter retinet regimen et legislationem ecclesiasticam in canonibus conciliorum œcumenicorum sancitam. » Malinovski, *Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ compendium*, t. II, p. 219-220, loquitur etiam de triplici unitate fidei, cultus et *legislationis canonicæ*. Mesoloras, Συμβολική, t. II, p. 80, canones apostolorum et conciliorum esse quasi constitutionem Ecclesiæ orthodoxæ expresse asserit.

constitutionem politicam habentes, in unitate regiminis communicare dici possunt.

Litteram mortuam canonum capitis visibilis universæ Ecclesiæ vicibus gerendis omnino imparem esse nemo non videt. Habes hic meram fictionem juridicam. Cæterum, si ad rerum veritatem attendas, constitutionem hodiernam cujusque autocephaliæ a canonibus septem priorum conciliorum in multis discrepare, unitatemque canonicam, de qua loquuntur theologi non pauci, item purum esse figmentum, statim deprehendes; quod candide quidam fateri non dubitant [1].

V. — De primatu patriarchæ Constantinopolitani.

Cujusnam indolis sæculorum decursu fuerit Constantinopolitanæ sedis primatus, quidve de eo senserint tum ipsi patriarchæ œcumenici, tum Græco-Russi alii, non est hic dicendi locus, sed in capite quinto hujus tractatus declara-

1. Apostolos Christodulou, Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου, Constantinopoli, 1896, p. 55-69, fatetur majorem partem canonum antiquorum non amplius observari in Ecclesia orthodoxa, illosque theologos et canonistas impugnat qui affirmant canones esse immutabiles. Immutabilitas, inquit ille, solummodo congruit decretis dogmaticis conciliorum. Antiqui canones sunt quasi perfectionis exemplar, ad quod respicere debent moderni Ecclesiæ legislatores. Suvorov, *Enchiridion juris ecclesiastici*, 4ª ed., p. 184-186, antiquos canones habet tantummodo ut fontem subsidiarium legislationis canonicæ hodiernæ : « Revera, ait, talem canonem ægre invenies qui praxi hodiernæ ad litteram aptetur ». P. 185. In secundo dimidio sæculi XVIII, Synodus Dirigens in quadam sui legati relatione dicebat : « Ut imperialis potestas canones septem conciliorum œcumenicorum decemque synodorum particularium necnon græcas leges confirmet, efflagitare convenit. » Verum, Ecclesiæ russicæ praxis non regulis apostolorum vel sanctorum Patrum canonibus, sed usibus per decursum temporum introductis legibusque gentilibus definita est. Vide articulum inscriptum : *De constitutione canonica*, in *Nuntiis Ecclesiasticis* Synodi Dirigentis, anno 1912, nº 22 et 23 (Cf. *Échos d'Orient*, t. XV, p. 454-456), ubi principia fundamentalia constitutionis Ecclesiæ ad tria reducuntur, scilicet : 1º regimen episcoporum per legitimam ordinationem ab apostolis dimanans; 2º hierarchia autocephala et nationalis; 3º principium synodale. Omnia alia mutationi subjacent et in variis Autocephaliis variant.

bitur. In præsenti hoc tantum quærimus, scilicet quid de hoc primatu in praxi ecclesiastica Orientis byzantini remanserit, ex quo autocephalismus nationalis, vel etiam phyletismus invaluit.

Quæstio satis implexa est. Sub aspectu quidem speculativo ac dogmatico, autocephalismus nationalis, prout supra definitus est, cum vero jurisdictionis primatu cujuslibet præsulis qui super episcopos cæterarum Autocephaliarum constitueretur eisque in certis casibus imperaret, componi nequaquam potest. Unde theologi et canonistæ græco-russi recentiores patriarchæ œcumenico primatum quidem honoris ac præcedentiæ communiter agnoscunt, cujus fundamentum mere historicum et ecclesiastici juris, non divini, ponunt canonem 3 synodi III œcumenicæ necnon canonen 28 Chalcedonensis; veram autem jurisdictionem in cæteras Ecclesias autocephalas ei denegant. Neque ei tribuunt jus simpliciter convocandi concilium œcumenicum, quamvis his ultimis temporibus patriarchæ Constantinopolitani haud semel rem tentaverint, at semper incassum. Neque ejus decretis, etiam illis quæ ad communionem in sacris cum aliis Ecclesiis spectant solemnique sententia synodaliter prolata sunt, obtemperant, ut ex agendi ratione multarum Autocephaliarum cum Bulgaris vel Albanis a patriarcha œcumenico inter schismaticos relatis videre est. Neque ejus immixtionem et interventum in proprias res aliæ Autocephaliæ tolerant, quotiescumque saltem hujusmodi immixtio eis non placet nec in earum commodum cedit : quod ex recentissimis documentis ac factis elucet. Ita, anno 1924, patriarcha œcumenicus Gregorius VII Ecclesiæ russicæ miserando statui consulere volens, tres metropolitas græcos de rebus hujus Ecclesiæ inquisituros Mosquam mittendi cum sua synodo consilium inivit, simulque ad patriarcham Tikhonem litteras direxit, quibus eum instanter hortabatur, ut pro bono pacis patriarchatu se abdicaret, immo ipsius patriarchatus suppressioni temporaneæ suffragaretur. Ei Tikhon in hunc modum respondit :

« Lectis synodicis relationibus istis, haud parum mirati sumus quod patriarcha œcumenicus, absque ulla prævia monitione ad nos directa, qui totius Ecclesiæ russicæ autocephalæ caput sumus ac personam gerimus, vitæ intestinæ rebusque Ecclesiæ russicæ autocephalæ sese immiscuerit non invitatus. Sancta concilia (vide canones 2 et 3 secundæ synodi œcumenicæ) episcopo Constantinopolitano primatum quidem honoris, non autem jurisdictionis, super cæteras Ecclesias autocephalas semper agnoverunt et agnoscunt. Hunc canonem insuper ad memoriam revocamus : « Ne transgrediantur episcopi propriæ diœcesis limites sive ad ordines conferendos, sive ad quodlibet aliud, quod Ecclesiæ vitam respiciat, incipiendum [1]. »

Item, cum anno 1921, archimandrita græcus nomine Callistus, in commentario Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος de patriarchæ œcumenici juribus ac privilegiis dissertationem edidisset, ubi certis factis ostendebat patriarcham œcumenicum tum antiquitus, tum etiam in epocha moderna, verum quemdam jurisdictionis primatum in omnes Ecclesias autocephalas et in ipsos patriarchas orientales exercuisse [2], Christophorus, Leontopolis in Ægypto episcopus, dictis Callisti vehementer reclamavit, interventus et immixtiones patriarcharum Constantinopolitanorum in res aliarum Ecclesiarum arbitrarias prorsus ac juri opposita pronuntians, sequentiaque subjiciens :

« Quatuor patriarchæ orientales dignitate inter se pares sunt; eorum nullus alteri inferior... Neque canones, neque Ecclesiæ praxis gradum peculiarem ac sublimiorem vel majorem præ cæteris patriarchis dignitatem patriarchæ œcumenico contulerunt... Primatum tamen honoris patriarchatus ei deferunt [3]. »

Hæc quidem speculative, et etiam practice, de patriarcha œcumenico inter Græco-Russos coævos; rursus vero

1. Cf. E. Goudal, *Les Églises russes. Situation actuelle* in *Échos d'Orient*, t. XXVII, 1928, p. 66.

2. Ὁ πατριαρχικὸς οἰκουμενικὸς θρόνος Κωνσταντινουπόλεως καὶ τὰ δίκαια καὶ προνόμια αὐτοῦ ἐπὶ τῶν λοιπῶν αὐτοκεφάλων ἐν Ἀνατολῇ ὀρθοδόξων ἐκκλησιῶν, in commentario Ἐκκλησιαστικὸς Φάρος, t. XX, 1921, p. 5-39. De hac dissertatione rursus sermo erit in capite V.

3. Articulus Christophori episcopi in commentario Πάνταινος, 1924, fasc. 39, 40 et 41, editus. Illum gallice versum invenies in *Échos d'Orient*, t. XXIV, 1925, p. 41-55.

speculative ac præsertim in praxi quædam alia his opposita de eodem apud eosdem invenire est. Cum enim patriarchæ œcumenici, præteriti nullatenus obliti, propensionem semper habeant, quam quandoque manifestant, ad jura propemodum papalia in alias Ecclesias autocephalas sibi vindicandum, haud raro accidit, ut quidam, propria commoda in certis circumstantiis quærentes, huic propensioni et verbis et factis faveant, Constantinopolitanoque plus quam merum honoris primatum, sed veram in alias Autocephalias jurusdictionem tribuant. Hujus agendi rationis recentissima etiam exempla habemus. Dissertationem archimandritæ Callisti de privilegiis Constantinopolitanæ sedis mox laudavimus. Hic contendit antiqua concilia præsuli œcumenico veram jurisdictionis potestatem in omnes alias Ecclesias Orientis et in ipsos patriarchas contulisse factisque haud paucis comprobat Novæ Romæ patriarchas talem potestatem revera exercuisse tum per epocham byzantinam, tum etiam recentiori tempore[1]. Item Antonius Khrapovitskii, synodi russicæ Carlovitzianæ præses, qui his ultimis annis patriarchæ œcumenici agendi rationi erga Russos et Ecclesiam russicam reclamavit, paulo ante, eo scilicet tempore quo ejusdem patriarchæ favore ac suffragio sibi opus erat, sequentia scribere non dubitavit :

« Secundum Ecclesiæ Christi doctrinam, in septem conciliorum œcumenicorum decretis tam a romanis Catholicis quam a christianis orthodoxis receptis, traditam, Ecclesia Constantinopolitana non paret tantummodo ut ex eparchiis ecclesiasticis una, verum tanquam plenitudinis Ecclesiæ orthodoxæ necessario pars habetur, tanquam suprema arbitra non solum pro sua provincia, sed etiam pro universa Ecclesia orthodoxa per orbem dispersa, quia inde a sæculo v patriarchæ œcumenici sedes appellata est. Nuncupatio hujusmodi ideo illi tributa est, quod multo antequam

1. « Ἡ ἐξεταζομένη ἐξουσία τοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως δέον νὰ ἀναγνωρισθῇ ὡς ἰδία ἐξουσία προεστῶτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἀνατολῇ, ἐν τοιαύτῃ ἐννοίᾳ, ὅτι ἀνυψοῦτο ὑπὲρ τοὺς λοιποὺς πατριάρχας οὐ μόνον κατὰ τὴν θέσιν καὶ τὴν τιμὴν τῆς ἕδρας αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν πραγματικὴν ἐκδήλωσιν τῆς ἀνηκούσης αὐτῷ ἐξουσίας, ἔχουσαν ὑποχρεωτικὴν δύναμιν διὰ τοὺς ἄλλους πρωθιεράρχας. » *Loc. cit.*, p. 23.

Oriens a Roma secederet, patriarcha Constantinopolis, utpote Novæ Romæ præsul, Veteris Romæ episcopo *et honore et potestate* æqualis a conciliis œcumenicis agnitus est (cf. can. 3 concilii II, 28 concilii IV, 36 concilii VI,) atque — quod maximi est momenti — jus recipiendi appellationes episcoporum decretis synodorum regionalium minime contentorum (cf. can. 17 concilii IV) ei soli concessum est. Sub hoc ultimo respectu, patriarcha Constantinopolis tanquam supremus judex venit pro omnibus regionum christianis orthodoxis[1]. »

Sæculo XIX, Græci a Turcarum jugo liberati, Rumeni, Bulgari, invita, reclamante, condemnante Constantinopolitana sede, primum se ecclesiastice autocephalos declararunt; item Albani contra patriarchæ œcumenici voluntatem plena autocephalismi jura nuperrime sibi sumpserunt. E contra, aliæ Ecclesiæ orthodoxæ eumdem patriarcham œcumenicum recenter adierunt, ut tomos autocephalismi vel simplicis autonomiæ ab eo obtinerent. Ita egerunt Serbi, anno 1920, ad novum patriarchatum Ipekiensem constituendum; ita « Orthodoxi » Poloniæ, anno 1924, quibus autocephalismi tomus concessus fuit, omnibus Russis reclamantibus; ita Esthoni, Finni et Cecoslovachi, anno 1923.

Quid exinde concludendum? Hoc sane, nempe quod *plerique* Græco-Russi hodierni, *non omnes*, merum honoris primatum patriarchæ œcumenico *plerumque, non semper*, agnoscunt. Accidit enim ut quidam, in certis circumstantiis, quando scilicet hoc eis in commodum cedit, et verbis et factis aliquem jurisdictionis primatum juris ecclesiastici eidem præsuli œcumenico tribuant. Eodem fere pacto erga patriarcham œcumenicum se gerunt Ecclesiæ græco-russicæ autocephalæ, quo erga Romanum Pontificem ante schisma se habebant Orientales, quatenus isti, quoties Papæ auxilio eis opus esset, primatum successoris Petri libenter ac diserte profitebantur; ubi vero hic primatus eis molestus esset, quanquam tunc eum verbis non negabant, practice tamen ignorabant, Papæ jussis surdi facti.

1. *Litteræ* die 22 decembris anni 1922 datæ; cf. E. Goudal, *art. e loc. cit.*, p. 63-64.

VI. — De Autocephaliarum mutua societate.

Tractata jam quæstione de primatu œcumenici patriarchæ, Ecclesiarum autocephalarum mutua societas prout nunc manifestatur, sic breviter describi potest.

Primum quidem, cum Ecclesiæ hujusmodi in regimine sint ab invicem omnino independentes, sunt etiam inter se jure pares seu ἰσόνομοι, pacto prorsus eodem, quo diversæ nationes politice autonomæ. Sororis vocabulo se invicem appellant et alloquuntur. Juxta theologorum et canonistarum communem doctrinam, fraterni amoris ac ecclesiasticæ communionis vincula inter se servare debent. Hujus autem communionis manifestationes visibiles ad hæc potissimum reducuntur :

1° Cujusque Autocephaliæ summus præsul per litteras irenicas seu enthronisticas suam electionem aliis Ecclesiis significat;

2° Autocephaliarum summi præsules sua nomina in diptycha mutuo referunt et intra sacram liturgiam recitant;

3° Quos una Autocephalia ad suam communionem recipit, eosdem Ecclesiæ sorores admittere debent; item, qui ab una excommunicantur, ab omnibus aliis repudiandi sunt;

4° Ad tenorem decretorum seu *tomorum*, quibus patriarchatus œcumenicus Ecclesiis Græciæ, Serbiæ, Rumeniæ aliisque autocephalistica jura concessit, exsurgente in una Autocephaliarum aliqua gravioris momenti quæstione ad communem fidem vel disciplinam spectante, a patriarcha œcumenico ejusque synodo consilium sumendum esset. Verum, hujusmodi prævia consultatio, etsi ab omnibus licita habetur, necessaria vel obligatoria a plerisque non æstimatur; qui dicunt etiam ab aliis Ecclesiis præter Constantinopolitanam lumen quæri posse. Præterea, Ecclesiæ particulari fas est ad suum beneplacitum vel commodum quæstionem dirimere, dummodo Ecclesiis sororibus probatam solutionem scripto declaret. Cæterum a theologis et canonistis valde commendatur Ecclesiarum mutua societas sive per epistolarum commercium, sive per missionem legatorum ad examinandas ac solvendas quæstiones in controversiam

venientes, quarum solutio ad bonum commune conducere possit; quod si contigerit, ut legati ex singulis Ecclesiis mittantur plena auctoritate præditi, tunc juxta communem sententiam, quædam aderit concilii œcumenici adumbratio.

5° Convocato concilio œcumenico proprie dicto, singulæ Ecclesiæ per suos episcopos vel legatos cœtui interesse debent.

Ita sane ad normam juris in libris communiter descripti; in praxi vero haud parum abest, ut res sic semper se habeant. Primum quidem notandum est quasdam Ecclesias a civili potestate prohiberi quin libere ac directe per epistolarum commercium cum aliis communicare possint. Hujusmodi commercium eis non permittitur nisi per ministrum cultuum vel per ministrum rerum exterarum. Ita olim in Russia, nunc etiam in Græcia, Yugoslavia et Rumenia.

Præterea, communio ecclesiastica inter Autocephalias haud raro abrumpitur, quatenus sententiæ excommunicationis ab una vel pluribus Ecclesiis latæ a quibusdam aliis Ecclesiis non ratæ habentur. Unde fit, ut quos una Ecclesia tanquam schismaticos damnavit, iidem ab aliis Ecclesiis in communionem accipiantur, et vice versa. Omnibus notum est Bulgaros jamdudum, id est ab anno 1872, ab Autocephaliis græcis ut schismaticos phyletismi reos haberi; eosdem vero communionem servare cum aliis Ecclesiis, quæ et cum Græcis communionem semper retinent. Item, ab anno 1898 ad annum 1909, schisma intercessit inter patriarchatum Antiochenum et tres alios patriarchatus orientales, quin societas et illius et istorum cum aliis Ecclesiis autocephalis ullatenus mutata fuerit. Plura alia hujus agendi rationis exempla afferri possent.

Quod autem attinet ad mutuam de rebus majoris momenti consultationem, hæc raro contingit. Singulæ Ecclesiæ sub suprema Status directione et inspectione absque Ecclesiarum sororum concursu proprias res plerumque agunt; quod si aliquando hujus modi consultatio fiat, hæc fere semper nihil proficit; quod ex quibusdam recentibus tentaminibus luculente constat. Anno siquidem 1868, patriarcha œcumenicus ad bulgaricam quæstionem solvendam generale concilium omnium Ecclesiarum autocephalarum congregare

voluit, litterasque invitatorias ad singulas misit. Aliæ aliter responderunt, Ecclesia russica vero, concilium non expedire[1].

Item, anno 1902, Joachimus III, patriarcha œcumenicus, quasdam Ecclesias sorores, non omnes, de hoc inter plura alia consuluit, num opportunam judicarent institutionem alicujus conventus periodici omnium Ecclesiarum autocephalarum, in quo earum summi hierarchæ vel legati de rebus communi Orthodoxiæ utilitati conducentibus statis temporibus inter se colloquerentur. Responsa iterum diversa fuere. Duæ vero Autocephaliæ, Alexandrina scilicet et Cypria, altum servarunt silentium, dum quinque aliæ, nempe Antiochena, Carlovitziana, Tchernovitziana, Sibiaca et Bulgarica propriam sententiam dare non habuerunt, eo quod, ob rationes peculiares, litteræ patriarchales ad eas non fuerant directæ[2].

Anno 1923, Meletius IV Metaxakis, dum œcumenicam sedem teneret, ad aliquem conventum *panorthodoxum* constituendum, qui de quibusdam magni momenti quæstionibus tractaret, omnes Ecclesias autocephalas, præter Bulgaricam, invitavit. Patriarchæ Antiochiæ et Hierosolymorum responderunt se hujusmodi propositum nequaquam probare; Alexandrinus ne significavit quidem se invitationem accepisse. Cæteræ Ecclesiæ fere omnes ad conventum legatos miserunt. De multis legati deliberarunt; nullum tamen decretum obligatorium promulgatum est; quæ vero unanimi fere consensu approbata sunt, ad libitum Ecclesiarum relicta sunt; inter quæ notanda est novi kalendarii susceptio. Hanc novationem multæ Ecclesiæ, non omnes[3], inde ab anno 1924 receperunt, quibusdam clericis et fidelibus passim reclamantibus. De secundis nuptiis clericorum permittendis nihil decisum est; facultas tamen singulis Ecclesiis agnita est eas ad tempus tolerandi, donec concilium œcumenicum futurum rem definite solverit.

1. Cf. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XLV, col. 325-326.
2. Cf. *Échos d'Orient*, t. VII, 1904, p. 91-99, ubi responsa Ecclesiarum ad Joachimum III si non semper ad litteram, saltem ad sensum invenies.
3. Vetus kalendarium julianum adhuc retinent Bulgari, Russi Tikhoniani, Antiocheni et Hierosolymitani.

Conventus autem panorthodoxus ipse hoc futurum concilium tamdiu exoptatum ad annum 1925 convocandum iri decreverat. Patriarchæ autem Alexandrinus et Hierosolymitanus, qui conventui panorthodoxo non interfuerant, circa idem concilium proprium propositum una cum quæstionum tractandarum elencho conscripserunt; quod ad omnes Autocephalias miserunt; volebant autem, ut concilium anno 1924, Hierosolymis congregaretur. Patriarcha œcumenicus nullum dedit responsum. Alii aliter utrique proposito (Constantinopolitano scilicet et Alexandrino-Hierosolymitano) responderunt. Haud pauci concilii convocationem in præsentibus adjunctis vel inutilem, vel impossibilem, vel intempestivam significarunt. Post multas vero controversias, præfatum concilium, a quibusdam anno 1924, ab aliis primum anno 1925, deinde anno 1926 indictum, revera locum non habuit, et ad tempus indefinitum dilatum est[1].

Nota etiam anno 1925 Autocephalias rumenas, quæ quatuor numero erant, in unum patriarchatum redactas fuisse absque ullo prævio monito ad cæteras Ecclesias directo; neque huic insuetæ agendi rationi ullam Autocephaliam, ne ipsum quidem patriarcham œcumenicum reclamasse.

In decretis seu tomis autocephalismi concedendis, Ecclesia Constantinopolitana novæ Autocephaliæ solenne habet imponere obligationem a patriarcha œcumenico sacrum chrisma petendi in fraternæ charitatis signum necnon in gratum erga pristinam Matrem obsequium; verum hocce antiquæ subjectionis vestigium nunquam admisit Ecclesia rumena; quæ vero illud adhuc tolerant non tam grati animi sensu erga Ecclesiam constantinopolitanam quam proprio commodo — siquidem sacri chrismatis consecratio, prout nunc fit, satis onerosa est —, ad hoc moventur.

Non desunt inter Græco-Russos qui ex corde exoptent inter Autocephalias fraterni amoris vincula obfirmari, intimius commercium iniri, mutua colloquia frequentius haberi. Anno 1912, Russus quidam in hunc finem obtinen-

1. Cf. R. Janin, *Les relations entre les Églises orthodoxes*, in *Échos d'Orient*, t. XXV, 1926, p. 185-201, 320-327.

dum sequentia proponebat : edere quemdam commentarium russice scriptum, qui tamen indolis supranationalis esset, nuntiaque haberet aliis linguis expressa; periodicos conventus præsulum vel theologorum orthodoxorum instituere ad præsentis temporis quæstiones examinandas; frequentius epistolarum commercium inter singularum Ecclesiarum primates procurare ac fovere; ad singulas ecclesias apocrisiarios mittere, etc [1]. Anno autem 1924, præ nimia confusione quæ nunc in multis Ecclesiis viget, quidam eo usque devenerunt, ut de creanda aliqua auctoritate communi ac centrali pro omnibus Autocephaliis, quæ Hierosolymis sederet, cogitaverint [2]; quod plerisque nullatenus arrisit.

VII. De consequentiis theologicis ac politicis autocephalismi.

Ex hac regiminis ecclesiastici forma, quam appellatione autocephalismi synodalis nuncupavimus et mox descripsimus, quædam consequentiæ tum theologicæ, tum politicæ sponte fluunt, de quibus nunc pauca dicenda.

Prima consequentia theologica est Ecclesiam græco-russicam, qua visibilem societatem, numerica unitate permanenti carere, ita ut hoc vocabulum *Ecclesia græco-russica* non unam, sed plures Ecclesias ab invicem omnino distinctas de facto designet. Societates enim multiplicantur per visibilem auctoritatem, quæ illis præest, easque regit ac gubernat. Atqui Ecclesiæ autocephalæ, cum sint ab invicem in regimine omnino independentes, nullique auctoritati permanenti obœdiant, plurium Statuum politica autonomia donatorum similitudinem omnino præferunt. Aliquam unitatem regiminis *specificam* habere possunt; unitatem vero *numericam* nullo modo. Neque unquam unitatem numericam *transitoriam* nactæ sunt, cum nullum concilium œcumenicum inde a schismate perpetrato habuerint. Ergo, stricte loquendo, non de una Ecclesia græco-russica, sed de pluribus sermo esse potest.

Neque dicas cœtum seu glomerationem omnium autocephalarum Ecclesiarum veri nominis fœderationem seu confœderationem constituere. Etenim sine aliqua suprema auctoritate communi, cui omnes consociati Status obœdiant, confœderatio non est. Concilium autem œcumenicum hujus communis auctoritatis partes tenere non potest, tum quia non est permanens jurisdictio, tum quia de facto pro Ecclesiis autocephalis nunquam exstitit, sed nec existere posse Græco-Russorum haud unus tibi concedet.

1. *Tserkovnyi Viestnik*, ann. 1912, n. 14.
2. Cf. Janin, *art.* et *loc. cit.*, p. 194.

Altera non minoris momenti consequentia est autocephalismum nationalem Ecclesiæ eripere veram independentiam ac facultatem munus ei competens libere adimplendi, quatenus Ecclesiæ autocephalæ ubique fere auctoritati civili subjacent, etiam quantum ad ea quæ religionem ecclesiasticamque jurisdictionem respiciunt, ut in capite IX fuse demonstrabitur.

Amissa independentia, perit etiam Ecclesiæ indoles catholica. Ecclesia autocephala, utpote intra unius nationis fines coarctata, particulari ac gentili charactere notatur ac coloratur, munerique omnibus gentibus Evangelium prædicandi impar redditur; quod experientia satis comprobat; quod etiam sincere fatentur quidam dissidentes [1].

Autocephalismus officit etiam, saltem ex parte, Ecclesiæ apostolicitati, quatenus hæc regiminis forma, prout nunc existit, in antiqua Ecclesia non vigebat. Ante schisma enim Ecclesiæ particulares quarum cœtus Ecclesiam catholicam efformabat, aliquod commune centrum unitatis noverant, Romanam scilicet Ecclesiam, ad cujus auctoritatem provocabant tanquam ad supremam jurisdictionem in solvendis quæstionibus ad fidem vel disciplinam ecclesiasticam spectantibus, et hoc etiam postquam vetus Roma imperii romani caput esse desiit, et sub Barbarorum potestatem

1. N. Milasch, *op. cit.*, p. 990-991, diserte asserit plena independentia Ecclesiæ opus esse, ut suum finem homines salvandi prosequi possit : « Ἐπειδὴ ὁ σκοπὸς οὗτος προδιεγράφη τῇ Ἐκκλησίᾳ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, δέον αὕτη πρὸς ἐπίτευξιν αὐτοῦ νὰ ᾖ ἀπολύτως αὐτοτελὴς καὶ ἀνεξάρτητος. Κατὰ τὴν βάσιν αὐτῆς εἶναι ἡ Ἐκκλησία καθολική, ἄνευ δὲ τῆς ἰδιότητος ταύτης θὰ ἔπαυεν οὖσα ὅπερ εἶναι, δὲν θὰ ἦτο δὲ τοιαύτη, ἐὰν ἐξηρτᾶτο τῆς πολιτείας καὶ δὲν ἠδύνατο ὅλως ἐλευθέρως καὶ αὐτοτελῶς νὰ κηρύττῃ τὴν ἑαυτῆς διδασκαλίαν κατὰ πάντα χρόνον καὶ πᾶσι τοῖς λαοῖς. »

redacta est, ut videre est ex multis appellationibus quas Orientales et ipsa Ecclesia constantinopolitana, etiam tempore Photii[1], ad Apostolicam Sedem direxerunt. Nunc autem jus appellationis extra cujusque Autocephaliæ limites revera non existit. Nec objicias ex canonibus 9 et 17 concilii Chalcedonensis ad patriarcham Constantinopolis recursum dari posse. Vidimus enim plerosque Græco-Russos hodiernos œcumenico præsuli veram jurisdictionis potestatem in alias Autocephalias denegare eique merum honoris primatum tribuere. Cæterum, potestas civilis cujusque Status supremam jurisdictionem in Ecclesias autocephalas sibi arrogavit, nec appellatio fieri posset absque ejus consensu vel mediatione, ut ex historia constat[2].

Demum, ex hoc autocephalismo ipsa fidei ac cultus unitas inter Ecclesias autocephalas periclitatur, tum ob defectum vel infrequentiam mutui commercii, tum etiam ob immixtionem civilis potestatis in quæstionibus theologicis vel liturgicis; quam immixtionem haud esse inauditam norunt historiæ byzantini vel russici imperii periti[3].

Quod autem ad consequentias politicas ac sociales ejusdem regiminis attinet, eas nos edocent mirumque in modum extollunt ejus patroni.

Hac regiminis forma, inquiunt, conflictus inter utramque societatem, reliogosam nempe ac civilem, penitus removentur. Cum enim Autocephaliarum clerus a potestate civili vel eligatur vel in suo munere de necessitate confirmetur nullique subjaceat extraneæ auctoritati, adversus Statum nunquam rebellat, omnibus patriæ legibus absque ulla repugnantia paret, et ita ordinis tranquillitas bonumque

1. Cf. t. I hujus operis, p. 113-153.

2. Tsari Russiæ patriarchum œcumenicum et alios tres patriarchas orientales de rebus ecclesiasticis consuluerunt, quoties eis placuit, sæpe post facta, ut suæ agendi rationis approbationem obtinerent vel a quibusdam incommodis se expedirent. Exemplum, v. g., habes in rebus circa patriarcham Niconem gestis.

3. In memoriam revoca, v. g., controversiæ palamiticæ historiam, theologiæ protestanticæ in Ecclesiam russicam invectionem sub influxu Petri Magni, reformationem theologicam Protasovi, Synodi Dirigentis procuratoris, chrismationem tsarorum ad dignitatem sacramentalem a theologis russis evectam.

pacis ac concordiæ optime servantur. Sacerdotium inter et imperium lites nationes « orthodoxæ » vix noverunt, ipsæque clericalismi et anticlericalismi voces apud eas inauditæ.

Præterea autocephalismus patriæ amorem in clericorum animis fovet, characterem gentilicium eis indit populorumque conciliat existimationem simul et affectum. Papismi systema, e contra, clericos efficit quasi propriæ patriæ extraneos, in eosque laicorum excitat odium.

Tertio, idem Ecclesiarum particularium profectui ac culturæ favet; siquidem Ecclesiæ universæ vita eo intensior fit, quo magis crescit centrorum autonomorum numerus. E contra unificatio, omnium in unum centrum coagmentatio ac conglobatio (= la centralisation) vitam destruit, progressui impedimento est, atque in obsoletis usibus noxiæ permansioni (= la routine) suffragatur.

Quarto demum, Ecclesiarum autocephalarum systema mirum in modum unitatem cum libertate consociat, unitatem in fide cum autonomia in regimine. Tum a papali tyrannide, tum ab anarchia protestantica æquali spatio distans, viam tenet mediam, viam regiam[1].

Ita sane suum systema idyllico penicillo tibi depingunt autocephalistæ. Verum, commoda jactata res paulo attente consideranti vel commenta ac in somniis excogitata, vel saltem pro Ecclesia nullo pacto compensantia luctuosa damna mox declarata lucide apparent. Humilis namque Ecclesiæ pascentis coram Statu subjectio ac immodicum obsequium eam populis potius reddit invisam quam ei conciliat fidelium amorem, nostro præsertim tempore quo, ut notum est, politicæ factiones in una eademque civitate pro potestate adipiscenda certant. Unde non raro accidit, ut politicæ interioris cujusque Status mutationibus, perturbationibus, dissensionibus Ecclesia ipsa, utpote Status serva, obnoxia evadat; quod recentibus eventibus monstra-

1. Hujusmodi commoda fuso evolvit calamo Diomedes Kyriakos in quodam articulo inscripto : *Das System der autokephalen selbständigen orthodoxen Kirche*, in commentario *Revue internationale de théologie*, t. X, p. 99-115, 273-286; cf. etiam Mesoloram, *op. cit.*, t. II, p. 69-70, et Statuti Ecclesiæ hellenicæ, anno 1833 conscripti, auctores, apud Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, p. 191-194.

tum est [1]. Item hujusmodi servitus regentis Ecclesiæ dignitatem deprimit ejusque in mores publicos religiosum influxum valde minuit. In Ecclesiis autocephalis sacerdotium vulgo parvipendi ac despici, qui in Oriente aliquamdiu immorati sunt haud ignorant.

Cæterum, apud quasdam Ecclesias autocephalas concordiam inter clerum et gubernium rarissime turbari haud infitiamur; sed nota non omnem pacem esse bonam; siquidem est pax servitutis; est pax mortis. Non pacem, sed bellum cum Maligni potestatibus, sed persecutiones varias Christus suis discipulis promisit. Unde vera Ecclesia in terris semper militat; contra vitia militat; contra perversorum vel superborum hominum Dei et conscientiæ christianæ jura defendit. Illi paci hoc bellum certe anteponendum est [2].

VIII. — De origine et historia autocephalismi apud Græco-Russos.

Autocephalistæ nostri temporis suum de Ecclesiæ regimine systema ipsis Ecclesiæ exordiis coævum fuisse contendunt; qui non advertunt plures esse autocephalismi vel autonomismi species. Voces quidem αὐτοκεφαλία, αὐτοκέφαλος, αὐτονομία, ἀνεξαρτησία in ecclesiastico sermone Orientalium perantiquæ sunt; haud parum tamen erraret, qui eumdem omnino sensum eis affigeret quem nunc habent in ore autocephalistarum. Item, principium distinctionis et multiplicationis Autocephaliarum non fuit semper illud ipsum quod jactitant isti.

Ante orientalia schismata, una tantum erat Ecclesia absolute autocephala seu perfecte independens, nempe Ecclesia romana, cui præerat apostolorum principis successor. Historia teste, Ecclesia romana cujuscumque alius præsulis immixtionem in propriis negotiis nunquam toleravit, dum ipsa de cæteris omnibus, in quibusdam saltem adjunctis,

1. Alludimus potissimum ad ea quæ his ultimis annis Ecclesiæ hellenicæ acciderunt ob intestinas pugnas factionum politicarum Græciæ.

2. Nota autocephalismum nationalem a Pio papa IX fuisse damnatum in propositione 37 Syllabi : « Instituti possunt nationales Ecclesiæ ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ. »

sollicita fuit. Nunquam Romanus Pontifex de sententia aliqua contra se lata ad alios præsules recurrit, dum patriarchæ alii omnes ad illum aliquando appellarunt. Quatuor patriarchæ orientales erant quidem in proprio patriarchatu autocephali seu independentes, at *relative* tantum, non *absolute*; etenim, ut ex multis scriptis ac factis constat, tanquam suum primatem ac principem agnoscebant Romanum Pontificem. Eodem fere pacto, etsi non eodem jure, metropolitani in sua provincia, episcopi in propria diœcesi aliqua autonomia utebantur; metropolitani vero patriarchali jurisdictioni obnoxii erant, episcopi jurisdictioni metropolitanorum juxta canones receptos.

In specie, antiquitus vocabantur autocephalæ illæ metropolitanæ sedes, quæ a patriarchali jurisdictione immunes erant, proprios episcopos eligebant et ordinabant seipsasque regebant absque interventu unius ex orientalibus patriarchis. In hunc sensum Ecclesia Cypri insulæ ab Ephesina synodo autocephala declarata est, quatenus jurisdictioni patriarchæ Antiocheni penitus substracta est; remanebat vero supremæ Romani Pontificis jurisdictioni semper obnoxia, ut omnes aliæ orbis catholici Ecclesiæ. Hujusmodi independentia erat ergo relativa, non absoluta.

Aliam relativi autocephalismi speciem invenimus in iis metropolibus amplioribus, quibus præerat aliquis primas titulo *catholici* decoratus (ὁ καθολικός), uni ex patriarchis tenui subordinationis vinculo conjunctus. Ita olim exstitit *catholicos* Persiæ et Seleuciæ sub patriarchæ Antiocheni jurisdictione; *catholicos* Ethiopiæ a patriarcha Alexandrino ordinatus.

Ad principium autem distinctionis patriarchatuum vel Ecclesiarum autonomarum quod attinet, initio quidem unicum principium fuit origo apostolica sedium; postea vero et gradus civilis urbium ratio habita est, principium autem autonomiæ politicæ cujusque regionis multo post ad effectum perductum est, neque unquam in Oriente solum obtinuit, neque adhuc obtinet. In uno imperio romano olim exstiterunt quinque patriarchatus, quorum quatuor super origine apostolica fundabantur, quintus, Constantinopolitanus scilicet, super dignitate civili urbis ubi sedebat. Postquam

autem idem imperium romanum in duas partes divisum est, patriarchatus romanus suam antiquam jurisdictionem in provincias Illyricas, quæ ad imperium orientale pertinebant, retinuit: quod cum principio autocephalismi nationalis pugnat. Ut hoc in praxim deductum inveniamus, ad sectas schismaticas et hæreticas Nestorianorum et Monophysitarum respicere debemus, apud quos autocephalismus nationalis et ipse phyletismus mox invaluerunt [1].

De facto autocephalismus absolutus cum nationalismo vel phyletismo conjunctus ante consummatum schisma in Ecclesia græco-russica non apparet. Incertum videtur utrum primus patriarchatus Bulgarorum (924-1019), super nationalismo utique fundatus, absolute autocephalus fuerit. Bulgari, per totam hanc periodum omne communionis cum Ecclesia romana vinculum abrupisse non videntur [2]. Secundus vero patriarchatus Bulgaricus (Tirnoviensis, 1204-1393), initio quidem Ecclesiæ catholicæ adhæsit, mox vero in schisma delapsus est; quod et de patriarchatu serbico Ipekiensi (1346-1459) asserendum est. Hi duo patriarchatus Autocephaliæ veri nominis in sensu modernorum fuere. Tertia Autocephalia nationalis, russica scilicet, anno 1590, a patriarchis orientalibus solenni declaratione agnita est ac probata.

Intra imperii Turcarum limites, loco unius Autocephaliæ — quod principium autocephalismi nationalis postularet —, plures remanserunt, tum illæ quæ origine apostolica gloriabantur (Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana, Cypria), tum patriarchatus Constantinopolitanus laico principio innixus, tum etiam tres aliæ Autocephaliæ seu potius Autonomiæ super gentilitate (= *race*) fundatæ, quæ tenui quodam vinculo ad patriarchatum œcumenicum religabantur, scilicet archiepiscopatus seu patriarchatus bulgaricus

1. Jam anno 424, catholicos Seleuciæ autocephalismum schismaticum præiverat, omne dependentiæ vinculum erga patriarcham Antiochenum rumpendo seipsumque ab omni alia, præter Christi jurisdictionem, liberum declarando. Autocephalismus iste hæresis præcursor exstitit; mox enim Ecclesia persica nestorianismo adhæsit.

2. Cf. S. Vailhé, art. *Bulgarie*, in *Dictionnaire de théologie catholique* t. II, col. 1182-1184.

Achridæ (1393-1767), patriarchatus serbicus Ipekii (1557-1766) et catholicatus Iberiæ. Ante bellum, in imperio austriaco-hungarico, ex utroque principio, nationali scilicet et phyletico proprie dicto, Autocephaliæ multiplicatæ fuerant.

Ex dictis colligitur plenam ad principium autocephalismi nationalis accommodationem in Ecclesia græco-russica nunquam fuisse effectam; siquidem, juxta hoc principium, una tantum Autocephalia in uno eodemque imperio vel natione politice independente exstare deberet [1]. Unde canonistæ quidam, ut secundum rerum veritatem loquantur, Autocephaliam ita definiunt :

« Autocephalia est Ecclesia autonoma alicujus regni vel nationis independentis in quo habitantium major pars ad Orthodoxiam pertinet, vel est Ecclesia autonoma alicujus portionis regni independentis [2]. »

Equidem ista definitione omnia ἀνώμαλα satis bene complanantur; verum nemo non videt hanc definitionem esse a posteriori ad facta aptatam, non autem a rigidi autocephalismi principiis derivare.

1. « Κατ'ἀρχαιοτάτην διάταξιν τῆς ἡμετέρας 'Εκκλησίας, πᾶν κράτος ἀνεξάρτητον ἔχει καὶ ἀνεξάρτητον 'Εκκλησίαν. Κατὰ τὴν ἀρχὴν ταύτην τὰ διάφορα ὀρθόδοξα ἔθνη, καίτοι διατελοῦσι δογματικῶς ἡνωμένα, ἕκαστον τούτων ἔχει ἀνεξάρτητον 'Εκκλησίαν : Secundum antiquissimam Ecclesiæ nostræ ordinationem, omne imperium (seu Status) independens et independentem Ecclesiam habet. Secundum hoc principium, variæ orthodoxæ gentes, etsi dogmatice inter se unitæ manent, Ecclesiam independentem singulæ habent. » G. Gegle, Ορθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Patris, 1899, p. 66.

2. Eutaxias, *Cursus juris canonici* (manuscriptus), p. 290-291.

CAPUT SECUNDUM

DE ECCLESIÆ GENERICA NOTIONE AC VARIIS DEFINITIONIBUS APUD GRÆCO-RUSSOS

Prænotamina.

Tractatui de Ecclesia theologi græco-russi, sicut et nostri quamdam genericam Ecclesiæ descriptionem ac definitio nem præmittere solent, varias vocis *Ecclesia* ('Ἐκκλησία, russice *Tserkov*) significationes primum exponentes. Eorum de hoc proposito dicta nec cum doctrina catholica, nec inter se semper conveniunt. Recentiori enim tempore, quidam theologi russi, duce A. St. Khomiakovo, conceptum omnino singularem de Ecclesia sibi efformarunt, qui cum doctrina apud Græco-Russos ipsos communiter recepta mire pugnat. Theologi illi in theologiam catholicam vehementer insurgunt, quasi hæc veram Ecclesiæ notionem perverterit, eam in meris formis exterioribus disciplinæ ac regiminis totam reponens, elementi interni, spiritualis ac mystici penitus fere oblita, quod veterum Romanorum spiritu juridico sit imbuta.

Quæ in præsenti capite dicenda veniunt quatuor articulis absolvemus. Sermo erit :

1º De vocis *Ecclesia* multiplici significatione;
2º De variis Ecclesiæ definitionibus apud Græco-Russos;
3º De notione Ecclesiæ juxta doctrinam A. Khomiakovi;
4º De Ecclesia ut corpore Christi mystico.

ARTICULUS I

De vocis « Ecclesia » multiplici significatione.

Vox *Ecclesia* theologice accepta (sensus profanos missos facimus) non unam habet significationem. Supponit primo pro cœtu omnium creaturarum intellectualium, hominum scilicet et angelorum, Deo et Christo aliquo nexu spirituali conjunctorum in ordine ad vitam æternam; et hic est sensus latissimus, quo designatur Ecclesia *absolute universa*, totum corpus Christi mysticum comprehendens. Hanc significationem communiter referunt compendiorum auctores apud Græco-Russos, quin in illa insistant; quidam vero recentiores inter Russos hanc solam retinere volunt, ut infra videbimus. Porro, quantum ad hanc Ecclesiam absolute universam, hoc discriminis Catholicos inter et dissidentes intercedit, quod Catholici illius triplicem divisionem ponunt, Ecclesiam videlicet triumphantem, Ecclesiam patientem et Ecclesiam militantem, dissidentes vero nonnisi triumphantem et militantem norunt, quamvis eorum non pauci ad Ecclesiam triumphantem referant mediam defunctorum classem, de qua in tractatu de novissimis egimus [1], id est, quos catholico sermone purgatorii incolas vocamus, ita ut inter theologos illos et nostros discrepantia sit tantum de vocabulo [2].

Cyrillus Lucaris hanc primam Ecclesiæ significationem Calvinistis potissimum acceptam, in sua *Confessione fidei* (c. x) solam retinuit :

« Credimus, inquit, Ecclesiam, quæ vocatur catholica, fideles in Christo continere universaliter qui vel defuncti in patriam migrarunt, vel adhuc in via peregrinantur, cujus Ecclesiæ caput est solus ipse Dominus noster Jesus Christus [3]. »

1. Vide p. 96 sq.
2. Cf. Macarium, *Orthodoxa dogmatica theologia*, ed. 4, Petropoli, 1883, t. ɪɪ, p. 189-190; Malinovskii, *op. cit.*, t. ɪɪ, p. 205.
3. « Πιστεύομεν τὴν λεγομένην καθολικὴν 'Εκκλησίαν τοὺς ἐν Χριστῷ πιστοὺς καθόλου περιέχειν, ἤτε κεκοιμημένους καὶ εἰς τὴν πατρίδα ἀποκαταστάντας, ἤτε καὶ νῦν ἐν τῇ ὁδῷ παρεπιδήμους. » Kimmel, p. 30.

Unde theologi græci sæculi XVII illum probe confutarunt, docentes Ecclesiam sanctam, catholicam et apostolicam in quam in symbolo Nicæno-Constantinopolitano credere jubemur, non esse Ecclesiam triumphamtem, sed Ecclesiam militantem, unamque ab altera vere distingui. Unus audiatur Dositheus in *Confessiones fidei*, c. x :

« Credimus eam, quæ vocatur, seu potius quæ vere est sancta catholica et apostolica Ecclesia, in quam et credere docti sumus, omnes prorsus in Christo fideles comprehendere, eos videlicet qui ad patriam nondum pervenere, sed adhuc in exsilio degunt. Nequaquam vero hanc Ecclesiam, quæ peregrina est, cum ea quæ in patria habitat confundimus, quod forte utriusque Ecclesiæ membra, ut ex hæreticis quidam dicunt, sint Dei, principis pastorum, oves et ab eodem Sancto Spiritu sanctificentur [1]. »

Pressiore sensu, vox *Ecclesia* ad solam Ecclesiam militantem restringitur, quæ tamen in tota sua extensione, tum in tempore, tum in spatio sumitur, quatenus in terrestri paradiso initium habuit et ad finem usque sæculorum in terris perdurabit. Hanc Ecclesiam quidam theologi, ut Theophanes Procopovitch [2] et Plato Levkhin [3], dividunt in Ecclesiam legis naturæ, Ecclesiam legis mosaicæ et Ecclesiam legis evangelicæ; alii vero simpliciter in Ecclesiam Veteris Testamenti seu Synagogam, et Ecclesiam Novi Testamenti [4]. De Ecclesia Veteris Testamenti breviter tractare consueverunt Theophanis Procopovitch discipuli, quorumdam theologorum lutheranorum instar [5]; hodie vero de ea vix mentionem faciunt compendiorum auctores.

1. Kimmel, p. 436; cf. Meletium Syrigum, 'Αντίρρησις, p. 49^a—50^b, qui in distinctione utriusque Ecclesiæ, militantis scilicet et triumphantis, insistit : « 'Επειδὴ αἱ ἐκκλησίαι αὗται, ἡ οὐράνιος καὶ ἡ ἐπίγειος, διαφέρουσι πρὸς ἀλλήλας κατὰ τὸν τρόπον ὅπου εἴπαμεν, διοικοῦνται καὶ διαφορετικά. » P. 50^b.

2. Non Theophanes ipse, sed ejus theologiæ editor, Samuel Mislavskii; cf. quæ supra dicta sunt, p. 207.

3. *Orthodoxa doctrina seu Synopsis christianæ theologiæ*, p. II, § 5.

4. Ita Macarius, *op.* et *loc. cit.*, p. 188.

5. Quæ de Ecclesia in suo quadruplici statu considerata in *Theologia christiana* occurrunt, ex opere Lutherani J. E. Gerhard, *Methodus studii theologici*, Ienæ, 1654, videntur hausta.

Stricto et communi sensu quum a Catholicis tum a Græco-Russis plerumque usurpato, vox *Ecclesia* solam Ecclesiam militantem in statu legis gratiæ constitutam, seu Ecclesiam proprie christianam designat, quam Christus Deus-Homo immediate fundavit. De hac sola Ecclesia communiter disserunt theologi græco-russi in compendiis theologiæ dogmaticæ vel polemicæ, variasque proferunt definitiones [1], de quibus nunc agendum.

ARTICULUS II

De variis Ecclesiæ Christi definitionibus apud Græco-Russos.

Cum Ecclesia sit ens sociale supernaturale duplici elemento visibili et invisibili, humano et divino constans, ejus essentiam completam brevi definitione contrahere haud facile est. Reformati sæculi XVI ejus elementum sociale ac visibile vel penitus eliminarunt, vel perperam descripserunt. Catholici vero, ut eos confutarent, in hoc elemento exteriori Ecclesiæ in suis definitionibus institerunt, elementum invisibile non quidem negantes, sed plerumque in obscuro relinquentes, vel penitus tacentes. Hujusmodi autem definitiones ab exteriori Ecclesiam describentes in catechismis ac theologiæ dogmaticæ compendiis communiter adhuc occurrunt, dum de elemento interno ac mystico potissimum tractant theologiæ asceticæ auctores ad fidelium pietatem fovendam. Inter has definitiones celebrior ac vulgatissima

1. Nescimus cur T. Spacil, *op. cit.* (*Orientalia christiana*, t. II, p. 49 et 73), scripserit « proprium esse theologorum orientalium, ubi de Ecclesia simpliciter loquuntur, eam considerare prout in se complectitur etiam beatos in cælo, animas justorum defunctorum adhuc gloria carentes et fideles in terris, vel etiam angelos » : quod proprium est tantum quorumdam Russorum inter recentiores. Omnes compendiorum theologiæ dogmaticæ auctores de Ecclesia christiana militante tantum disserunt, definitionem Ecclesiæ sensu latissimo acceptæ tradere in principio tractatus satis habentes; quod et nostri facere consueverunt.

est illa quam S. Bellarminus, *De Ecclesia* III, 1, his verbis concepit : « Ecclesia est cœtus hominum unius et ejusdem fidei christianæ professione et eorumdem sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum pastorum ac præcipue Romani Pontificis. » Hujus definitionis meritum in eo est, quod Ecclesiam qua societatem visibilem sufficienter exprimit, et ex omnibus cœtibus religiosis qui christiano nomine censentur Ecclesiæ catholicæ soli convenit. Peccat vero per defectum, quatenus ad vitam intimam ac supernaturalem Ecclesiæ ut corporis Christi mystici vix alludit. Hunc defectum animadverterunt illi theologi russi recentiores de quibus supra locuti sumus, qui Ecclesiam catholicam juridismi, ut dicunt, insimulant, quasi elementum supernaturale ac mysticum Ecclesiæ penitus negligat ac oblivioni tradat.

Qui in Catholicos ita invehuntur sua tela in multos theologos græco-russos incidere non advertunt. Triplicem enim classem definitionum a Græco-Russis concinnatarum invenimus, quarum primæ generales omnino sunt et adeo incertæ, ut cuilibet christiano cœtui congruere possint, et hæresim quandoque redoleant; aliæ definitioni Bellarminianæ plus minusve accedunt, elementum sociale ac visibile Ecclesiæ satis bene describentes; aliæ demum, quæ omnium perfectissimæ sunt, utrumque elementum, visibile scilicet et invisibile, diserte exprimunt. De singulis pauca dicamus.

I. — De definitionibus primi generis.

Inter definitiones Ecclesiæ omnino mancas ac deficientes illa notanda est quam Theophanes Procopovitch, in suo catechismo inscripto : *Prima instructio pro pueris*, Petropoli, 1720, his verbis concepit :

« Ecclesia est uniformitas sensus inter christianos doctrinam Christi servantes prout hæc a Patribus et conciliis œcumenicis tradita est [1]. »

1. De hoc catechismo vide Pekarskii : *Nauka i literatura v Rossii pri Petrê Velikom* (*Scientia et litteratura in Russia tempore Petri Magni*) I, p. 178-182, 496 sq., t. II, nº 499, Petropoli, 1862.

Brevior adhuc est ac generalior definitio a Platone Levkhin tradita, quæ in quibusdam catechismis græcis etiam occurrit [1] :

« Ecclesia est congregatio credentium in Jesum Christum [2]. »

Hujusmodi definitionem acceptam habebunt omnes christiani cœtus qui in divinitatem Christi credunt. Notandum est tamen Platonem hæc addere, quæ protestantismum omnino redolent :

« Ecclesia proprie constat ex conventu eorum tantum qui veram et vivam fidem in Jesum Christum habent [3]. »

Ad doctrinam Lutheranorum adhuc propius accedit definitio Theophylacti Gorskii :

« Ecclesia est cœtus *vere credentium* et *sanctorum* per verbi divini prædicationem ad salutem æternam consequendam per summam Dei benignitatem rite convocatorum.. *Soli isti qui vera fide præditi sunt, per quam cum Christo ceu capite suo uniuntur, Ecclesiam proprie sic dictam constituunt;* hinc et membra corporis Christi appellantur... *Unde improbos, incredulosque et hypocritas ab ea excludendos manifestum est* [4]. »

Agnoscit tamen hic auctor « in cœtibus particularibus christianorum, vere credentibus impios homines atque hypocritas admixtos esse [5]; » verum, secundum ejus doctrinam, hujusmodi homines ad Ecclesiam proprie non pertinent.

Bernardakis habet Ecclesiam ut « congregationem omnium christianorum veri nominis et fidem orthodoxam haben-

1. Cf. Koidakis, Κατήχησις, p. 62; J. E. Mesoloras, Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Athenis, 1891, p. 59 : « Χριστιανικὴ Ἐκκλησία εἶνε τὸ σύνολον τῶν εἰς Χριστὸν ὡς σωτῆρα τοῦ κόσμου πιστευόντων. » Diomedes Kyriakos, Χριστιανικὴ κατήχησις, Athenis, 1884, p. 44.
2. *Op. cit.*, p. II, § 4 : « Ἡ συνέλευσις τῶν πιστευόντων εἰς τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν εἶναι καὶ λέγεται Ἐκκλησία. » Ex versione graeca A. Corais.
3. *Op.* et *loc. cit.* : « Συνίσταται ὅμως κυρίως ἡ Ἐκκλησία ἀπὸ τὴν συνάθροισιν ἐκείνων μόνον, ὅσοι ἔχουσιν ἀληθῆ καὶ ζῶσαν πίστιν εἰς τὸν Ἰησοῦν Χριστόν. »
4. *Orthodoxæ orientalis Ecclesiæ dogmata, seu doctrina christiana de credendis*, ed. Mosquensis, 1831, p. 269-270.
5. *Ibid.*, p. 271.

tium [1]. » Quinam sint christiani veri nominis, quidve sub nomen *fidei orthodoxæ* veniat, definitio non declarat.

Paulo explicatior, adhuc tamen valde imperfecta est definitio a Nectario Kephala data :

« Ecclesia est systema religiosum a Domino nostro Jesu Christo constitutum et per Spiritus Sancti descensum die sanctæ Pentecostes inauguratum, in summa veritatum, legum, sacramentorum et præceptorum ejus consistens. Unde Ecclesia dicitur cœtus fidelium super fundamento apostolorum et prophetarum superædificatum, ipso Jesu Christo exstante angulari lapide [2]. »

II. Definitiones ad catholicæ definitionis exemplum conceptæ.

Hujus classis definitiones illæ sunt, quæ Ecclesiam quatenus est societas visibilis, religiosa, hierarchica, sufficienter describunt, quin elementum invisibile ac mysticum directe notent. Inter has venit definitio in *Catechismo majori* Philareti Drozdov occurrens :

« Ecclesia est a Deo constituta societas hominum orthodoxa fide, lege divina, sacra hierarchia et sacramentis adunatorum [3]. »

Hæc definitio Bellarminianæ vicina est, quatenus Ecclesiam ab extrinseco denotat, nec ejus elementum invisibile, nec ipsum caput Christum directe memorat. Hoc amplius habet quod divinam institutionem declarat. In hoc deficit, quod Ecclesiam græco-russicam ab aliis cœtibus christianis sacram hierarchiam habentibus non clare discriminat, nisi dicas verba *orthodoxa fide* sensu peculiari a theologis græco-russis intento intelligenda esse; quanquam et in hoc casu obscuritate adhuc laborat, cum admodum difficile sit, ut jam supra notavimus, quid sit *orthodoxia* Græco-Russorum præcise decernere. Cæterum Philaretus in suo catechismo huic primæ definitioni non stat,

1. Ἱερὰ κατήχησις, ed. 3, Constantinopoli, 1876, p. 138, 139.
2. Ὀρθόδοξος ἱερὰ κατήχησις, Athenis, 1899, p. 10.
3. *Catechismus major, ad art. 9 Symboli.*

sed alia mox subjicit, quæ vitam intimam Ecclesiæ ejusque invisibilia respiciunt [1].

Ejusdem tenoris est definitio catechismi Constantini Baphidis :

« Ecclesia est regnum Dei a Salvatore nostro constitutum complectens omnes in Dominum nostrum orthodoxe credentes, qui per gratiam sacramentorum ejus sanctificantur vivuntque sub spirituali regimine pastorum et doctorum hujus regni [2]. »

Ibi etiam Ecclesia qua societas visibilis potissimum describitur. Eadem item obscuritas adest circa fidei orthodoxæ indolem.

Damascenus Christopulus in sua definitione eadem fere habet; addit tamen Christum esse caput pastorum Ecclesiæ :

« Ecclesia, inquit, est congregatio hominum baptizatorum, qui unam et eamdem rectam fidem in Christum profitentes, et per eorumdem sacramentorum participationem inter se conjuncti, vitam agunt sub eodem spirituali regimine legitimorum ac canonicorum pastorum, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum caput habentium [3]. »

Dum S. Bellarmini definitio, ex hoc quod Romani Pontificis expressam mentionem facit, Ecclesiæ catholicæ soli congruit, tres supradictæ definitiones aliæque his similes Ecclesiam græco-russicam, quatenus tum ab Ecclesia catholica, tum ab Anglicana secernitur, nequaquam significant.

III. — Definitiones tertiæ classis.

Hujus tertii generis definitionum auctores totam Ecclesiæ militantis essentiam paucis verbis contrahere conantur, tum ejus visibilia, tum ejus invisibilia ac mystica notantes;

1. Cf. quæ dicuntur infra, p. 291.
2. Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, ed. 2, Constantinopoli, 1886, p. 77.
3. Ὀρθόδοξος κατήχησις, Athenis, 1881, p. 46 : « Ἐκκλησία εἶνε ἄθροισμα ἀνθρώπων βεβαπτισμένων, οἵτινες μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ὀρθὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ὁμολογοῦντες, καὶ διὰ τῆς μετοχῆς τῶν αὐτῶν μυστηρίων συνημμένοι, διατελοῦσιν ὑπὸ τὴν αὐτὴν πνευματικὴν κυβέρνησιν νομίμων καὶ κανονικῶν ποιμένων κεφαλὴν ἐχόντων αὐτὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. »

quorum propositum sane omnino laudabile est, dignumque quod a theologis catholicis imitetur. Macarii Bulgakov definitionem ob oculos lectoris primum ponamus :

« Ecclesia, ait ille, est societas orthodoxe credentium et in Jesum Christum baptizatorum, ab ipso tum immediate tum per sanctos apostolos fundata, ab ipso item vivificata; quæ *visibiliter* per pastores spirituales, magisterii, sacrorum administrationis ac regiminis ope, et simul *invisibiliter* per gratiam summe efficacem Sanctissimi Spiritus ad vitam æternam ducitur [1]. »

In hac definitione invenis tum visibilia præcipua, tum invisibilia ac mystica Ecclesiæ accurate notata. Ut catholice omnino sonaret, expressam mentionem Romani Pontificis inter pastores spirituales subjungere satis esset : quod sane Macarius præstare non potuit.

Ejusdem speciei est definitio a Malinovskii prolata; quæ sic se habet :

« Ecclesia christiana, terrestris seu visibilis, est a Domino nostro Jesu Christo fundata societas eorum qui in eum vere credunt spiritaleque corpus Christi efformant, in qua per doctrinam fidei, per sacramenta et per visibile regimen hierarchiæ, mediante invisibili operatione Spiritus Sancti, sub invisibili capite, ipso scilicet Jesu Christo, usque ad sæculi finem persequitur ac persequetur perpetuabiturque illud magnum opus perfectionis et sanctificationis hominum quod perfecit Redemptor noster, dum in terris degeret; cujus scopus est ut omnes homines in viam salutis et conjunctionis cum Deo, id est ad Dei regnum, adducantur [2]. »

Brevior, sed minus perfecta est definitio a Philareto Gumilevskii data :

« Ecclesia est societas credentium in Christum a Domino constituta, verbo Dei, sacramentis ac regimine hierarchiæ adunata, sub Spiritus Sancti ductu ad æternam salutem [3]. »

Inter græcos theologos, C. Andrutsus, qui imperfectionis arguit plerasque Ecclesiæ definitiones in catechismis et

1. *Op. cit.*, t. II, p. 235.
2. *Op. cit.*, t. II, p. 206.
3. *Op. cit.*, t. II, p. 221.

compendiis theologiæ dogmaticæ occurrentes, propriam nobis affert, in qua elementum invisibile ac mysticum vix tangitur :

« Ecclesia est sacrum ædificium ab incarnato Verbo Dei in salutem et sanctificationem hominum constructum, divinam ejus auctoritatem ac potestatem ferens, constans ex hominibus unam fidem habentibus eademque sacramenta participantibus, distributis in populum et clerum regentem, qui ab apostolis per continuam successionem, et per apostolos a Domino suum repetit principatum [1]. »

Melior est definitio a Zikos Rhosis tradita :

« Orthodoxa ac vere catholica Ecclesia est a Christo et apostolis constituta ac fundata societas hominum per rectam fidem, spem et charitatem, per eadem recta dogmata eumdemque rectum cultum Christo et sibi invicem conjunctorum; quos regunt episcopi, genuini apostolorum successores [2]. »

Sua etiam habet merita hæc definitio a Nicolao Damala concinnata :

« Ecclesia est Dei et hominum societas, in qua Deus per sua instrumenta, Ecclesiam scilicet pascentem seu apostolos eorumque successores, episcopos, necnon ab his constitutos presbyteros et pastores, conversionem, justificationem, sanctificationem redemptionemque operatur singulorum hominum, qui et ipsi, utpote liberi et sui juris, divinæ voluntati cooperantur [3]. »

Lector sane jam animadvertit harum omnium Ecclesiæ definitionum a Græco-Russis compositarum communem defectum, nempe quod nonnisi tacite et indirecte Ecclesiam græco-russicam ab Ecclesia catholica discriminant, quatenus primatum Romani Pontificis silentio prætereunt. Ut utrius-

1. Δογματική, p. 262.
2. Σύστημα δογματικῆς, t. I, Athenis, 1903, p. 59.
3. Περὶ ἀρχῶν, Lipsiæ, 1865, p. 125 : « Ἐκκλησία ἐστὶν ἡ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων κοινωνία, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς διὰ τῶν ὀργάνων αὐτοῦ, τῆς ποιμαινούσης Εκκλησίας, ἤτοι τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν διαδόχων αὐτῶν ἐπισκόπων, καὶ τῶν ὑπ’αὐτῶν καθισταμένων πρεσβυτέρων καὶ ποιμένων ἐργάζεται τὴν ἐπιστροφήν, δικαίωσιν, ἁγιασμὸν καὶ ἀπολύτρωσιν τῶν ἀτόμων, συνεργούντων καὶ αὐτῶν ὡς ἐλευθέρων καὶ αὐτεξουσίων τῇ τοῦ Θεοῦ βουλήσει. »

que Ecclesiæ distinctio ac differentia clare significetur, ponenda est ex parte dissidentium cujuscumque primatus universalis jure divino constituti explicita negatio; ex parte vero Catholicorum, Romani Pontificis primatus de necessitate memorandus est.

ARTICULUS III

De notione Ecclesiæ juxta doctrinam A. Khomiakovi.

Alexius Stepanovitch Khomiakov (1804-1860), factionis Slavophilorum doctor ac præco celeberrimus, qui primum militiæ nomen dedit, poetico ingenio præditus erat tragœdiasque et carmina quædam composuit; sub finem vero vitæ suæ, Slavophilorum theologus factus est; qui sane theologiæ græco-russicæ classicæ nunquam studuerat nec, ut videtur, ipsum Philareti catechismum legerat, Patrum tamen græcorum opera, ut dicunt, sedula manu evolverat. Ut suæ factionis scopo atque commodis consuleret, Occidenti religioso vehemens bellum indixit, Ecclesiæ byzantinæ ac græcorussicæ indolem ac virtutes supra modum extollens in quibusdam opusculis polemicis, quæ belli Krimensis tempore (ab anno 1853 ad annum 1858) gallice conscripsit et edidit.

Hujus autem novi theologi labor ac studium circa Ecclesiam unice fere versatum est; de qua peculiarem conceptum sibi effinxit, vera falsis mirum in modum commiscens.

Primum quidem vocem *Ecclesia* in sensu latissimo accipit, quatenus scilicet hæc totum Christi corpus mysticum in ejus triplici statu designat. Non igitur solam Ecclesiam militantem præ oculis habet, quamquam pleraque ejus dicta ad eam referuntur.

Secundo, docet Ecclesiam orientalem « orthodoxam » esse veram et unicam Christi Ecclesiam. Confessiones occidentales, nempe catholicismus et protestantismus, *inter quas nulla exstat essentialis differentia*, non sunt nisi sectæ ab una Ecclesia divulsæ, quarum commune peccatum est rationalismi crimen. Catholicismus in rationalismum delapsus est sæculo IX, quando, inconsulta Ecclesia orientali,

proprio marte voculam *Filioque* symbolo Nicæno-Constantinopolitano addidit, fratricidium morale inde committens [1]. Protestantismus vero, privato judicio viam latam aperiens, in rationalismo ut patet, totus est positus [2].

Tertio, veram Ecclesiam concipit tanquam corpus vivum, corpus Christi, ab eo, qui est caput necnon a Spiritu Sancto animatum, vivificatum, inspiratum. Distinctio autem inter Ecclesiam visibilem et Ecclesiam invisibilem est mere accidentalis, ad oculos hominum accommodata, coram Deo non existens [3]. Ecclesia est una, sicut unum est corpus vivum, diversis membris compactum,

4º Ecclesia, inde a mundi constitutione, suas proprietates essentiales semper retinet, nunquam amittit. Est semper una, semper sancta, semper infallibilis, semper catholica. Hujusmodi autem proprietates *totius sunt communitatis ut sic bonum atque possessio*, nec uni vel quibusdam tantum ex corporis membris appropriantur. Exstant quidem in Ecclesia membra diversa, proprium munus singula habentia; v. g., ad diversos hierarchiæ ecclesiasticæ gradus pertinet opus ministerii seu munia liturgica et sacramentorum administratio; verum, quod ad magisterium infallibile vel ad sanctitatem attinet, infallibilitas et sanctitas, *quæ est infalli-*

1. « Le romanisme était protestant à son origine... Le droit de décider les questions dogmatiques se trouvait subitement déplacé. Jusqu'au schisme, il avait résidé dans l'universalité de l'Église; il se trouvait maintenant résider dans une Église locale ». *L'Église latine et le protestantisme au point de vue de l'Église d'Orient*, Lausanne, 1872, p. 36. Hæc sylloge operum polemicorum Khomiakovi gallice scriptorum russice versa est ac edita ab Iu. Samarin, Berolini, anno 1868, in completa collectione operum auctoris. Opera theologica hujus collectionis tomum II efformant. Secunda editio, anno 1879, cum permissione Synodi Dirigentis Mosquæ prodivit; tertia, quam præ manibus habemus, Mosquæ, anno 1886. Locus citatus ad p. 51 hujus ultimæ editionis occurrit.

2. « L'Europe occidentale tout entière peut être considérée comme n'ayant pas de religion... L'hypocrisie religieuse est l'unique religion de l'Occident. » *Ibid.*, p. 158.

3. Ita in primo opusculo theologico a Khomiakovo russice conscriptum, cujus titulus est : *Tserkov odna* (=*Ecclesia una*) estque quasi catechetica expositio doctrinæ de Ecclesia. *Collectio operum*, ed. 3, t. II, p. 3.

bilitatis conditio sine qua non [1], non ad unum vel ad plures pertinent, sed communitati Ecclesiæ ut sic, quatenus est totum collegiale, omnino propriæ sunt. Unde episcopi, etiam in concilium œcumenicum adunati, privilegio infallibilitatis per se non gaudent; eorum autem decreta probantur infallibilia per totius populi christiani acceptationem [2]. Unde etiam rejicienda est dictinctio inter *Ecclesiam docentem* et *Ecclesiam discentem seu edoctam*. Unusquisque Ecclesiæ fidelis est vicissim docens et discens [3].

5º Sicut rejicienda est distinctio inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem, eodem pacto item repudianda est divisio in Ecclesiam regentem et Ecclesiam regimini subjectam. Ecclesia est regnum libertatis, quia est regnum

1. Hanc doctrinam etiam atque etiam repetit auctor in suis opusculis : « Dans l'Église, l'infaillibilité, en fait de dogme, s'appuie sur la sainteté de l'amour mutuel des chrétiens... Le privilège supposé de l'évêque de Rome (il s'agit de l'infaillibilité) étant indépendant de sa perfection morale, le rejette dans la catégorie des démoniaques confessant involontairement la vérité. » *L'Église latine et le protestantisme*, p. 107, 108; cf. *Tserkov odna*, p. 6.

2. « D'où vient que les conciles ariens sont rejetés, quoiqu'ils n'offrent aucune différence apparente avec les conciles œcuméniques? C'est de ce que leurs décisions n'ont pas été reconnues pour être la voix de l'Église par tout le peuple ecclésiastique, par ce peuple où dans les questions de foi il n'y a pas de différence entre le lettré et l'ignorant, l'ecclésiastique et le laïc, l'homme et la femme, le souverain et son sujet, le maître et l'esclave; où, quand il faut, selon la volonté de Dieu l'adolescent reçoit le don de la vision, et l'enfant la parole de sagesse, et le berger illettré démasque et réfute l'hérésie de son savant évêque, afin que tous ne soient qu'un dans l'unité libre de la foi vivante, qui est la manifestation de l'Esprit de Dieu. » *L'Église latine*, etc., p. 62.

3. « Les patriarches d'Orient, réunis en concile avec leurs évêques (alludit ad encyclicam epistolam quatuor patriarcharum Orientis anno 1848 datam, ut Pio papæ IX responderent) ont solennellement déclaré que l'infaillibilité résidait uniquement dans l'universalité de l'Église unie par l'amour mutuel, et que l'invariabilité du dogme, comme la pureté du rite, étaient confiées à la garde non d'une hiérarchie quelconque (quod docent omnia theologiæ classicæ compendia apud Russos usurpata), mais de tout le peuple ecclésiastique, qui est le corps du Christ... Il n'y a point d'Église enseignante dans l'Église universelle... Toute parole inspirée par un sentiment d'amour véritablement chrétien est un enseignement... Tout homme, quelque haut placé qu'il soit dans l'échelle hiérarchique, ou quelque caché qu'il soit dans l'obscurité de

mutui amoris. Non est auctoritas aliqua externa, sed veritas et vita intima et mystica [1].

6º Essentia Ecclesiæ consistit in concordia et in unitate spiritus et vitæ omnium membrorum ejus [2]. Unanimitas omnium est veritas in sinu Ecclesiæ, quæ per legem amoris est corpus Domini nostri [3]. « Id quod Ecclesiam constituit non est numerica quantitas ejus fidelium neque eorum adunatio visibilis, sed ipsum vinculum eos in unum conjungens. Ecclesia est revelatio Spiritus Sancti mutuo amori christianorum facta; est ipse hic amor ad Patrem per ejus Verbum incarnatum, Jesum Dominum nostrum, eos reducens [4]. »

7º Solus ille qui in Ecclesia manet et ejus vita vivit, quid sit Ecclesia ejusque proprietates cognoscere valet. Extranei non vident nisi formas externas, neque ejus essentiam unquam detegent. Amor mutuus, qui est gratiæ donum, est oculus quo singuli christiani res divinas perspiciunt. Oculus iste in Ecclesia semper fuit apertus, ex quo igneæ linguæ in apostolorum capita delapsæ sunt [5].

Hæc quidem inter alia theologus slavophilus, quem Samarin inter Ecclesiæ doctores recensere non dubitavit [6], alii protestantismi, rationalismi et falsi mysticismi haud immerito insimularunt; multi vero inter theologos russos recentiores magnis laudibus prosecuti sunt, quod veram

la situation la plus humble, tour à tour enseigne et reçoit l'enseignement, car Dieu distribue les dons de sa sagesse à qui il lui plaît, sans acception de fonctions ou de personnes. » *Ibid.*, p. 48-50.

1. « L'Église n'est pas une autorité extérieure, mais une vie intérieure d'amour et d'unité... L'Église connaît la fraternité mais non pas la sujétion. » *Ibid.*, p. 41, 68.

2. *Tserkov odna*, p. 6.

3. *L'Église latine et le protestantisme*, p. 284.

4. *Ibid.*, p. 266-267.

5. « L'amour mutuel, don de la grâce, est l'œil qui, dans chaque chrétien, voit les choses divines, et cet œil ne s'est jamais fermé dans l'Église depuis le jour où les langues de feu s'abattirent sur la tête des apôtres. » *Ibid.*, p. 228.

6. Unde quidam Slavophilorum adversarius Khomiakovum lepide definivit : « Un capitaine impérial démissionnaire, dont les slavophiles ont fait un Père de l'Église. » *Viestnik Europy*, fasc. mensis octobris, 1877, p. 897.

« Orthodoxiæ » essentiam detegerit atque genuinam protestantismi et catholicismi indolem Russis manifestaverit, quamvis concedant illum ob culturæ theologicæ defectum vitiosos loquendi modos aliquando usurpasse; quod facile excusant [1]. Revera maximus fuit ejus influxus in theologos russos nostri ævi, illique propemodum similis quem sæculo XVIII Theophanes Procopovitch in theologiam Russorum habuit. Ab eo siquidem recentiores mutuati sunt tum suum prorsus falsum de primatu Romani Pontificis conceptum, tum hanc juridismi criminationem, quam in Ecclesiam catholicam proferre consueverunt, tum doctrinam circa conditionem infallibilitatis Ecclesiæ, quæ sit ejus sanctitas, necnon circa infallibilitatis subjectum, quod non sit collegium episcoporum, sed totum Ecclesiæ corpus ipseque christianus populus; de qua doctrina infra fusior sermo erit [2].

ARTICULUS IV

De Ecclesia ut corpore Christi mystico.

Omnibus Ecclesiæ definitionibus tum a Catholicis tum a Græco-Russis prolatis quidam theologi russi recentiores definitionem paulinam anteponunt : *Ecclesia est corpus*

1. Inter quos est Nicolaus Barsov in sua dissertatione inscripta : *Nova methodus in theologia*, in *Khristianskoe Tchtenie* (ann. 1869-1870) edita; cf. etiam ejusdem opusculum : *De momento Khomiakovi in historia patriæ theologiæ*, editum una cum præfata dissertatione in opere inscripto : *Nicolai Barsovi historica, critica et polemica tentamina* (*Istoritcheskie, krititcheskie i polemitcheskie opyty*), Petropoli, 1879, p. 1-70, 261-276. De Khomiakovo vide indicationes bibliographicas apud Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. I, p. 799, t. II, p. 146. Ejus systema theologicum fuse exponit ejus biographus V. Zavitnevitch, *Alexius Stepanovitch Khomiakov*, t. I, p. II, Kioviæ, 1902, p. 867-1422.

2. Vide, p. 487 sq. Ipsa distinctio inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem a quibusdam rejicitur. Ita, v. g., episcopus russus Evdokim, in suo opere : *Na zarie novoi tserkovnoi gizni* (= *Ad auroram novæ vitæ ecclesiasticæ*) nuper scribebat : « Divisio in Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem revera res latina est, res Ecclesiæ nociva. » Cf. F. E. Melnikov, *Blugdaiuchtchee Bogoslovie* (*Theologia divagans*), p. 52.

Christi, cujus corporis Christus ipse est caput. Hæc brevis definitio in tota sua amplitudine sumpta Ecclesiam universam cum omnibus ejus partibus comprehendit, scilicet tum Ecclesiam militantem, tum Ecclesiam patientem, tum Ecclesiam triumphantem. Apostolus vero, ubi de Ecclesia qua corpore Christi loquitur, solam Ecclesiam militantem plerumque præ oculis habet [1].

Exinde sequitur hanc definitionem, utpote divinitus inspiratam, Ecclesiæ militanti omnino congruere. Congruit sane; verum, ut hæc convenientia clare affulgeat, in solis verbis : *Ecclesia est corpus Christi* standum non est, sed ad horum verborum explicationem ab ipso Paulo præstitam necnon ad ea omnia, quæ in ejus epistolis Ecclesiam respiciunt, attendendum est. Apostolus enim Ecclesiam ab intrinseco potissimum describit; in ejus elemento invisibili ac supernaturali præsertim insistit; et hoc est quod potissimum, *non unice*, inculcat metaphora ex corpore et capite sumpta; elementum vero externum ac visibile nullatenus negligit. Loquitur enim de ejusdem fidei professione (*una fides*), de eorumdem sacramentorum participatione (*unum baptisma, unus panis*), de variis ministeriis et sacramenti Ordinis gradibus (*diaconi, presbyteri* et *episcopi :* Timotheus et Titus de mandato Pauli diaconos et presbyteros per manuum impositionem promovent; cf. Tit., I, 5; I Timot., III, 1-15; V, 22); quanquam hierarchicam Ecclesiæ constitutionem nonnisi imperfecte in suis epistolis refert, nec de visibili primatu Petri expressam mentionem facit [1].

Inde a sæculo XVI, theologi catholici, ut Reformatorum impetus in hierarchicam ac visibilem Ecclesiæ constitutionem repellerent, Ecclesiam qua societatem visibilem sub uno primate seu visibili capite ac rectore coadunatam, potissimum considerarunt; de vita vero supernaturali, intima ac invisibili corporis Christi mystici necnon de mutua membrorum Ecclesiæ universæ societate agunt tum in tractatu de Verbo incarnato, ubi de gratia capitali Christi,

1. De doctrina Pauli circa Ecclesiam præclare disserit F. Prat, *La théologie de saint Paul*, t. I, p. 417-429; t. II, p. 403-431, ed. 5 et 6, Parisiis, 1913; cf. etiam art. Th. Spacil, in *Bessarione*, t. XXXVI, 1920, p. 147-176 : *Christus caput corporis mystici Ecclesiæ*.

de ejus merito et satisfactione, de sanctorum cultu; tum in tractatu de gratia, ubi de vita supernaturali, de filiorum adoptione, de Spiritus Sancti munere in hominibus sanctificandis; tum etiam in tractatu de novissimis, ubi de sanctorum communione et suffragiis pro mortuis. De vita supernaturali Ecclesiæ item disserunt, et quidem præcipue atque ex professo, theologiæ asceticæ vel mysticæ auctores. Theologi vero dissidentes, ac præsertim Russi recentiores, qui nonnisi tractatus classicos de Ecclesia a Catholicis conscriptos legerunt, Ecclesiam catholicam de vita supernaturali ac mystica corporis mystici parum curare, vel eam prorsus ignorare, totumque ponere in formis externis seu juridicis, in visibili regimine hierarchiæ et in primatu seu principatu Papæ, quasi Papa Christi capitis vices ac munia *sub omni respectu* gereret, imaginantur.

Ut criminationes hujusmodi inanes comprobentur, multum interest theologos catholicos diligenter notare differentiam, quæ inter dignitatem capitalem Christi et primatum visibilem Romani Pontificis existit. Papa enim non est caput Ecclesiæ nisi: 1º quatenus Ecclesia consideratur ut societas externa ac visibilis; 2º quatenus ratio capitis attenditur sub uno respectu præeminentiæ hierarchicæ et potestatis jurisdictionis ac magisterii, seu quoad regimen externum; 3º quatenus, etiam sub aspectu externi regiminis, Papa est tantum Christi legatus ac vicarius generalis. Præterea, optandum est, ut theologi catholici, in ipso tractatu de Ecclesia, de ea, quatenus est corpus Christi mysticum, necnon de Christo capite deinceps fusius disserant, ad doctrinam Apostoli animum magis attendant, eamque profundius scrutentur. Exinde vera et completa Ecclesiæ notio totaque ejus essentia, et quatenus est societas visibilis, et quatenus est corpus Christi ab ipso et a Spiritu Sancto animatum atque vivificatum, luculente apparebit, osque eorum polemistarum opprimetur qui juridismi pagani vel rationalismi accusationem in Ecclesiam catholicam proferre consueverunt.

Cæterum, ut supra vidimus, ipsi compendiorum classicorum auctores apud Græco-Russos ad catholicum exemplum communiter concinnant suos de Ecclesia tractatus, de

hac, quatenus est visibilis atque hierarchica societas, unice fere sermonem facientes, de ejus vero supernaturali vita vel de Christo capite vix aliquid habentes; quod ex ipsis quidam expresse notant [1]. Unde in illos etiam jure cadunt Khomiakovi ejusque discipulorum illæ de juridismo criminationes, quibus catholicos theologos solos prosequuntur. Quosdam tantum recentiores reperies, qui in doctrinam paulinam de corpore mystico incubuerint, inter quos nominandi sunt Philaretus Drozdov et Eugenius Akvilonov.

Philaretus, in suo *Catechismo majori*, postquam illam Ecclesiæ definitionem dedit quam supra retulimus [2], plures habet quæstiones de vita supernaturali Ecclesiæ, doctrinamque Apostoli de corpore mystico paucis memorat :

Quid significat, inquit, *credere in Ecclesiam?* — *Resp.* : « Significat pie venerari veram Christi Ecclesiam, ejus doctrinæ ac præceptis obsequi, persuasum habentes gratiam ab ejus unico æterno capite Domino Jesu Christo dimanantem in ea adesse, salubriter operari, docere et regere. »

— *Quomodo possit Ecclesia esse fidei objectum, quippe quæ est visibilis, cum fides, juxta Apostolum, sit argumentum non apparentium?* — *Resp.* : « Primo, quanquam Ecclesia est visibilis, at vero invisibilis est gratia divina ei appropriata eamque sanctificans; quæ est præcipuum objectum fidei in Ecclesiam. Secundo, Ecclesia, quæ visibilis est quatenus in terra existit et ad eam pertinent omnes orthodoxi christiani in terra viventes, est simul invisibilis, quatenus exstat etiam in cælis et ad eam pertinent omnes qui in vera fide et sanctitate obdormierunt. »

— *Ex quonam exploratum habemus gratiam divinam in*

1. « Ἀτελεῖς δ'εἶνε πάντες οἱ τῶν Ὀρθοδόξων καὶ τῶν Δυτικῶν ὁρισμοί, ἐν οἷς ἐπικρατεῖ ἢ μόνον ἡ ἀόρατος ὄψις, ὁριζομένης τῆς Ἐκκλησίας ὡς κοινωνίας πνευματικῆς, ἢ μόνον ἡ ὁρατή, ἐξαιρομένης τῆς ἐξωτερικῆς διοικήσεως, τῶν ὁρατῶν μυστηρίων, μελῶν, κ.τ.λ... Τοιοῦτοι εἶνε οἱ παρ'ἡμῖν ἐν ταῖς κατηχήσεσι καὶ ἐν ταῖς δογματικαῖς φερόμενοι ὁρισμοί, οἱ ἐξαίροντες σχεδὸν πάντες τὴν ἐξωτερικὴν ὄψιν τῆς Ἐκκλησίας ὡς κοινωνίας ὁρατῆς, ἄνευ μνείας τοῦ ἐσωτερικοῦ αὐτῆς στοιχείου τοῦ ἐν τῇ ὁρατῇ Ἐκκλησίᾳ ἐνυπάρχοντος, τῆς ἐσωτερικῆς πίστεως, τῆς ἀγάπης, κ. τ. λ. » Andrutsus, Δογματική, p. 261.

2. P. 280.

vera Ecclesia adesse? — *Resp.:* « Primo, ex hoc quod ejus caput est Jesus Christus Deus-Homo, plenus gratiæ et veritatis, et suum corpus, quod est Ecclesia, replens gratia et veritate. Secundo, ex hoc quod ipse suis discipulis Spiritum Sanctum promisit, ut cum eis sit in æternum; ex hoc etiam quod, secundum ejus promissionem, Spiritus pastores Ecclesiæ erigit ac consecrat. »

— *Quare Ecclesia est una?* — *Resp.* : « Quia est unum corpus spirituale, unum habet caput, Christum, et uno Dei Spiritu animatur [1]. »

Akvilonov vero, in suo opere jam laudato : *Tserkov. Nautchnya opredeleniia Tserkvi i apostolskoe utchenie o nei kak o tielie Christovom* (*Ecclesia. Scientificæ definitiones Ecclesiæ et apostolica doctrina de ea ut corpore Christi*), postquam definitionum Ecclesiæ a Protestantibus et Catholicis usurpatarum censuram egit, doctrinam paulinam de corpore mystico satis bene explorat, ex eaque deducit quatuor proprietates Ecclesiæ in symbolo Nicæno-Constantinopolitano notatas : unitatem scilicet, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem. Demum suam de Ecclesia notionem in sequentem definitionem concludit :

« Ecclesia est divino-humana compages (= *organisme divino-humain*) ab ipso Domino Jesu Christo capitata et Sancto Spiritu animata, ab ipso Domino secundum Dei Patris voluntatem fundata et gubernata (quæ in sua terrestri parte etiam habet hierarchiam sacerdotalem divinitus institutam), constans ex omnibus in cælo et in terra credentibus, qui ad vitam æternam in beata cum Deo trino et in ipso etiam inter se unione contendunt [2]. »

Vel brevius :

« Ecclesia est mystica ac vivifica in unum corpus, cujus caput est Dominus Jesus Christus, anima vero Spiritus Sanctus, adunatio tum incorporalium spirituum, tum justorum, qui ex hac vita ad Deum migrarunt, tum christianorum in terra adhuc degentium, qui veram Christi fidem retinent

1. Recens theologus russus, N. Malinovskii, tum in suo magno cursu theologico, t. III, tum in compendio, de Ecclesia disserit ad rationem et mentem catechismi Philareti.

2. *Op. cit.*, p. 254.

et absque mutatione dominica constituta custodiunt [1]. »

Hujusmodi definitiones sub aspectu quidem dogmatico et theologico laudem merentur; sub aspectu vero apologetico et *discretivo* omni virtute vacant, quandoquidem cœtus christiani fere omnes eas absque ullo incommodo recipere possunt. Atqui vera et completa Ecclesiæ definitio ita concipienda est, ut ex una quidem parte nihil essentiale quoad utrumque corporis mystici elementum omittat; ex alia vero, uni Ecclesiæ a Christo fundatæ congruat, eamque a cœtibus hæreticis vel schismaticis sufficienter discriminet. Expedit autem ut hujusmodi definitio ab Ecclesia triumphante vel patiente abstrahat, et ad solam Ecclesiam militantem restringatur; de Ecclesia enim gloriæ vel purgatorii nulla est specialis difficultas.

1. *Ibid.*

CAPUT TERTIUM

DE ECCLESIÆ MEMBRIS SEU DE EXTENSIONE ECCLESIÆ UNIVERSÆ MILITANTIS NECNON DE NECESSITATE ECCLESIÆ ADHÆRENDI AD SALUTEM CONSEQUENDAM SECUNDUM DOCTRINAM GRÆCO-RUSSORUM

Prænotamina.

Apud theologos catholicos, nulla exstat controversia circa extensionem veræ Ecclesiæ a Christo fundatæ, prout est societas visibilis. Est enim dogma fidei catholicæ veram et unicam Ecclesiam a Christo fundatam esse Ecclesiam romano-catholicam, Romano Pontifici subjectam, extra quam nulla est Ecclesia veri nominis, nulla pars genuina Ecclesiæ universæ. Ipsa Ecclesia romano-catholica est tota Christi Ecclesia, Ecclesia universalis militans. Nunquam enim Ecclesia Christi suam unitatem visibilem amittere potest, sicut nec amittit suam invisibilem unitatem et integritatem. Qui ab ipsa per schisma vel hæresim seipsos segregant, hac unitate eam spoliare non valent; illis recedentibus, vera Ecclesia semper in sua unitate visibili et invisibili perseverat,

Eamdem doctrinam de sua Ecclesia *communiter*, sed *non unanimiter* tenent theologi Græco-Russi. Inde enim a sæculo XIX, ac præsertim nostris diebus, inter eos acriter agitatur quæstio : *Utrum Ecclesia orthodoxa orientalis universam Christi Ecclesiam per se solam revera constituat, an sit tantummodo pars Ecclesiæ universalis a Christo fundatæ.* Aliis verbis eadem quæstio proponi potest, ac de facto proponitur apud quosdam auctores : *Utrum scilicet verum concilium œcumenicum haberi possit in Ecclesia orthodoxa orientali absque ulla participatione aliarum Ecclesiarum christianarum, speciatim vero sine participatione Romani Pontificis,* qui illis

est tantum patriarcha Occidentis. Hujus quæstionis solutionem maximi esse momenti nemo non videt. Unde magni interest varias Græco-Russorum sententias de proposita materia investigare ac dilucide exponere; quod præstare conabimur, postquam eorum doctrinam de membris Ecclesiæ in genere breviter retulerimus. Huic autem quæstioni de extensione veræ Ecclesiæ aliam ei valde affinem subnectemus, quæ est de necessitate adhærendi veræ Ecclesiæ, ad eamque tanquam membrum pertinendi ad salutem consequendam. Tres ergo erunt hujus capitis articuli.

1º De membris Ecclesiæ in genere juxta Græco-Russos;

2º Utrum Ecclesia græco-russica sit Ecclesia Christi universa in terris militans secundum suorum theologorum doctrinam;

3º De necessitate adhærendi veræ Ecclesiæ ad salutem consequendam juxta eosdem theologos.

ARTICULUS I

De membris Ecclesiæ in genere secundum doctrinam Græco-Russorum.

Baptismum necessarium esse, ut quis ad Ecclesiam visibiliter pertineat, Græco-Russi unanimiter docent. Item, eorum communis doctrina est, *saltem nostris diebus*, Ecclesiam militantem non ex solis justis vel prædestinatis constare, sed etiam peccatores comprehendere; quod sæculo XVII contra Cyrillum Lucarim calvinizantem plures theologi ac synodi expresse declararunt. Verba Dosithei in synodo Hierosolymitana (1672) referre satis sit :

« Credimus, inquit ille, Ecclesiæ catholicæ membra esse omnes ac solos fideles, eos nimirum qui Salvatoris Christi fidem ab ipso quidem Christo et ab apostolis necnon et a sanctis synodis œcumenicis traditam firma mente servant illibatam, quamvis eorum aliqui variis peccatis sint obnoxii. Nisi enim essent Ecclesiæ membra qui fidem quidem habent, sed in peccatis vivunt, utique ab Ecclesia non judica-

rentur. Nunc autem, cum et ab Ecclesia judicentur et ad pænitentiam incitentur, et in salutarium mandatorum semitam deducantur, etiamsi adhuc peccatis sordescant, eo quod in desperationem non sunt prolapsi, sed catholicam ac rectam fidem retinent, Ecclesiæ catholicæ membra sunt et reputantur [1]. »

Huic doctrinæ sæculo XVIII contradixerunt theologi russi Theophanis Procopovitch discipuli, ut videre est ex definitionibus Ecclesiæ ab ipsis traditis et supra relatis [2]; quibus prævisse videtur sæculo XVII Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei*. Docet enim ille Ecclesiam dici sanctam, *quod sancti sint ex quibus constat* [3]. Hujus erroris leve quoddam vestigium in ipso Philareti catechismo deprehendere licet, ubi dicit ille solos peccatores vera pænitentia seipsos purgantes ad Ecclesiam pertinere; impænitentes vero tanquam membra mortua a corpore Ecclesiæ resecari sive visibili potestatis ecclesiasticæ operatione, *sive invisibili judicii divini effectu* [4].

Ad hæreticos autem quod attinet, eos ab Ecclesia *communiter* excludunt compendiorum auctores. Rem tamen in incerto relinquere videtur Metrophranes Critopulus, qui hæc habet :

« Ecclesia est, ut nonnulli volunt, congregatio eorum omnium qui prædicationi evangelicæ quocumque modo assentiunt, orthodoxorum dico et hæreticorum. Alii autem congregationem orthodoxorum tantum eam esse volunt, eorum scilicet qui in doctrina christiana per omnia sani sunt; unde etiam *sancta* cognominata est [5]. »

Accurata vero hæresis notio, prout a Catholicis traditur,

1. *Confessio fidei*, c. XI, Kimmel, t. I, p. 443-444.
2. P. 279.
3. « Ἁγίαν δὲ διὰ τὸ ἁγίους εἶναι ἐξ ὧν συνίσταται, ἁγιασθέντας τῷ παναγίῳ τοῦ Θεοῦ· Πνεύματι. » *Confessio fidei*, c. VII, Kimmel, t. II, p. 100.
4. *Catechismus major, ad IX art. Symboli.*
5. « Ἐκκλησία ἐστίν, ὡς μέν τινες βούλονται, σύστημα πάντων τῶν τῷ εὐαγγελίκῳ κηρύγματι ὁπωσοῦν πεισθέντων, ὀρθοδόξων φημὶ καὶ αἱρετικῶν. Ἄλλοι δὲ θέλουσιν εἶναι ταύτην σύστημα μόνων τῶν ὀρθοδόξων καὶ περὶ τὸν χριστιανισμὸν κατὰ πάντα ὑγιαινόντων· ὅθεν καὶ ἁγία προσηγόρευται. » *Op. cit.*, Kimmel, t. II, p. 100.

in scriptis Græco-Russorum plerumque deest; qui non unam hæresis definitionem noverunt; siquidem haud pauci, præsertim inter antiquos, suam faciunt hæresis definitionem in Justiniani legibus occurrentem : *Hæreticus est qui ab orthodoxa fide tantulum declinat* (Αἱρετικός ἐστιν ὁ καὶ μικρόν τι ὀρθῆς πίστεως ἐκκλίνων). Alii hæreticos habent eos solos qui fidei christianæ fundamentalia dogmata impugnant [1], vel ab Ecclesia complete recedunt et fidem rejiciunt [2]; alii simpliciter eos qui circa aliquod dogma errant [3]; quæ definitio communior est apud recentiores [4].

Schismaticos item seu rascolnitos ab Ecclesia excludunt, eos scilicet qui ecclesiasticæ auctoritati obœdire pertinaciter recusant; quorum duplex genus post sanctum Basilium distinguunt, nempe schismaticos proprie dictos, qui « ob causas quasdam ecclesiasticas vel quæstiones sanabiles inter se differunt, » et conventiculorum privatorum sectatores, qui subjectionem legitimis pastoribus detrectant [5].

Ab Ecclesia etiam arcentur tum apostatæ manifesti tum excommunicati cum anathemate [6].

Quidam theologi, ut Macarius, expresse notant a corpore Ecclesiæ non præcidi neque hæreticos vel schismaticos occultos, neque hæreticos materiales, eos scilicet de quibus loquitur sanctus Augustinus, « qui scilicet sententiam suam,

1. Ita Macarius, *loc. cit.*, p. 199.
2. Ita Malinovskii, *Dogmatica theologia orthodoxa*, t. III, p. 500, Serghief Possad, 1909, qui verba sancti Basilii repetit, can. I (*Epist. ad Amphilochium*) : « Αἱρέσεις ὠνόμασαν τοὺς παντελῶς ἀπερρηγμένους καὶ κατ'αὐτὴν τὴν πίστιν ἀπηλλοτριωμένους. »
3. Ita Antonius Amphiteatrov, *op. cit.*, § 274 : « νοσοῦσι περί τι δόγμα τῆς Ἐκκλησίας. » Ed. græca, p. 324.
4. Haud raro autem evenit, ut polemistæ antilatini inter hæreses recenseant meros usus liturgicos vel canonicos.
5. Ita sanctus Basilius, can. I : « Σχίσματα δὲ τοὺς δι'αἰτίας τινὰς ἐκκλησιαστικὰς καὶ ζητήματα ἰάσιμα πρὸς ἀλλήλους διενεχθέντας· παρασυναγωγὰς δὲ τὰς συνάξεις τὰς παρὰ τῶν ἀνυποτάκτων πρεσβυτέρων ἢ ἐπισκόπων καὶ παρὰ τῶν ἀπαιδεύτων λαῶν γενομένας. » Cf. Πηδάλιον, ed. Ath., 1908, p. 565.
6. Macarius, *op. cit.*, p. 201. Anathema est gradus gravior excommunicationis (ἀφορισμός); cf. N. Milasch, Τὸ ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον (ed. græca), p. 713 : « τὸ ἀνάθεμα, ἤτοι ἡ παντελὴς ἀποβολὴ τοῦ ἐνόχου ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας. »

quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audiaca suæ præsumptionis pepererunt, sed a seductis in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem [1]. »

Hæc quidem speculative et secundum generales affirmationes. In praxi autem et quoad casus particulares, haud semel accidit, ut singulæ Autocephaliæ inter se discordent in discriminandis et recensendis hæreticis vel schismaticis. Qui uni vel pluribus Ecclesiis sunt veri nominis hæretici, vel schismatici, vel etiam infideles, aliis non tales habentur et in communionem recipiuntur. Casum Bulgarorum phyletistarum supra notavimus, quos Græci quidem « ab una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia alienos ac vere schismaticos pronuntiarunt », Slavi vero et Rumeni ut fratres in fide amplectuntur [2]. Ita Catholici et Occidentales omnes utpote hæretici et per infusionem baptizati, ut meri infideles per baptismi renovationem ab Autocephaliis græcæ dialecti plerumque recipiuntur, dum Russi vel per solam fidei professionem, vel etiam per chrismationem eosdem « Orthodoxiæ » adscribunt [3]. Item nuperrime patriarcha Serborum Demetrius pluribus Anglicanis propria manu communionem distribuit (25 decembris, anno 1927) [4].

Intestinæ dissensiones hujusmodi nobis admirationem movere non debent, cum ex una quidem parte, illi soli veri nominis hæretici ab omnibus Græco-Russis necessario dicendi sint, qui ut tales ab uno ex septem primis conciliis œcumenicis declarati fuerint; ex alia vero parte, deficiente communi auctoritate cui omnes Ecclesiæ particulares obnoxiæ sint, schismata non possint esse nisi particularia, non universalia. Solus fraternus amor ac mutua benevolentia efficere possent ut schismata particularia fierent universalia; at vero fraternus amor inter varias Autocephalias existens haud semper tantæ est efficaciæ, ut hujusmodi

1. Macarius, p. 203.
2. Cf. supra, p. 246 sq.
3. Cf. t. III hujus operis, p. 103-117.
4. Cf. *Échos d'Orient*, t. XXVII, 1928, p. 341-342. Huic novo agendi modo patriarchæ Serborum reclamarunt quidam dissidentes in diariis et commentariis.

effectum producat. Ex primo sane principio dimanat quæstio nunc solvenda, utrum nempe Ecclesia græco-russica sola universam Christi Ecclesiam in terris repræsentet ac constituat, an sit tantum aliqua pars ejusdem.

ARTICULUS II

Utrum Ecclesia græco-russica secundum suorum theologorum doctrinam sit Ecclesia Christi universa.

Ecclesiam græco-russicam, id est illam totam Ecclesiarum autocephalarum glomerationem, quæ ab antiqua Ecclesia byzantina dissidente originem ducunt, veram et unicam esse Christi Ecclesiam, extra quam non sint nisi sectæ schismaticæ et hæreticæ, communissima olim quidem fuit theologorum græco-russorum sententia, in præsenti vero et adhuc multo communior manet. Attamen, inde præsertim ab ineunte sæculo XIX ad nostra usque tempora, non defuerunt optimæ notæ theologi qui contrarium tenuerint, opinantes Ecclesiam græco-russicam non efformare per se solam universam Christi Ecclesiam, sed esse tantummodo unam partem — utique cæteris omnibus meliorem ac saniorem — Ecclesiæ universæ. Utriusque sententiæ tenaces primum recensebimus, corollaria ex utraque sponte fluentia postea notaturi.

I. — De theologis opinantibus Ecclesiam græco-russicam esse universam Christi Ecclesiam.

Per totam epocham byzantinam et antequam variæ Protestantium sectæ orirentur, Ecclesia catholica latina sola de nomine et veritate Ecclesiæ Christi universæ cum Ecclesia græco-russica contendere poterat. Antiqui enim Nestorianorum vel Monophysitarum cœtus tempore septem conciliorum œcumenicorum tanquam schismatici et hæretici damnati fuerant. Unde ad dignoscendam opinionem theologorum byzantinorum de proposita quæstione, inquirendum est quid illi de Ecclesia latina vel de Latinis senserint-

utrum scilicet eos inter hæreticos veri nominis deputaverint. Huic quæstioni in tomo III hujus operis, p. 103 sq., responsum jam dedimus, ubi ostendimus Latinos ut hæreticos Byzantii communiter habitos fuisse ac tractatos, saltem inde a sæculo XIII, quamquam aliqui cordatioris ac mitioris animi theologi amicitia vel indulgentia erga illos affecti fuere. Unde pauca tantum hic subjicere habemus.

Barlaami Calabri schismati byzantino adhuc adhærentis testimonium primo ponamus, qui in quodam de primatu Papæ tractatu polemico hæc de Latinis protulit :

« Pars ab integritate catholicæ Ecclesiæ divulsa ac mortificata exstant qui (Latini scilicet) sanctorum apostolorum et divinorum patrum nostrorum traditiones spernentes, in particularem Ecclesiam ac fidem se credere profitentur; qui vero nihil unquam antiquius habuere quam Ecclesiæ catholicæ traditionem (Græci scilicet), isti sane pars sana manent, quibus solis licet dicere se credere in Ecclesiam catholicam [1]. »

Sæculo XV, Georgius Scholarius de hæresi Latinorum dubius hæsisse videtur. Illos quidem ἐσχισμένους, σχισματικούς, κεχωρισμένους, immo ἑτεροδόξους aliquando appellavit; dixit etiam absentiam schismaticorum alicujus concilii œcumenicitati non officere; unde pro œcumenica habet synodum Constantinopolitanam anno 1285 contra Joannem Veccum et unionem Lugdunensem congregatam [3]; attamen in quodam opusculo polemico sequentia profert :

« Si quis vero a nobis quærat, sicut multis solenne est, utrum Latinos hæreticos ducamus, respondemus nostri non esse in tanta penuria et tanto rerum discrimine tales præfigere appellationes Ecclesiæ tantam nunc habenti domi-

1. « Μέρος ἀποκεκομμένον τῆς ὁλότητος τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ἐστὶ καὶ νενεκρωμένον οἱ τὰς τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ τῶν θείων πατέρων ἡμῶν ἀθετήσαντες παραδόσεις, καὶ εἰς μερικὴν Ἐκκλησίαν καὶ πίστιν πιστεύειν ὁμολογοῦντες· οἷς δὲ οὐδὲν οὐδέπω τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας παραδόσεως νενόμισται προτιμώτερον, οὗτοι δήπου τὸ ὑγιαῖνον ὑπάρχουσι μέρος, οἷς καὶ μόνοις εἰκὸς εἰς Ἐκκλησίαν καθολικὴν φάναι πιστεύειν. » *De primatu Papæ*, c. XVI, *P. G.*, t. CLI, col. 1278.

2. Cf. t. III, p. 107 in nota.

3. Cf. *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, t. III : *Brève apologie des adversaires de l'union*, 6, p. 85-86, Parisiis, 1930.

nationem neque nostris obtemperare legibus paratæ, sicut sane neque nos illius legibus cedere consentimus; sed nobis satis est patrias retinere disciplinas, quin cum aliis confligamus. Illi vero, quales sint, Deus novit et ventura dies revelabit; quod si forte contingat eos cum veritate stare, postquam fidei aliquid addiderunt, neque nostrum apud Deum judicem reprehensione dignum erit, quippe quod tantis firmatur legitimis rationibus. Si vero accidat eorum opinionem a vero aberrare, sicut sane suspicamur, quantum communicantibus cum Latinis ingerit periculum verioris et communis et patriæ sententiæ desertio, nulla probabili ratione fulta [1]. »

Inde a sæculo XVI, odium Græcorum in Latinos ingravescit sæculoque XVIII eo usque devenit, ut Latini tanquam infideles rebaptizentur. Sæculo XVII, Nectarius Hierosolymitanus objicienti Latinos ab antiquis Byzantinis solemni sententia tanquam hæreticos nunquam fuisse condemnatos ita respondet :

« Si Latini non fuerunt ab Orientalibus tanquam hæretici condemnati, hoc vel ex Orientalium mansuetudine et patientia factum est, aut ἐξ οἰκονομίας : œconomice enim, eo quod auxilio Occidentalium fruerentur adversus hæreticos; mansuetudinis autem et patientiæ fuit bona spe illorum sanitatem a Deo exspectare, illisque, ut decuit, industrie, si opus fuit, et latenter ea præbere quæ ad eorum sanitatem possent conferre. Unum hoc in causa fuit cur Occidentales ab Orientalibus non fuerunt damnati tanquam hæretici. Cæterum periculosum erat appellare vos hæreticos, quando scilicet imperium nostrum fuit debile, vestrum autem prævalebat [2]. »

1. « Εἰ δέ τις ἡμῶν πυνθάνοιτο, καθάπερ εἰώθασι πολλοὶ τοῦτο ποιεῖν, εἰ τοὺς Λατίνους αἱρετικοὺς ἡγούμεθα, φαμὲν ὡς οὐκ ἔστιν ἡμέτερον' ἐν τοσαύτῃ πενίᾳ καὶ ἀσθενείᾳ τῶν πραγμάτων, προσηγορίας ἐπιτιθέναι τοιαύτας Ἐκκλησίᾳ τοσοῦτον ἐχούσῃ κράτος καὶ μηδὲ τοῖς ἡμῶν ὑπείκειν ἀξιούσῃ νόμοις, ὥσπερ οὖν οὐδ' ἡμεῖς τοῖς αὐτῆς· ἀλλ' ἀρκοῦν ἡμῖν τῶν πατρίων ἔχεσθαι διδαγμάτων καὶ νόμων, πρὸς οὐδένα δὲ τῶν ἄλλων διαπληκτίζεσθαι. Ἐκεῖνοι δ' ὁποῖοί ποτέ εἰσιν, οἶδέ τε Θεὸς καὶ ἡ μέλλουσα ἀποκαλύψει ἡμέρα. » *Ibid.*, *Brève apologie*, 12, p. 95.

2. Περὶ ἀρχῆς τοῦ πάπα (Versio latina Allixii, Anglicani : Τοῦ πάνυ κῦρ *Nectarii patriarchæ Hierosolymitani confutatio imperii Papae*

Simplex vero affirmatio de veritate Ecclesiæ græco-russicæ præ omnibus aliis christianis cœtibus apud theologos epochæ modernæ omnino communis est, nec possibile est, neque necessarium omnia recitare theologorum nomina, in quorum scriptis illa occurrit. Sequentes inter multos alios notare satis erit :

Plato Levkhin, in sua *Synopsi christianæ theologiæ*, docet Ecclesiam græco-russicam non solum esse veram Ecclesiam, sed etiam Ecclesiam unicam, quæ a constituto mundo exstitit eademque perseveravit [1]. »

Macarius Bulgakov omnes alias Ecclesias præter Ecclesiam græco-russicam hæresis arguit, concluditque soli Ecclesiæ orientali orthodoxæ congruere quatuor proprietates in Symbolo notatas [2]. Idem explicite docent plerique compendiorum classicorum auctores, ut Antonius [3], Gumilevskii [4], Malinovskii [5], Mesoloras [6], etc.

Philaretus Drozdov, in tertia editione *Catechismi majoris*, nomine Ecclesiæ universalis comprehendit Ecclesias autocephalas, eas scilicet quæ quatuor patriarchis orientalibus, Synodi Dirigenti russicæ necnon aliis metropolitis, archiepiscopis vel episcopis autonomis obœdiunt; unde alios christianorum cœtus ab Ecclesia universali implicite excludere videtur; quod tamen certum non est; siquidem, cum junior esset, oppositæ sententiæ clare suffragatus est, ut mox videbimus.

Occasione autem recentis contentionis, quæ inter theologos russos de unione Veterum Catholicorum cum Ecclesia russica

in Ecclesiam, Londini, 1702, p. 125-126; cf. quæ dicta sunt in, t. III, p. 123.

1. Pars II, § 28, in versione græca, ed. Athen., 1836, p. 130 : « Ἐντεῦθεν συμπεραίνομεν, ὅτι ἡ ἡμετέρα ὀρθόδοξος Ἐκκλησία εἶναι ὄχι μόνον ἡ ἀληθὴς, ἀλλὰ καὶ ἡ μόνη καὶ ἡ αὐτὴ ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. »

2. *Introductio in theologiam orthodoxam*, ed. 5, Petropoli, 1884, p. 408.

3. *Op. cit.*, § 275.

4. *Op. cit.*, t. II, p. 239-240.

5. Hic de Ecclesia catholica sequentia promit : « Ex hoc quod a societate vivifica unius Ecclesiæ catholicæ seipsam sejunxit, Ecclesia occidentalis desiit esse veri nominis Ecclesia; unde veram essentiæ ac vitæ Ecclesiæ cognitionem amisit ». *Specimen theologiæ orthodoxæ*, t. II, p. 296.

6. *Op. cit.*, p. 38-39.

orta est, multi theologi et ipsa Synodus Dirigens Petropolitana in *Responsione ad patriarcham œcumenicum Joachinum III*, anno 1903 data [1], expresse professi sunt Ecclesiam græco-russicam solam esse universalem Christi Ecclesiam [2]; quibus assentiunt plerique recentes catechismorum auctores apud Græcos [3], et patriarcha œcumenicus Anthimus VII in *Encyclica epistola* anno 1895 data [4].

Dubium ergo non est hanc primam opinionem communissimam esse inter Græco-Russos; communissimam sane, non vero solam et unicam; non desunt enim theologi alii qui, se *orthodoxos* jactantes nec ab Auctoritatibus ecclesiasticis Autocephaliarum tanquam hæretici damnati, contrarium teneant, doceantque Ecclesiam græco-russicam non esse nisi Ecclesiæ universæ partem; de quibus nunc loquendum.

II. — De theologis contendentibus Ecclesiam græco-russicam non esse nisi partem Ecclesiæ universæ.

Huic alteri opinioni favet vetus theoria byzantina de pentarchico regimine Ecclesiæ divinitus constituto; cui multi theologi byzantini et etiam inter modernos non pauci adhæserunt; de quorum sententia in capite VI agemus. Si enim Ecclesia universa a quinque patriarchis regatur, uno deficiente, Romano scilicet, alii quatuor totam Ecclesiam repræsentare non valent; et hoc quidem per modum logicæ consequentiæ.

1. « Ecclesia orthodoxa orientalis in præsenti est Ecclesia universalis. » Cf. *Tserkovnyia Viedomosti*, an. 1903, n. 23-24.

2. Inter theologos hujus doctrinæ assertores nominandi veniunt A. Th. Goussev, V. A. Kerenskii, Sergius, Finniæ episcopus. De tota hac litigatione vide permultos articulos a diversis conscriptos in commentariis Academiarum ecclesiasticarum Russiæ ab anno 1902 ad annum 1906, præsertim vero longam disquisitionem Svietlovi de quæstione Vetero-catholica in *Bogoslovskii Viestnik* (1903-1905); cf. etiam *Revue internationale de théologie*, an. 1903-1904. Th. Goussev scripsit Ecclesiam catholicam non esse nisi parodiam Ecclesiæ, illosque hæresis insimulavit qui opinantur Ecclesiam orthodoxam esse tantum partem Ecclesiæ universalis. In *Bogoslovskii Viestnik*, 1903, t. II, p. 136-138.

3. Cf. Bernardakis, *op. cit.*, p. 144 sq.; Khamudopulum, p. 73; etc.

4. Anthimus VII pronuntiat solos christianos orientales esse corporis Christi membra sanctamque Christi Ecclesiam ex glomeratione Ecclesiarum autocephalarum constare.

Qui autem inter Russos recentiores hanc sententiam tuentur, non uno modo suam mentem patefaciunt. Quidam enim expresse dicunt : *Ecclesia græco-russica non est Ecclesia universalis, sed pars ejus tantum*; alii paulo aliter idem significant, asserentes *Ecclesiam græco-russicam ex se solam non posse habere concilium œcumenicum veri nominis, quamdiu perdurat Ecclesiarum separatio*; vel : *Extra Ecclesiam græco-russicam homines salutem consequi posse sive in Ecclesia romana, sine etiam in aliis cœtibus christianis*; vel etiam : *Ecclesiam universalem, inde a separatione Ecclesiarum perfecta, suam amisisse unitatem visibilem.* Horum diversorum modorum loquendi quædam exempla ob oculos lectoris ponamus.

Ecclesiam græco-russicam non esse nisi unam ex partibus Ecclesiæ universæ diserte docet Philaretus Drozdov, inter theologos russos sæculi xix facile princeps, in suo celeberrimo opere inscripto : *Dialogi inter inquirentem et persuasum de orthodoxia orientalis græco-russicæ Ecclesiæ* [1]. Primum quidem expresse fatetur Ecclesiam occidentalem *esse ex Deo*, secundum criterium a Joanne apostolo datum : *In hoc cognoscitur Spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*; *et omnis spiritus qui non confitetur Jesum, ex Deo non est* (I Jo., iv, 2-3); subjicit vero utramque Ecclesiam, orientalem videlicet et occidentalem, suum proprium habere spiritum seu propriam ad Spiritum Dei relationem; quod deinde explicat dicens Ecclesiam orientalem quidem esse Ecclesiam particularem *pure veram*, absque ulla erroris vel mendacii admistione antiquam Ecclesiæ universæ traditionem fideliter servantem; Ecclesiam occidentalem vero esse Ecclesiam *non pure veram*,

1. *Razgovory megdu ispytuiuchtchim i uvierennym o pravoslavii vostochnoi greko-rossiiskoi Tserkvi*, ed. 1, Petropoli, 1815; ed. 4, Mosquæ, 1843. Hujusmodi dialogos græce reddidit Græcus Vallianos, Διάλογοι περὶ ὀρθοδοξίας τῆς ἀνατολικῆς καθολικῆς 'Εκκλησίας μεταξὺ ἐρευνητοῦ καὶ πεποιθότος, Athenis, 1853. Hanc versionem præ manibus habemus et hic citamus. Eosdem dialogos gallice transtulit Sondakov et in commentario *L'union chrétienne* (an. 1862-1863) edidit. Hoc opusculum magni faciunt quidam theologi russi : « Dialogi Philareti una cum catechismo ejusdem, ait Akvilonov, *op. cit.*, p. iv-v, pro theologo orthodoxo vices, ut ita dicam, gerunt ejus quod in antiqua Ecclesia appellabant κανόνα ἐκκλησιαστικόν, κανόνα τῆς ἀληθείας. »

quippe quæ salutari doctrinæ christianæ fidei falsas ac noxias opiniones humanas miscuerit [1].

Ex hac prima affirmatione, scilicet quod utraque Ecclesia, orientalis et occidentalis, sint Ecclesiæ universæ partes, theologus russus logicas deducit consequentias :

Primo, utriusque Ecclesiæ separationem comparat cum divisione unius regni Judæorum in regnum Juda et regnum Israel, quæ post Salomonis mortem accidit. Regno Israel respondet Ecclesia occidentalis, quæ ab Ecclesia orientali se separavit, dum quædam ad fidei doctrinam pertinentia *absque alterius dimidii christianismi, nempe Ecclesiæ orientalis* [2], participatione, privato judicio decrevit ac definivit.

Secundo, pronuntiat septem tantum esse concilia œcumenica. Synodus photiana quidem, quæ in templo Sanctæ Sophiæ, anno 879-880 congregata est, in græcis codicibus *œcumenica octava* audit; « verum, quia christianismus occidentalis in rejicienda hac synodo perseverat, Ecclesia orientalis, *concordiam œcumenicam servans*, septenarium retinet conciliorum œcumenicorum numerum, quæ nec ipsa occidentalis Ecclesia repudiare potest [3]. » Synodi autem, quas Ecclesia occidentalis post separationem œcumenicitate donavit, puta Tridentina, non possunt esse concilia œcumenica veri nominis, quod Ecclesiæ orientalis suffragio non fuerint confirmatæ. Præterea, concilium Tridentinum nec

1. « Κατὰ τὸ τεκμήριον τοῦτο καὶ ἡ ἀνατολικὴ καὶ ἡ δυτικὴ 'Εκκλησία ἐκ τοῦ Θεοῦ εἰσι, διότι καὶ ἡ μὲν καὶ ἡ δὲ ὁμολογοῦσι τὸν 'Ιησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα. 'Αλλ'ἐν τοσούτῳ, εἰσὶ δύο 'Εκκλησίαι διχογνωμοῦσαι πρὸς ἀλλήλας. — Ναὶ μέν, ἀλλὰ ἑκατέρα ἔχει ἴδιον ἑαυτῆς πνεῦμα, ἢ ἰδίαν πρὸς τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ἀναφοράν... Μεταξὺ τῶν ὁμολογούντων, ὅτι ὁ 'Ιησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός, ὑπάρχουσί τινες ἀναμιγνύντες εἰς τὴν ἀληθινὴν καὶ σωτήριον διδασκαλίαν τοῦ εὐαγγελίου ἀνθρωπίνας γνώμας ψευδεῖς καὶ ἐπιβλαβεῖς. » *Versio græca*, p. 19, 25.

2. « 'Ελπίζω ν'ἀποδείξω σοι δι'ὀλίγων λέξεων, ὅτι τὸ περιφρονεῖν τὴν 'Ανατολικήν, ἡμίσειαν τοῦ ὅλου μερίδα τοῦ χριστιανισμοῦ, ὡς ἀσήμαντον, δὲν σημαίνει κρίνειν τὴν κρίσιν τοῦ Θεοῦ. » *Ibid.*, p. 47.

3. « 'Αλλ' ἐπειδὴ ὁ δυτικὸς χριστιανισμὸς ἐπιμένει εἰς τὸ μὴ ἀναγνωρίσαι αὐτὴν ὡς τοιαύτην, ἡ ἀνατολικὴ 'Εκκλησία, φυλάττουσα τὴν οἰκουμενικὴν ὁμοφωνίαν, τηρεῖ τὸν ἕβδομον ἀριθμὸν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων, ἃς οὔτε καὶ ἡ δυτικὴ 'Εκκλησία ἀπορρίψαι δύναται. » *Ibid.*, p. 53.

ipsius Ecclesiæ occidentalis plenaria synodus exstitit, quod hæc Ecclesia in partes tunc divisa erat [1].

Tertio, promissiones Christi de Ecclesia perpetuo duratura et de inferi portis victoriam reportatura non particulares Ecclesias, sed Ecclesiam universam spectant : « Ecclesiæ particulares concutiuntur, et forsan cadunt. In Apocalypsi, xx, istæ candelabris comparantur, in quibus lumen veritatis et charitatis oleum imminuantur, accidere potest, immo e suo loco moveantur (Apoc., 2, 5), id est, subvertantur. Interim vero, dum ex ipsis quædam exstinguuntur et cadunt, qui in medio aureorum candelabrorum decurrit (Apoc., 2, 1) de loco in locum eas transfert, ac fulgidiori luce eas rursus accendit. Unde quælibet particularis Ecclesia non solum vacillare, sed etiam perire potest; contra Ecclesiam universalem vero nulla mala potestas unquam prævalebit [2]. »

Quarto demum, Philaretus de Ecclesia occidentali ejusque præsenti statu judicium ferre recusat : « Satis mihi est, inquit, in Ecclesiæ orientalis candelabro purum lumen invenire, quod tenebras meas illuminet. Ad Ecclesiam vero occidentalem quod attinet, illas particulares sententias fugio, quas inacceptabiles vel prorsus falsas post accuratum examen existimo. Quoniam autem ignoro utrum ex christianis occidentalibus multi sint qui his particularibus opinamentis intima persuasione adhæreant, vel ex illis quis, et quanta firmitate, super fidem lapidis angularis Ecclesiæ Christi universæ solidetur, ideo mea erga doctrinam Ecclesiæ orientalis legitima veneratio habenda non est ut christianorum occidentalium ipsiusque Ecclesiæ occidentalis judicium ac condemnatio. Secundum ipsas ecclesiasticas leges, particularem Ecclesiam occidentalem judicio Ecclesiæ universalis relinquo; animas vero christianas judicio, vel potius

1. « ’Αφ’ ἧς ἐποχῆς ἡ δυτικὴ ’Εκκλησία... ἐχωρίσθη ἀπὸ τῆς ἀνατολικῆς ’Εκκλησίας καὶ τῶν πατριαρχῶν αὐτῆς, αἱ δυτικαὶ σύνοδοι συγκροτηθεῖσαι ἄνευ τῆς συμμετοχῆς τῆς ἀνατολικῆς ’Εκκλησίας καὶ μὴ κυρωθεῖσαι τῇ ψήφῳ αὐτῆς δὲν ἔχουσιν, ὀφθαλμοφανῶς, τὸ πλῆρες καὶ τὴν ἀξίαν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων. » *Ibid.*, p. 47.

2. « ῞Οθεν πᾶσα μερικὴ ’Εκκλησία οὐ μόνον να κλονηθῇ, ἀλλὰ καὶ ν’ἀπολεσθῇ δύναται, ἀλλὰ τῆς οἰκουμενικῆς ’Εκκλησίας οὐδέποτε οὐδεμία κακὴ δύναμις δύναται νὰ κατισχύσῃ. » *Ibid.*, p. 85-86.

misericordiæ Dei trado. Fides quidem et charitas ad zelandum pro sancta Ecclesia orientali me impellunt; charitas vero, humilitas et spes erga dissidentes patientiam me docent. Puto me in hoc fideliter obsequi spiritui Ecclesiæ orientalis, quæ cujusque sacræ functionis initio non solum pro sanctarum Dei Ecclesiarum prosperitate, verum etiam pro omnium unione preces effundit [1].

Hæc Philaretus; cui assentit ejus coævus N. A. Muraviev, qui tum irenice, tum polemice de rebus theologicis haud pauca conscripsit. In opella polemicæ indolis, inscripta : *Verbum Orthodoxiæ catholicæ ad Catholicismum romanum*, Ecclesiam occidentalem pluries vocat sororem Ecclesiæ orientalis, visibilem Ecclesiæ universæ unitatem periisse lamentatur, nullumque concilium vere œcumenicum sive in Occidente sive in Oriente congregari posse, antequam prisca unitas instauretur :

« Les Romains, inquit ille, se prévalent de leur nombre et de l'ancienneté de leur chaire apostolique, prétendant exclure de la catholicité tout l'Orient, par cette raison que le nombre de ces chrétiens est moitié moins grand que celui des chrétiens d'Occident. Mais ils oublient que si l'Occident ne possède qu'une chaire apostolique de saint Pierre et de saint Paul..., l'Orient, lui, en possède deux, fondées par saint Pierre... et un grand nombre d'autres, établies en Grèce et en Asie par saint Paul et par d'autres apôtres... Quant à l'importance numérique des fidèles professant la religion romaine, l'exemple des tribus de Juda et de Benjamin, qui ont conservé intacte la foi de leurs pères, lorsque les dix autres s'en étaient séparées, démontre assez clairement que ce

1. « Κατὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς νόμους αὐτοὺς παραδίδω τὴν μερικὴν δυτικὴν ’Εκκλησίαν τῇ κρίσει τῆς Οἰκουμενικῆς· τὰς δὲ χριστιανικὰς ψυχὰς τῇ κρίσει ἢ μᾶλλον τῇ εὐσπλαγχνίᾳ τοῦ Θεοῦ. ‘Η μὲν πίστις καὶ ἀγάπη προτρέπουσί με πρὸς τὸν ζῆλον ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀνατολικῆς ’Εκκλησίας· ἡ δὲ ἀγάπη, ἡ ταπείνωσις καὶ ἡ ἐλπὶς διδάσκουσί με τὸ ἀνέχεσθαι τοὺς διαφωνοῦντας. Νομίζω, ὅτι ὡς πρὸς τοῦτο ἀκολουθῶ ἀκριβῶς τὸ πνεῦμα τῆς ἀνατολικῆς ’Εκκλησίας, ἥτις κατὰ τὴν ἀρχὴν πάσης ἱερᾶς ἀκολουθίας δέεται οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς εὐημερίας τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ’Εκκλησιῶν, ἀλλὰ καὶ περὶ ἑνώσεως ἁπασῶν. » *Ibid.*, p. 86-87. De hac doctrina Philareti circa Ecclesiam universam disserit Svietlov in commentario *Bogoslovskii Viestnik*, 1905, t. I, p. 311-318.

n'est pas toujours le plus grand nombre qui est dans la vérité.

« Que les Romains se glorifient du concile de Trente et d'autres encore, qu'ils appellent généraux, sans que les patriarches d'Orient y aient pris aucune part. Ces derniers auront plus de modestie; car bien que, dans leurs réunions fréquentes, ils admettent toutes les immenses contrées du Nord, ils ne qualifieront jamais ces réunions d'œcuméniques, tout en entendant conserver le nom de catholiques apostoliques [1]. »

Opellam absolvit his verbis :

« Ah! si du moins, en attendant le jour tant désiré de la réunion, les deux Églises, mettant de côté toute prévention et fortifiant leur cœur par la charité, s'étaient appliquées à l'étude sincère et approfondie de toutes les questions canoniques sur lesquelles *peut se reconstituer encore l'antique unité de l'église universelle! Mais tant que l'Église de Rome, malgré toutes ses erreurs, s'obstinera à proclamer qu'il n'y a de salut qu'à l'abri de son patriarcat,* sa sœur d'Orient, pénétrée du sentiment de sa propre orthodoxie, ne cessera de pleurer sur un endurcissement si funeste, ni ne cessera de prier humblement le Père des lumières, afin que, par la grâce du Saint-Esprit, il l'éclaire et *réunisse en une seule famille toute l'Église catholique,* rachetée par le sang de son Fils unique [2]. »

Idem, in quadam *Epistola de momento conciliorum œcumenicorum,* hæc habet :

« Hactenus, ex obsequio humilitate pleno Orientis, quod cum arrogantia Occidentis tam clamose pugnat, ipsæ synodi Mosquenses (ann. 1666-1667), quibus tot interfuere præsules, se œcumenicas prædicare abstinuerunt, ob magnæ partis Ecclesiæ antiquæ œcumenicæ absentiam. Tantæ humilitati

1. *Parole de l'Orthodoxie catholique au catholicisme romain. Traduit du russe par Alexandre Popovistki,* Parisiis, 1853, p. 36-37. Paulo supra jam dixerat : « L'Orient ne donne jamais à ses conciles le titre d'œcuméniques, bien que les quatre patriarches, toujours unis dans la foi, s'assemblent souvent pour délibérer sur de graves questions dogmatiques. » P. 31-32.

2. *Ibid.,* p. 63.

multum sane inest amoris ac pacificæ spei. — At quare, iterum interrogabis, quare Ecclesia romana, ubi ab Ecclesia græca se sejunxit, sua concilia titulo œcumenicorum decoravit? — Hoc eidem superbiæ spiritui tribuendum, qui ejus secessionis causa exstitit. Quanquam autem hæc christianorum duas partes habet, quamdiu alia tertia pars in unitate mutuæ societatis cum illa non conjungitur, genuina œcumenicitas ejus conciliis inesse non potest [1]. »

Plato Gorodetskii, metropolita Kioviensis (1803-1891), eumdem de Ecclesia universali conceptum, quem Philaretus et Muraviev, se habere ostendit, dum hanc cum quodam spatioso templo comparavit in plures capellas diviso, quæ ad imam partem per craticios parietes seu cancellos ab invicem separentur, quin separatio ad fornicem usque pertingat. Capellæ diversas Confessiones christianas repræsentant, quæ in inferiori parte ab invicem divisæ, in superiori inter se spiritualiter communicant, et omnes ad caelum, hujus mystici templi fornicem, pariter accessum habent [2]. »

Cum Philareto item sentit Anatolius Martynovskii († 1872), Mohiloviensis archiepiscopus, qui in suo opere : *De relationibus romanæ Ecclesiæ ad cæteras Ecclesias christianas et ad totum genus humanum,* sub ementito nomine Abdiæ Vostokov edito, dicit singulas Ecclesias particulares plus minusve in seipsis delere posse universalitatis notam, ab eaque plus minusve recedere, ad patrias particularitates declinando [3].

Anno 1885, Russus T. Stoianov in quodam articulo inscripto : *Nostri novi philosophi et theologi,* in Vladimirum Soloviev, qui scripserat theologos græco-russos communiter docere Ecclesiam orientalem esse Ecclesiam universalem, vehementer invehitur, pronuntians doctrinam hujusmodi olim quidem, nempe ante Petri Magni tempus, a theologis russis propugnatam fuisse, quippe qui tunc nonnisi imper-

1. Hæc epistola edita est in commentario : *Pribavleniia* (seu *Supplementa*) *ad opera sanctorum Patrum,* t. XVII, p. 305-320.

2. Textum Platonis invenies in commentario *Revue internationale de théologie,* 1903, p. 568.

3. 2 vol., Petropoli, 1857, 1864; cf. t. I, p. 7; t. II, p. 316 sq. Hujus operis exstat italica versio inscripta : *La Chiesa romana nei suoi rapporti con le altre Chiese christiane e con tutto il genere umano,* Romæ, 1874.

fectam de Ecclesia romana notitiam habuerint; inde vero a Petro Magno regnante, theologos orthodoxos huic antiquatæ opinioni valedixisse atque nunc tenere Ecclesiam universalem particularium Ecclesiarum summa constitui :

« Hi novi theologi, inquit, dum Ecclesiæ universæ notas recensent, non eo usque progrediuntur, ut Ecclesiam romanam ex Ecclesiarum particularium cœtu excludant, eamque extra Ecclesiæ universæ fines collocent; » quod Philareti, Muravievi et Abdiæ Vostokovi testimoniis comprobat. Dissertationem vero his verbis absolvit :

« Theologi orthodoxi tenuioribus conceptibus Medii Ævi de Ecclesia romana jamdiu refragati sunt; jamdiu hanc Ecclesiam ut partem Ecclesiæ universæ habent sub certis rationibus. Catholici romani soli suum errorem Medium Ævum redolentem tueri pergunt, dicentes suam Ecclesiam per se solam esse universalem Ecclesiam. Ecclesia romana sola contra fraternum amorem peccat, dum se jactat Ecclesiam universalem. Domine Soloviev, nos, Orientales, romanam Ecclesiam ab Ecclesia universali nequaquam excludimus [1]. »

Ejusdem sententiæ inter coævos nostros propugnator audacior exstat archipresbyter P. Svietlov, qui ad procurandam unionem Veterum Catholicorum cum Ecclesia russica multa scripsit multumque adlaboravit. In suo opere : *Doctrina christianæ fidei apologetice exposita*, suam de Ecclesia universali doctrinam sequentibus declarat propositionibus :

« 1º Omnes christianæ Confessiones de eo quod est essentiale ac præcipuum inter se conveniunt;

« 2º Differentiæ inter Confessiones christianas existentes, illis non exceptis quæ dogma respiciunt, commenticiæ sunt nimiumque amplificatæ fuere;

« 3º *Hæreticitas* occidentalium Ecclesiarum nunquam probata fuit nec demonstrari potest;

« 4º Occidentales christianæ Confessiones, æque atque Orientales, nuncupantur christianæ pertinentque ad Ecclesiam universalem; nec dicendæ sunt cœtus extra Ecclesiam exstantes et ab Ecclesia separati;

« 5º Omnes christianæ Ecclesiæ, quæ tum in Occidente tum in Oriente inveniuntur, sunt Ecclesiæ particulares seu Ecclesiæ universæ partes ac membra; unde immerito omnino Ecclesiæ universæ nomen sibi vindicat quæcumque particularis Ecclesia.

« His quinque propositionibus per modum unius sumptis certa prorsus atque clara datur responsio quæstioni in tractatu propositæ, scilicet : *Ubinam inveniatur nunc Ecclesia universalis*, rectusque de ea conceptus definitur; quæ responsio est præcipua thesis (sexta videlicet) in præsenti tractatu elucidanda, sicque se habet :

« 6º Universalis Christi Ecclesia est universitas vere credentium per Ecclesias christianas particulares Orientis et Occidentis dispersorum, seu, quod idem est, summa Ecclesiarum particularium Orientis et Occidentis, quæ, donec concilium œcumenicum, ob externam Ecclesiæ divisionem, congregari non potest, perfecta quidem ac visibili compactione carent; propter tamen intimam fidei unitatem spiritualemque, quæ in Christo est, vitam, Christi Ecclesiæ seu corporis nomen sibi vindicant.

« Hic conceptus de Ecclesia qua societate invisibili seu spirituali credentium per omnes Ecclesias christianas dispersorum, ponit in Ecclesia de facto existere aliquam divisionem non quidem completam et absolutam, sed imperfectam, externam ac relativam, qua unitati internæ Deo notæ relinquitur locus... Unitatis visibilis defectus invisibili unitati non officit. Conjunctionis cum Ecclesia necnon participationis vitæ spiritualis corporis Christi diversi exstant gradus. Duo siquidem in Ecclesia distinguuntur elementa, unum visibile, invisibile alterum, quæ animæ et corpori in homine respondent. Sicut in homine anima in suo esse aliquo pacto est independens et absque illo subsistere potest, ita etiam Ecclesia, quatenus est invisibilis, a suo elemento visibili non pendet et absque illo constare potest [1]. »

1. In commentario *Viera i razum* (*Fides et ratio*), an. 1885, t. I, p. 180-191. Locum laudatum sumpsimus ex articulo archipresbyteri Svietlov : *Quæstio vetero-catholica in suo novo decursu*, in *Bogoslovskii Viestnik*, 1904, t. I, p. 309-310.

1. *Op. cit.*, ed. 3, t. I, Kioviæ, 1910, p. 208-209.

Posita hac de Ecclesia universali definitione, Svietlov aliam quæstionem solvendam sibi proponit : nempe ubinam reperiatur Ecclesiæ universæ pars melior ac sanior, seu quænam sit Ecclesia particularis, quæ Ecclesiæ universalis portas facilius securiusque aperiat, in illamque introducat. Huic quæsito russus theologus respondet Ecclesiam græco-russicam, etsi hæc, nostris diebus, haud paucis obscuretur defectibus, esse utique saniorem partem illam, quippe quæ summam veritatum fidei ab indivisa Ecclesia septem conciliorum clare definitarum absque ulla mutatione vel adulteratione retineat. Attamen, inquit, de divino judicio, quod solum veritati consonat nobisque ignotum manet, præjudicare abstinemus :

« Vitam terrestrem, inquit, cum trajectu supra procellosum mare versus quietum æternitatis portum conferre consueverunt; Ecclesiam vero navi comparant, in qua, velut in arca Noe, homines salutare perfugium inveniunt, donec super vitæ turbidum mare navigant. Si hujusmodi similitudinem Ecclesiæ universæ accommodaveris, Ecclesia orientalis orthodoxa oceania seu transatlantica navis primæ classis in Anglia constructa tibi erit; Ecclesia vero romana, vapore motum navigium in Russia fabrefactum; Ecclesia anglicana, navis ad decurrendum per flumen Volga apta; Protestantismus, lembus marinus; sectas autem, quæ ab istis Ecclesiis non multum distant, naviculis, vel scaphis, vel etiam fluitantibus bojis cæterisque hujusmodi æquiparabis; demum, qui nullo vinculo ad Ecclesiam pertinent, natatoribus similes sunt, qui propriis viribus tantum confidunt, fortunati sane, si ad littus petendum aliqua navis eis occurrerit. Classiculam hic habes, Ecclesiæ christianæ terrestris imaginem referentem, ubi Ecclesiarum unio instaureretur. Equidem sub militaris artis ratione, hujusmodi classis ex adeo disparibus constans elementis, acerbam non effugeret censuram eorum qui ejus pugnatoriam facultatem ad bellum ineundum perpenderent; verum, judicio adhuc districtiori pateret, si, loco fraterni impetus in hostem, ad hostium conspectum gaudio exsultantium ipsa seipsam subverteret profundumque peteret. Uno verbo, per solam concordiam sive in fide unitatem christianæ Ecclesiæ invicem unitæ

nominis christiani inimicis formidinem ingerere possunt. Hæc vero in fide unitas nonnisi gradatim per fraternam Ecclesiarum ad invicem societatem stabiliri potest. Hujusmodi unitas nondum in promptu est, nondum existit; ut summum quid progredienti perfectione christianorum in fide et spirituali vita acquirendum Ecclesiæ proponitur [1]. »

Ut ex his patet, Svietlov est illius ecclesiasticæ unitatis rationis studiosus, quam de articulis fundamentalibus vocant, a calvinista Jurieu sæculo XVII exeunte excogitatum; cui suffragantur non solum Protestantes fere omnes, sed etiam alii theologi russi, qui una cum Svietlov de procuranda unione Veterum Catholicorum cum Ecclesia russica recentibus his annis solliciti fuere; inter quos emicuerunt professor V. Bolotov et dux A. A. Kireev [2].

Apud Græcos, eadem doctrina a paucis tantum propugnata est. Inter antiquos Byzantinos, Nilus Cabasilas res ecclesiasticas sine Papa canonice componi non posse fateri non dubitavit; subjiciebat vero ipsum Papam ad normam canonum nihil ordinare posse sine aliorum patriarcharum consensu [3]. Anno 1862, œcumenicus patriarcha Joachimus II,

1. *Ibid.*, p. 225-226.

2. Concilium œcumenicum haberi non posse absque participatione Ecclesiæ occidentalis identidem docent quidam theologi russi vel græci in variis commentariis; cf. *Responsum* cujusdam Russi anonymi Encyclicæ Pii papæ IX anno 1848 datæ, in *Pribavleniia ad opera sanctorum Patrum*, pars VIII, 1849, p. 61. In commentario *Novy Put* (Nova via), 1904, alius Anonymus scripsit : « Serio nititur fundamento sententia tenens Ecclesiam orientalem concilium œcumenicum habere non posse, nisi prius cum Ecclesia occidentali conjuncta fuerit. » Eidem doctrinæ suffragatur magnus historiæ ecclesiasticæ scriptor Russus A. P. Lebedev in suo opere : *Clerus antiquæ Ecclesiæ œcumenicæ* (*Dukhovenstvo drevnei vcelenskoi Tserkvi*) *a temporibus apostolicis usque ad seculum IX*, Petropoli, 1905, p. 245-246 : « Post sæculum VIII, concilia œcumenica non vidimus amplius in Ecclesia. Cum Ecclesia orientali societatem dirupit principalis et maximus patriarcha, Romanus; unde neque in Oriente, neque in Occidente potest esse concilium œcumenicum veri nominis. Pro Ecclesia orientali vox patriarchæ Romani, Papæ scilicet, in vanum sonat. Atqui absque omnium patriarcharum consensu non potest esse concilium œcumenicum. Ita sentiebat antiqua Ecclesia. Schisma patriarchicum conciliis œcumenicis finem imposuit. »

3. « Οὐκ ἔστι, τοῦ πάπα χωρίς, τὰ ἐκκλησιαστικὰ κανονίζεσθαι. Καλῶς

in synodicis litteris a duodecim metropolitis subsignatis Ecclesias occidentales Ecclesiæ orientalis sorores appellat, dicens omnes esse unius ejusdemque universitatis partes [1].

Professor Diomedes Kyriakos item Veteres Catholicos haud semel pronuntiavit esse Ecclesiæ universæ et orthodoxæ genuina membra [2]. In quibusdam vero græcis catechismis legitur visibilem Ecclesiæ unitatem per Ecclesiarum separationem sæculo IX periisse, atque universalem Ecclesiam in duas partes nunc disjunctam esse; quæ sunt Ecclesia occidentalis et Ecclesia orientalis [3].

III. — De theologis qui de proposita quæstione pugnantia proferunt.

Haud raro inveniuntur Græco-Russi qui, Ecclesiam græco-russicam pro universa ac unice vera Christi Ecclesia habentes, conciliis Ecclesiæ catholicæ post consummatum schisma congregatis œcumenicitatem ideo denegent, quod Orientales dissidentes hujusmodi conventibus non interfuerint. Dum autem ita loquuntur isti, sententiæ Philareti, Muravievi et aliorum implicite suffragantur, et sibi ipsis contradicunt. Si enim, eorum sententia, Ecclesia catholica romana ad Ecclesiam universam nullo modo pertinet, sed est tantum schismatica vel hæretica secta, non est cur de

γε. ’Αλλ’οὐδὲ τοῦ πάπα, τῶν ἄλλων χωρίς, ἕως ἂν τοῖς τῶν ἀποστόλων νόμοις πειθόμενος ᾖ. » Περὶ ἀρχῆς τοῦ πάπα, *P. G.*, t. CXLIX, col. 728.

1. Hujusmodi litteræ ad commentarii *L'Union chrétienne* directores missæ sunt; cf. Svietlov, *Quæstio vetero-catholica in suo novo decursu*, in *Bogoslovskii Viestnik*, 1904, t. I, p. 307.

2. « Selon moi, vous êtes orthodoxes *ipso facto* »; sic Diomedes ad Veteres Catholicos; cf. *Revue internationale de théologie*, 1905, p. 725-727.

3. Cf. Gegle, ’Ορθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Patris, 1899, p. 61-62 : « ‘Η ἑνότης τῆς ’Εκκλησίας διετηρήθη μέχρι τοῦθ’αἰῶνος. » Item J. E. Mesoloras, ’Ορθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, ed. 3, Athenis, 1891 (a sancta synodo Atheniensi approbata), p. 60 : « Μέχρι τοῦ ἐνάτου αἰῶνος (860) ἐπὶ Φωτίου, πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, ἡ ’Εκκλησία ἦτο μία· δι’ὃ καὶ αἱ ἕως τότε γενόμεναι ἑπτὰ σύνοδοι οἰκουμενικαὶ καλοῦνται. ’Απὸ δὲ τοῦ ἔτους 860 ἡ μία ’Εκκλησία διηρέθη εἰς ’Ανατολικὴν καὶ Δυτικήν. Τὸ σχίσμα δὲ τοῦτο προῆλθεν ἐκ τῆς ἀλαζονείας τῶν παπῶν, οἵτινες ἤθελον νὰ γίνωνται ἀνώτατοι ἄρχοντες καὶ δεσπόται ἁπάσης τῆς ’Εκκλησίας. »

œcumenicitate synodorum occidentalium ullo pacto sint solliciti, quemadmodum sane Ecclesia catholica de œcumenicitate synodorum dissidentium unquam laboravit.

Inter theologos qui hujusmodi contradictione implicantur, novimus : 1° J. Mesoloram, qui ex una quidem parte profitetur Ecclesiam græco-russicam esse solam veram Christi infallibilem Ecclesiam [1], ex alia vero hæc scribit :

« Nostra Ecclesia orientalis solas has septem synodos habet œcumenicas, quæ et tales sunt, quod eo tempore congregatæ sunt quo *Ecclesia una erat* eisque aderant legati totius hierarchiæ Ecclesiæ universalis... Revera œcumenicæ non sunt hujusmodi synodi occidentales, non solum quia in illis non repræsentabatur Ecclesia universa, sed etiam quia non convocabantur in nomine Domini [2]. »

2° A. Maltzev, qui in suo opere: *Dogmatische Eroerterungen zur Einführung in das Verstaendniss der orthodox-katholischen Auffassung in ihren Verhaeltniss zur romischen und protestantischen*, Berolini, 1893, nunc quidem dicit : « Omnino falsa est sententia quæ tenet, inde ab Ecclesia occidentali ab unitate Ecclesiæ orthodoxæ divulsa, concilium œcumenicum amplius haberi non posse », nunc vero de concilio Vaticano hæc profert : « Revera hujusmodi concilium non est œcumenicum, quod sola Ecclesia occidentalis ibi repræsentabatur [3]. »

3° Canonista græcus Sakellaropulos, cui Ecclesia catholica est Ecclesia falsa; cui tamen, postquam hæc Ecclesia ab Orientali separata est, Ecclesia universa non fuit amplius una [4].

1. Συμβολική, II², p. 26-27, 38-39.

2. *Ibid.*, p. 32-34 : ‘Η ἡμετέρα ἀνατολικὴ ’Εκκλησία μόνας ταύτας τὰς ἄνω ἑπτὰ συνόδους παραδέχεται ὡς οἰκουμενικάς, ὡς καὶ εἶνε τοιαῦται, διότι συνεκροτήθησαν καθ’ὃν χρόνον ἡ ’Εκκλησία ἦτο μία, ἀντεπροσωπεύετο δὲ ἐν αὐταῖς ἅπασα ἡ ἱεραρχία τῆς οἰκουμενικῆς ’Εκκλησίας... Καὶ ἀληθῶς δὲν εἶναι οἰκουμενικαὶ αἱ δυτικαὶ αὗται σύνοδοι, διότι οὐ μόνον δὲν ἀντεπροσωπεύετο ἐν αὐταῖς ἅπασα ἡ οἰκουμενικὴ ’Εκκλησία, ἀλλὰ καὶ δὲν συνεκροτοῦντο ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου. »

3. Cf. J. B. Röhm, *L'Eglise orthodoxe gréco-russe*, Parisiis, 1897, p. 86-87.

4. ’Εκκλησιαστικὸν δίκαιον, Athenis, 1898, p. 8-9, 16, 23 : « Τοιαύτη ἦτο ἡ σχέσις τῆς ’Εκκλησίας πρὸς τὴν πολιτείαν, ὅτε ἡ ’Εκκλησία ἦτο μία. »

IV. — Corollaria ex supra dictis logice manantia.

Gravissimæ sane sunt consequentiæ theologicæ ex supra dictis sponte ac logice omnino fluentes :

Primo quidem, Græco-Russi non possunt esse sibi conscii se constituere ac efformare totam Christi Ecclesiam, cum ex illis haud pauci teneant Ecclesiam græco-russicam non esse nisi partem Ecclesiæ universæ;

Secundo, Ecclesia græco-russica ex se sola non potest habere concilium vere œcumenicum, quamdiu perdurat Ecclesiarum separatio. Ergo ex se sola, non est Ecclesia vere perfecta et independens;

Tertio, si Ecclesia græco-russica non potest habere concilium œcumenicum, ipso facto magisterio infallibili caret; multi enim ex theologis ejus, ut fusius infra videbimus, concilium œcumenicium habent ut unicum infallibilitatis ecclesiasticæ subjectum, seu unicum medium per quod Ecclesia universa infallibiliter loqui valeat;

Quarto, omnes quæstiones ad fidem pertinentes, quas septem prima concilia œcumenica per modum certæ ac expressæ definitionis non solverunt, pro Græco-Russis insolubiles practice manent. Quidquid extra campum definitionum septem conciliorum versatur, theologorum libero examini relinquitur, nec sententiarum controversarum seu, ut quidam recentes dicunt, *theologumenorum*, limites prætergredi valet. Hanc consequentiam, cui theologi græco-russi haud pauci expressis verbis subscripsere, hæc nostra theologiæ græco-russicæ expositio factorum testimonio satis superque confirmavit.

ARTICULUS III

De necessitate Ecclesiæ ad salutem consequendam juxta theologos græco-russos.

Axioma ab Ecclesiæ Patribus jam prædicatum et in theologia catholica tritum, extra Ecclesiam scilicet non dari salutem, communiter repetunt compendiorum classicorum auctores; quod ut probent, eadem fere promunt argumenta, quæ apud catholicos theologos occurrunt [1]. Notandum est tamen hujus axiomatis significationem apud eos plus minusve late patere secundum singulorum de Ecclesiæ universæ extensione sententiam. Quibus Ecclesia universa constat ex omnibus sectis christianis, his utique axioma aliter sonat ac illis, quibus sola Ecclesia græco-russica est Ecclesia veri nominis.

Ad christianos quod attinet valido baptismo baptizatos, omnes a salute excludunt impænitentes, apostatas et hæresiarchas, qui hæreseos vel schismatis formale peccatum commiserunt, nec pænitentiam egerunt. Quidam vero, ad bonam fidem eorum qui in hæresi vel schismate nati sunt et vivunt, attendentes, docent christianos hujusmodi in sua Ecclesia particulari extra visibile corpus Ecclesiæ græco-russicæ salutem consequi posse. Hanc sententiam diserte propugnarunt quidam commentarii russici *Missionerskoe obozrenie* scriptores, inter quos venit missionarius Sabbas, cujus verba referre juvat :

« Totius peccati separationis ab ecclesiastica communione rei sunt non quidem qui ad illas Ecclesias hæreticas nunc tanquam membra pertinent, sed qui tempore præterito suis hæreticis vel schismaticis opinionibus suaque agendi ratione discidii et divisionis in Christi Ecclesia auctores fuere. Heresiarchæ et schismatis coryphæi : en qui terribilis Dei judicii pondus sustinebunt... Præsentes sectatores catholicismi, anglicanismi, armeniacismi et aliarum Ecclesiarum a communione unius Ecclesiæ Christi separatarum formidandæ punitioni, reprobationi ex parte Christi necnon æternæ perditioni obnoxii esse non possunt; siquidem ejus, quod abhinc, mille circiter annis accidit, innocentes sunt. Culpa item vacant et alii omnes sectarum et schismaticarum Ecclesiarum fideles, ad Ecclesiarum separationem

1. Cf. Macarium, *op. cit.*, t. II, p. 206-210; Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 247-250; Antonium, *op. cit.*, § 273, ed. græca, p. 322-323, qui in fine dicit : 'Αδύνατον, « ἄνευ ζημίας ἐν τῇ σωτηρίᾳ ψυχρῶς ἔχειν καὶ ἀδιαφορεῖν περὶ τὴν πίστιν τὴν ἀληθῆ καὶ τὴν ἀληθῆ 'Εκκλησίαν. » Cf. etiam Ossinin, *De proprietatibus essentialibus necnon de momento generali Ecclesia Christi*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1862, t. I. p. 523.

vel communionis earum cum una Christi Ecclesia quod attinet. Peccatum hujusmodi est majorum eorum proprium [1]. »

Utrum ad salutem pervenire possint pagani et infideles extra visibilem Ecclesiam positi, pauci tantum quærunt incertasque dant responsiones. De hac quæstione sequentia scripsit Khomiakov :

« Les liens secrets qui unissent l'Église terrestre au reste de l'humanité ne nous ont point été révélés : nous n'avons donc ni le droit ni le désir de supposer une condamnation sévère qui serait démentie par la bonté divine. Les paroles de l'Esprit de Dieu dans l'épître de saint Paul aux Romains et le récit de la conversion du centurion nous permettent, au contraire, de nourrir de douces espérances pour tous nos frères, quelles que soient les erreurs de leurs doctrines [2]. »

Malinovskii vero hæc habet :

« Præter eos qui propria culpa et scienter ab Ecclesia recesserunt, haud pauci fuerunt vel adhuc reperiuntur extra Ecclesiam, quin hoc, ut videtur, vitio eis dari possit, ut sunt multi ex paganis gentibus oriundi, quibus Christus non fuit prædicatus; heterodoxi extra veram Ecclesiam cum suis parentibus nati, qui sufficientem de Ecclesia orthodoxa cognitionem adipisci non potuerunt; infantes hac vita absque baptismo functi. De horum sorte quid sperandum? Huic quæstioni sequens responsum tantum dare licet : Inscrutabilia sunt Dei judicia, eique soli, qui omnia novit, nota est ultima sententia singulorum hominum sortem definiens. Nobis vero ista revelata sunt : *Deus est salvator omnium hominum, maxime fidelium* (I Timoth., IV, 10). Vult ille *omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire* (*ibid.*, II, 4). Deus est *non solum Judæorum, sed et gentium* (Rom., III, 29-30); apud eum *non est personarum acceptio, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi* (Act., 10, 34-35). *Dabit unicuique secundum opera ejus.* Conjicere fas est Deum viis sibi soli notis dignos ex singulis nationibus et regionibus ad Evangelii lumen et

1. *Missionerskoe Obozrenie*, 1908, p. 1155; cf. F. E. Melnikov, *op. cit.*, p. 56-57.
2. *L'Église latine et le protestantisme*, p. 267.

redemptionis gratiam adducere posse, quemadmodum et Christus suo ad inferos descensu et sua quam ibi habuit prædicatione animas eorum, qui ante ejus adventum mortui fuerant, gratiæ redemptionis participes effecit [1]. »

Alii, ulterius progressi, possibilem adstruunt post hanc vitam quamdam evolutionem spiritualem, quemdam in virtute profectum pro iis saltem qui ex hac vita migrarunt cum aliqua habilitate ad recipiendam Dei gratiam; de quibus jam locuti sumus [2].

1. *Op. cit.*, t. II, p. 250.
2. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 34-35; vide etiam Melnikov, *op. cit.*, p. 59-60.

CAPUT QUARTUM

DE PRIMATU PETRI APOSTOLI ET ROMANI PONTIFICIS IN ECCLESIA GRÆCO-RUSSICA POST SCHISMA PERFECTUM

Prænotamina.

Forma regiminis ecclesiastici, quam autocephalismi synodalis appellatione nuncupavimus et in capite II breviter delineavimus, hodie quidem inter Græco-Russos omnino communis evasit et a theologis ut divinitus constituta propugnatur ac defenditur; erraret vero qui putaret eam in Ecclesia græco-russica semper viguisse et ab ipsis schismatis byzantini exordiis originem ducere. Re vera, hujusmodi forma, prout nunc a dissentibus exponitur, satis recentis est invectionis, et nonnisi sæculo XIX expolita est; plures vero aliæ regiminis rationes sæculorum decursu vel vicissim, vel etiam simul, in theologia dissidenti apparuere; quarum singulæ suos studiosos habuere. In hac siquidem quæstione, sicut et in multis aliis, mira opinionum varietas inter theologos deprehenditur; quas tum in præsenti capite, tum in sequentibus duobus exponere in proposito est.

In tomo primo hujus operis vidimus Photium primum quidem, cum scilicet adhuc catholice sentiret et ageret, tum Petri apostoli, tum ejus successoris, Romani Pontificis primatum verbis et factis diserte agnovisse; postea vero eum, animo schismatico ac polemico jam ductum, variis ratiunculis ac sophismatibus utrumque impetivisse; demum, in concilio Sanctæ Sophiæ, anno 879-880 habito, ac deinceps formæ quæ de *dyarchia* dici potest, stetisse. Dyarchia, ut fert vox ipsa, est principatus duorum. Dyarchiæ ecclesiasticæ latenter favere visi fuerant, inde a sæculo IV exeunte, Constantinopolitani præsules; quos ostendimus totis viribus conatos fuisse non quidem ut primatum Romanæ sedis

expresse negarent, vel directe labefactarent, sed ut ejus jurisdictioni practice sese subducerent, ejus æquales fierent et in totum Orientem christianum dominatum obtinerent. Tempore Photii, dyarchia factis ac praxi vigenti satis bene respondebat, quatenus ex una quidem parte, patriarcha Constantinopolitanus in alios Orientis patriarchas infidelium imperio jam subditos veram jurisdictionem haud semel exerceret, ex alia vero, Romanus Pontifex negotiis ecclesiasticis Orientalium nonnisi raro interveniret. Unde canon 1 præfatæ synodi photianæ dyarchiam satis bene declarabat his verbis :

« Decrevit sancta et œcumenica synodus, ut si qui ex Italiæ clericis, vel laicis, vel episcopis, in Asia vel Libya vel Europa versantes, sub vinculo vel depositione vel anathemate apud sanctissimum papam Joannem fuerunt, ut ii quoque sint ejusmodi etiam apud Photium sanctissimum patriarcham Constantinopolitanum in eadem pœnæ definitione, id est, vel depositi, vel anathematizati, vel segregati; et quos Photius quidem sanctissimus noster patriarcha, clericos, vel laicos, vel episcopalis, vel sacerdotalis ordinis, in quacumque parochia segregationi vel depositioni vel anathematizationi subjecerit, sanctissimus quoque papa Joannes et sancta Romanorum Ecclesia eosdem in eodem pœnæ judicio habeat, privilegiis sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ sedi et ejus antistiti insitis nullo pacto nec nunc nec in posterum innovatis [1]. »

Hujus canonis sane scopus est quamdam æqualitatem, ad jurisdictionem quod spectat, inter papam Joannem et Photium patriarcham constituere. Romanæ sedis privilegia verbis potiusquam re ipsa servantur; siquidem hoc decreto ipsum jus recipiendi quascumque appellationes ex quacumque orbis catholici parte, quod inde ab Ecclesiæ initio Petri successori adscriptum fuerat, indirecte labefactatur. Joannes papa et Photius patriarcha nobis exhibentur tamquam quemdam duumviratum efficientes, quo tota regitur Ecclesia. Primus consul, Romanus videlicet, Occidenti, alter Orienti præest.

1. Hardouin, *Collectio conciliorum*, t. VI, p. 320.

Eumdem de regimine Ecclesiæ universæ conceptum suggerunt ea quæ, Photio inspirante, de patriarcha Constantinopolitano a Basilio imperatore compendio legum civilium *Epanagoges* nomine vulgato inserta sunt. Ibi enim Novæ Romæ præsul tanquam totius Orientis papa depingitur ac repræsentatur :

« Sedes Constantinopolitana, imperio decorata, synodalibus suffragiis prima omnium dicta est; quibus obsequentes divinæ leges, causas et controversias in aliis sedibus exsurgentes ad illius examen ac judicium deferri jubent[1]. »

Patriarcha Constantinopolitanus est supremus canonum a conciliis et antiquis Patribus sancitorum interpretator, « jus habet, etiam intra aliarum sedium fines, ubi templi dedicatio non præcessit (= προκαθιέρωσις), *stauropegia* tribuendi (id est, exemptionem a jurisdictione Ordinarii); item in aliis sedibus lites exortas diligenter observandi, sententias recognoscendi judiciisque finem imponendi. Eorum omnium, qui in suo patriarchatu commorantur, spiritualis cura ad eum ultimo pertinet. Solus ipse est judex casuum resipiscentiæ a peccatis et conversionis ab hæresibus[2]. »

Dyarchiæ theoria, quæ præsulibus Novæ Romæ cordi maxime erat, rursus elucet in postulatione Eustathii patriarchæ ad Joannem papam XIX per legatos muneribus onustos, anno 1024 delata. Volebat siquidem Eustathius, ut « cum consensu Romani Pontificis, liceret Ecclesiam Constantinopolitanam in suo orbe, sicut Romana in universo, universalem dici et haberi[3]. »

Ipse Michael Cærularius unionem cum Ecclesia romana instaurari forsan permisisset, si S. Leo papa IX fœdus probasset ab eo hisce verbis propositum : « Si una Ecclesia

1. « Ὁ Κωνσταντινουπόλεως θρόνος βασιλείᾳ ἐπικοσμηθεὶς ταῖς συνοδικαῖς ψήφοις πρῶτος ἐρρήθη, αἷς οἱ θεῖοι κατακολουθοῦντες νόμοι καὶ τὰς ὑπὸ τοὺς ἑτέρους θρόνους γινομένας ἀμφισβητήσεις ὑπὸ τὴν ἐκείνου προστάττουσιν ἀναφέρεσθαι διάγνωσιν καὶ κρίσιν. » Cf. E. Zachariæ a Ligenthal, *Jus græco-romanum*, p. IV : *Epanagoge aucta*, Lipsiæ, 1865, p. 183.

2. *Ibid.*, 183-184; cf. *Theologia Orientalium*, t. I, p. 152-153.

3. Rodulphus Glaber, *Histor.*, lib. IV, c. I, *P. L.*, t. CXLII, col. 670-672.

Romana per te habebit nomen nostrum, omnes Ecclesiæ per totum orbem terrarum dispersæ per me habebunt nomen tuum[1]. »

Cum autem Romani Pontifices petitionibus hujusmodi morem gerere renuissent, Constantinopolitani præsules communionis vinculum cum romana Ecclesia abruperunt, dyarchiæ valedicentes, ut propriam stabilirent monarchiam. Theoriam de translatione primatus a Vetere Roma ad Novam, quam jam ante Photium quosdam Byzantinos propugnasse novimus, cui Photius ipse aliquando suffragatus est, resumpserunt, atque de facto, faventibus circumstantiis, non solum per totam epocham byzantinam, sed etiam ac præsertim post Urbem a Turcis captam in praxim deduxerunt, veram jurisdictionem papalem in omnes Orientis byzantini præsules, patriarchis non exceptis, exercentes. Huic primatui Constantinopolitano adhæserunt canonistæ et polemistæ antilatini haud pauci.

Communius tamen per epocham byzantinam apud theologos et polemistas occurrit hæc regiminis ecclesiastici ratio, quæ *pentarchia* appellata est. Hanc jam plene evolutam ac descriptam in operibus Petri Antiocheni sæculo XI mediante invenimus[2]; quæ in *tetrarchiam* sponte mutata est, ex quo Papam tanquam schismaticum ac hæreticum veri nominis a corpore Ecclesiæ, cujus sensus unus ex quinque olim fuerit, penitus segregatum habuerunt.

Recentiori demun tempore, autocephalismus proprie dictus, quem supra descripsimus, eventuum vi potius quam theologorum labore ac meditatione partus est; non solum enim *pentarchia*, verum et ipsa *tetrarchia* penitus obsoleverat; primatus vero Constantinopolitanæ sedis undique impetebatur.

Dyarchia, pentarchia, tetrarchia, primatus Constantinopolitanus, autocephalismus : hæ regiminis ecclesiastici formæ omnes primatui juris divini Romani Pontificis opponuntur, cum doctrina catholica pugnant, veri nominis hæreses sunt. Theologi et polemistæ dissidentes sæculorum

1. *Leonis IX epistola ad Michaelem*, *P. L.*, t. CXLIII, col. 776.

2. Cf. t. I, p. 280-281.

decursu eas vicissim tuiti sunt, ut primatum Romanum impeterent. Hic tamen in antiqua traditione patristica et in ipso Photii ævo plura ac clariora testimonia habebat pro se facientia quam ut, etiam post schisma consummatum, oblivioni penitus traderetur, nec ullum de eo vestigium in scriptis theologorum remaneret. Revera haud paucos invenimus byzantinos theologos, qui tum primatui beati Petri apostoli, tum etiam *primatui proprie dicto* [1] Romani Pontificis disertis verbis suffragati fuerint, et hoc præsertim in scriptis irenicis, ubi, omni contentione polemica postposita, Ecclesiæ orientalis antiquam fidem ingenue referunt. Item, ejusdem fidei haud adulteratum sonum in libris liturgicis Græcorum percipere est. Nec defuerunt recentiori tempore docti dissidentes qui in suis scriptis confiteri non dubitarunt primatum Romani Pontificis, immo ejus in docendo infallibilitatem, in antiqua traditione valida habere fundamenta, Papasque hujusmodi privilegia multo ante schisma photianum diserte sibi vindicasse. Porro in præsenti capite ea omnia, quæ tum contra primatum Petri Apostoli et Romani Pontificis, tum pro eo in theologia dissidenti occurrunt, summatim ac synoptice exponere intendimus : quod ut ordine præstemus, in decem articulos caput partimur, videlicet :

1º De theologis qui inde a sæculo XII ineunte primatum Petri apostoli docuerunt ;

2º De primatu Petri ex libris liturgicis Græco-Russorum;

3º De primatus Petri adversariis;

4º De sacræ Scripturæ locis primatum Petri respicientibus secundum interpretationem Græco-Russorum;

5º De objectionibus ex sacra Scriptura et Traditione petitis, quas polemistæ antilatini contra Petri primatum proferre solent;

6º Conspectus historicus et bibliographicus controversiæ de primatu Romani Pontificis in theologia græco-russica, inde a sæculo XII ineunte ad nostra tempora;

1. Dicimus : *primatui proprie dicto*, quatenus primatus ab infallibilitate ut sic secerni potest. Negarunt siquidem Byzantini separati Romani Pontificis infallibilitatem in docendo; quam si admisissent, utique non dissedissent.

7º De theologis byzantinis qui primatum Romanum implicite vel explicite agnoverunt;

8º De primatu Romano ex libris liturgicis et canonicis Græco-Russorum;

9º De primatus Romani adversariis qui a sæculo XII ad sæculum XV inclusive fuerunt;

10º Recentiorum theologorum doctrina de primatu Romani Pontificis.

ARTICULUS I

De theologis qui inde a sæculo XII primatum Petri apostoli docuerunt.

Quanquam primatum Petri a primatu Romani Pontificis separari nequit, estque idem privilegium divinitus concessum, a Petro ad ejus successorem dimanans, de facto tamen quidam theologi dissidentes unum ab altero diviserunt, primum, Petri scilicet, confitentes, alterum negantes. Horum theologorum plerique, qui ad polemistarum classem pertinent, a sæculo XII ad sæculum XV vixerunt. Quidam autem alii, antiquorum instar, primatum Petri aperte docuerunt, quin de refellendis Latinis cogitarent, inter quos, sæculo XI ad finem vergente, præclarum exegetam, Theophylactum scilicet, Bulgariæ archiepiscopum, invenimus, cujus explicita de Petri primatu verba in tomo I hujus operis recitavimus [1]. Hic, sæculo XII ineunte, æmulum ac imitatorem habuit exegetam alterum, ei haud imparem, Euthymium Zigabenum nuncupatum, qui evangelicos textus primatum Petri respicientes eodem fere modo explicat ac Theophylactus, vel, si mavis, ac ipse Chrysostomus. Ad verba Christi in evangelio Joannino : *Simon, diligis me plus his?* hæc habet :

« Hunc solum interrogat tanquam coryphæum et os discipulorum... Discipulos dicit agnos suos tanquam pastor eorum; quos etiam oves rursum vocat... *Petro itaque*

1. P. 285-286.

curam pascendi orbem terrarum committit... Quod si quis dicat : « Quomodo Jacobus Hierosolymitanam sedem accepit? » dicemus Petrum *orbis terrarum constitutum fuisse magistrum* [1]. »

In *Evangelii S. Matthæi commentario*, item Petri excellentiam super cæteros apostolos haud obscure innuit :

« Discipuli, his quæ videbant, sciebant Petrum in terra sibi præponi; scire autem volebant utrum etiam in cælo præhonorandus esset [2]. »

Notanda sunt etiam hæc verba *Commentarii in Marcum :*

« Primum itaque apparuit Christus Magdalenæ et alteri Mariæ; deinde his duobus, postmodum Petro. Sane illis non est habita fides; Petro vero ut *omnium coryphæo* fides adhibita [3]. »

Theophanes Kerameus in suis homiliis primatum Petri diserte profitetur; siquidem Petrum vocat coryphæum, apicem, prælatum, fundamentum apostolorum (κορυφαῖον, ἀκρότητα, πρόκριτον, κρηπῖδα τῶν μαθητῶν) [4]. Verba autem Christi : *Tu es Petrus*, etc., explanans dicit :

« Tu, qui Petrus es, *petra* fies fidei Verbi, et constituendæ Ecclesiæ fundamentum, et spiritualis ædificii primum initium. In hac enim confessione, qua me hominem eumdem et Deum esse confessus es, in hac, inquam, stabilietur Ecclesiæ fundamentum... *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Non ait : *Do tibi nunc*, sed *dabo*, tempus scilicet illud post resurrectionem futurum prædicens, quando et sancti Spiritus gratiam illi impertitus est cum potestate ligandi atque solvendi, et rationalibus ovibus pastorem præfecit. Verum quæ claves istæ, quarum portarum claviger constituitur Petrus? Porta hæc Christus est ipse, qui dixit :

1. *Comment. in Joannem*, xxi, 15; *P. G.*, t. cxxiv, col. 1496, 1500 : « Τῆς οἰκουμένης ἐχειροτονήθη διδάσκαλος... τὴν προστασίαν ἐπιστεύθη τῶν ἀδελφῶν. »

2. *P. G.*, *ibid.*, col. 497.

3. « Οὗτοι μὲν ἠπιστήθησαν· ὁ δὲ Πέτρος, ὡς κορυφαῖος πάντων ἐπιστεύθη » *Comment. in Marcum*, *ibid.*, col. 848 B.

4. Theophanis Cerameі *homiliæ*, *P. G.*, t. cxxxii, col. 465 : « Ὁ κορυφαῖος τῆς ἱερᾶς λογάδος τῶν μαθητῶν. » *Homil.*, xxii; col. 1028 : « Πέτρον, ὡς πρόκριτον καὶ θερμότερον. » *Homil.*, lix; col. 705 : « κρηπῖδα τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. » *Homil.*, xxxvii.

Ego sum ostium; ejus ostii vero clavis est fides, *quam Dominus discipulorum Coryphæo committit*... Dat igitur Petro et iis, qui secundum eum sunt, claves, ut hæreticis quidem impervia et impenetrabilis sit janua regni cælestis, fidelibus vero ad eam pateat aditus [1]. »

Lapsus Petri tritam apud Patres rationem Theophanes repetit :

« Quoniam Petrus ovibus ratione præditis præficiendus erat et ligandi ac solvendi potestatem accepturus, meliore providentia atque consilio cadere permittitur, ut ex seipso disceret erga delinquentes esse longanimem [2]. »

Idem, theologorum catholicorum more, verba Christi *Pasce oves meas* commentatur :

Simon Jona, diligis me plus his? Pasce oves meas. His verbis ostendit Salvator se *Petrum ipsum Ecclesiæ fundamentum* et rationabilium ovium pastorem et discipulorum *suorum firmamentum* proponere. Tria igitur præstanda per hæc verba disponit : linguam Petri, quam negatio contaminarat, per confessionem sanctificat atque a crimine purgat; cæteros discipulos certiores facit Coryphæum de apostolica dignitate et ordine non excidisse; factam illi promissionem implet : *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis* [3].

1. « Σύ, Πέτρος ὤν, πέτρα γενήσῃ τῆς κατὰ λόγον πίστεως καὶ τῆς ἑδραζομένης Ἐκκλησίας θεμέλιος, καὶ πρώτη τῆς πνευματικῆς οἰκοδομῆς ἀφορμή... Κλεῖς δὲ ταύτης τῆς θύρας ἡ πίστις, ἣν ἐγχειρίζει τῷ Κορυφαίῳ ὁ Κύριος... Δίδωσιν οὖν Πέτρῳ καὶ τοῖς κατ᾽ἐκεῖνον (et ejus successoribus?) τὰς κλεῖς. » *Homil.*, lv, *P. G.*, *ibid.*, col. 964-965. Ergo fides Petri, supra quam fundatur Ecclesia, non est a persona Petri separabilis. Ipsi enim Petro committitur clavis, quæ est ipsa fides in Christum Deum et hominem.

2. « Ἐπειδὴ οὗτος ἔμελλε τῶν λογικῶν προβάτων τὴν προστασίαν εἰσδέξασθαι. » *Ibid.*, col. 968.

3. « Ὁ Σωτὴρ ὡς θεμέλιον τῆς Ἐκκλησίας καὶ ποιμένα τῶν λογικῶν προβάτων καὶ κρηπῖδα τῶν μαθητῶν αὐτοῦ αὐτὸν ἐκεῖνον προβάλλεται. Τρία οὖν διὰ τούτων οἰκονομεῖ, κ. τ. λ. » *Homil.*, xxxviii, *P. G.*, *ibid.*, 704-705. Quinam fuerit hic Theophanes, critici adhuc certant. Juxta probabiliorem sententiam, major pars homiliarum sub ejus nomine editarum pertinet ad Theophanem, Rossanensem archiepiscopum in Calabria, qui tempore regis Rogeri vivebat (1129-1152); aliæ sunt cujusdam Joannis Philagathi.

Eodem sæculo XII, canonistæ byzantini Nomocanoni photiano inserunt spurium documentum *Donatio Constantini* vulgo dictum, in quo primatus juris divini beati Petri tam diserte prædicatur. Hoc documentum cum Græci tum Latini genuinum communiter habuerunt [1].

Sæculo XIII, apud Russos, præclarum primatus Petri assertorem invenimus, scilicet Cyrillum Turoviensem episcopum, qui Petrum appellat *protothronum*, petram fidei firmissimam, *inconcussum Ecclesiæ fundamentum*, *ovilis spiritualis Christi pastorem*, regni cælestis clavigerum [2].

Nec minus diserte, eodem ævo, Petri prærogativas extollit Arsenius Autorianus, qui Constantinopolitanam sedem bis tenuit (1255-1259 et 1261-1267), et hoc in quodam libello polemico contra Latinos, cui titulus : Ἀπόδειξις περὶ τοῦ πότε καὶ διὰ τίνων ἡ τῆς Ῥώμης ἐξέπεσεν Ἐκκλησία. Scribit enim :

« Hæc dixit Petrus, Petrus beatus, vere *Petrus Petræ*, *Petra super quam Christus Ecclesiam suam ædificavit*, qui cælorum claves detinet; Petrus qui super undas ambulavit, fervidus Christi amator; qui Romæ Simonem Magum, primum furem et in hæresibus diaboli discipulum, allisit ut coryphæus et præpositus : Ταῦτα Πέτρος ἐφθέγξατο· Πέτρος ὁ μακάριος, ἀληθῶς Πέτρος τῆς Πέτρας· ἡ πέτρα, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμησεν ὁ Χριστὸς τὴν Ἐκκλησίαν· Πέτρος ὁ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν κατέχων· Πέτρος ὁ κατὰ κυμάτων πεζεύσας· ὁ θερμὸς ἐραστὴς τοῦ Χριστοῦ· ὁ τὸν Σίμωνα τὸν μάγον ἐν τῇ Ῥώμῃ ῥήξας, ὡς κορυφαῖος καὶ προστάτης, τὸν πρῶτον λῃστὴν καὶ μαθητὴν τοῦ διαβόλου ἐν ταῖς αἱρέσεσιν [3]. »

Maximus Planudes, in suo perlongo encomio in sanctos apostolos Petrum et Paulum, diserte docet Petrum cæteris apostolis a Christo fuisse præpositum, ipsius Christi locum erga illos tenuisse, dignitate ac potestate illos superasse :

1. « Ινα, ὡς ὁ ἅγιος Πέτρος ἐκ προσώπου τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐστιν εἰς τὴν γῆν, οὕτω καὶ οἱ ἐπίσκοποι, οἱ διάδοχοι τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, ἀρχικὴν ἐξουσίαν εἰς τὴν γῆν ἔχωσι. » *Nomocanon*, tit. VIII, c. I, *P. G.*, t. CIV, 1077C; cf. Balsamon, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 1312.

2. Macarius, *Historia Ecclesiæ russicæ* (russice), t. III, p. 165. Cyrillus a Russis inter sanctos colitur.

3. M. Gedeon, Ἀρχεῖον ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας, t. I, fasc. III, Constantinopoli, 1911, p. 331. Hoc opusculum in *cod. B. 89* Magnæ Lauræ Athenensis, anno 1320 exarato, continetur.

« Talis Petrus, inquit qui coapostolorum electionem perficere potuerit (alludit ad Matthiæ electionem), quod nulli alteri ante, nisi soli Christo competere scimus : hoc enim omni dignitate eminentius est, et soli Petro ex omnibus hominibus hæc felicitas obtigit, qui loco Christi aliorum coryphæus a Christo electus, ipsius locum erga alios tenebat... Quem alioqui discipulorum omnium ferventissimum novimus, eum nunc vice et loco Christi apostolis præfectum conspicientes, quonam loco collocemus [1]? »

Ad trinam Christi ad Petrum interrogationem juxta mare Tiberiadis trinamque Petri responsionem alludens, Maximus dicit Petrum tunc a Christo accepisse ovium præfecturam, τὴν προστασίαν : « Hoc honore super omnes alios dignatus est. Quibus exinde principibus non est venerabilior, quibus regibus non honorabilior? quippe qui solus, quem noverimus, loco Christi et a Christo pastor et doctor omnium gentium ubique terrarum electus est; quam dignitatem in perpetuum conservat [2]. »

Item verba Christi ad Petrum : « *Tu es Petrus*, etc., catholice interpretatur : Confessionis Petri merces fuit quod beatus est dictus quod se a Deo revelationem accepisse audivit, et super petram, quæ est ipse, Ecclesiæ structura innititur [3]. »

Sæculo XIV, Gregorius Palamas præclaras laudes Coryphæo nectit. Asserit nempe illum coryphæum coryphæorum a Domino fuisse constitutum [4]. Cum Adamo protoplasto et supremo generis humani capite illum comparat, eumque summum ducem ac patrem generis fidelium vocat. Salvator dixit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam*

1. « *Encomium SS. Petri et Pauli*, *P. G.*, t. CXLVII, col. 1072 AB : « Ἀντὶ Χριστοῦ τῶν ἄλλων αἱρεθεὶς κορυφαῖος παρὰ Χριστοῦ καὶ τὸν ἐκείνου τόπον τὰ πρὸς ἄλλους τηρῶν... ἀντὶ Χριστοῦ τοῖς ἀποστόλοις ὁρῶντες γινόμενον. »

2. *Ibid.*, col. 1097 C : « Ταύτης ὑπὲρ ἅπαντας τῆς τιμῆς ἠξιώθη... μόνος ὧν ἴσμεν ἀντὶ Χριστοῦ καὶ παρὰ Χριστοῦ ποιμὴν καὶ διδάσκαλος τῶν ἁπανταχοῦ γῆς ἐθνῶν ᾑρημένος, καὶ τετηρηκὼς εἰς πᾶν τὸ ἀξίωμα. »

3. *Ibid.*, col. 1032 A : « καὶ ἐπὶ πέτραν αὐτὸν τῆς Ἐκκλησίας οἰκοδομία. »

4. « Κορυφαῖος τῶν κορυφαίων ὑπὸ τοῦ κοινοῦ Δεσπότου κατέστη. » *Homil.*, V, *in Occursum Domini*, *P. G.*, t. CLI, col. 69 B.

meam[1]. Post suam resurrectionem, Christus illi contulit quod his ultimis verbis ei antea promiserat, suisque ovibus pastorem eum præfecit :

« Si enim congregationem in se credentium vocat ædificationem, promittit se Petrum positurum tanquam fundamentum; si de piscatione sit sermo, piscatorem hominum illum facit, dicens : « *Ex nunc eris hominum piscator.* Si vero suos nominat oves, pastorem illum statuit : *Pasce*, inquit, *agnos meos, pasce oves meas*[2]... Potsquam egit pænitentiam, Petrus non tantum surrexit a lapsu remissionemque obtinuit, sed et Ecclesiæ Christi præfecturam sortitus est[3]. »

Videtur quidem Palamas sanctum Paulum exæquare Petro, dum ambos dicit communes patres et duces eorum omnium qui a Christo vocati sunt : apostolorum nempe, martyrum, justorum, sacerdotum, pontificum, pastorum et doctorum; gregum et edoctorum omnium velut summos pastores[4]; subjicit illos honore esse pares; Ecclesiam Christi ab utroque portari[5]; unum tamen Paulo non tribuit, scilicet esse ἀρχηγέτην seu *summum ducem omnium fidelium*, sicut Adamus fuit ἀρχηγέτης totius humani generis. Cæterum, etiamsi inter Petrum et Paulum omnimodam poneret paritatem, dum hunc etiam supra cæteros apostolos exaltat, hoc utique, quanquam falsum, in damnum Ecclesiæ Romanæ non cederet.

Eodem sæculo, quosdam theologos invenimus primatus Petri assertores, quanquam Romanum Pontificem Petro successisse in hujusmodi primatu negant; inter quos aliquando fuit Barlaamus Calaber, dum adhuc schismati

1. « 'Αναπλάττοντα Πέτρον ὕστερον πατέρα τοῦ γένους τῶν ὄντως θεοσεβῶν... 'Ο ἀρχέκακος καὶ τῷ ἀρχηγέτῃ Πέτρῳ τοῦ τῶν θεοσεβῶν γένους ἐπηρεάζει, ὡς καὶ τῷ ἀρχηγέτῃ τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους 'Αδάμ ποτε. » *Homil.*, XXVIII, *in festum SS. Apost. Petri et Pauli. P. G., ibid.*, 356-357.

2. *P. G.*, t. CLI, col. 357 C.

3. « Τῆς τοῦ Χριστοῦ 'Εκκλησίας τὴν προστασίαν κεκλήρωται. » *Ibid.*, col. 364 A.

4. « Οἱ κοινοὶ πατέρες καὶ καθηγεμόνες πάντων εἰσὶ τῶν ἀπὸ Χριστοῦ καλουμένων, ἀποστόλων, μαρτύρων... » *Ibid.*, col. 365 B.

5. « 'Ορᾶτε Πέτρου καὶ Παύλου τὸ περιφανὲς καὶ ὁμότιμον ὅσον, καὶ ὡς ὑπ'ἀμφοτέρων ἡ τοῦ Χριστοῦ 'Εκκλησία βαστάζεται. » *Ibid.*, col. 361 B

adhæreret; siquidem in quodam opusculo de principatu Papæ nondum edito hæc habet :

« Ego vero de coryphæi Petri principatu, quod scilicet sacri apostolorum duodenarii dux fuerit constitutus et omnibus præiverit, cum nemine profecto contendam. Quantum quis illum exaltare voluerit apostolisque majorem efficere, nullo pacto ambigam ego; at vero non confiteor Papam a divo Petro accepisse, ut aliorum primus esset[1]. »

Hoc idem se sentire innuit Nilus Cabasilas in suo tractatu de principatu Papæ :

« De primatu Petri, inquit, et quod aliorum apostolorum ἔξαρχος fuit constitutus, in præsentiarum inquirendum nequaquam censeo. Sit vero tantum, quantum quis voluerit[2]. »

- Inconsequentiam eorum qui primatum Petri super cæteros apostolos confitentur, negant vero hujus primatus perpetuitatem ac permanentiam in aliquo Petri successore adamussim redarguit Demetrius Cydonius in suo *Testamento :*

« Oportet, inquit, in unum caput multa membra coagmentari, et sponsam unam unius viri esse, et unam domum non multorum œconomorum arbitrio relinqui; quod profecto efficitur ubi unus est qui omnes pascat et congreget. Prius quidem ipse Deus ac Dominus magisterque cum discipulis conversans primitivæ Ecclesiæ hoc munus exhibuit. Cum

1. « 'Εγὼ δὲ περὶ μὲν τῆς τοῦ κορυφαίου Πέτρου ἀρχῆς, ὡς ἔξαρχος κατέστη τῆς ἱερᾶς δωδεκάδος, καὶ πάντων ἡγεῖτο, οὐδενὶ ὅλως διοίσομαι· ἀλλ'ὅσον ἄν τις βούληται ἐξαίρειν αὐτὸν καὶ τῶν ἀποστόλων μείζω ποιεῖν, οὐδὲν ἀμφισβητῶ· οὐ μὴν ὁμολογῶ τόν γε πάπαν παρ'αὐτοῦ τοῦ θείου Πέτρου εἰληφέναι τὸ πρῶτος εἶναι τῶν ἄλλων. » Πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Νικόλαον, περὶ τῆς τοῦ πάπα αρχῆς, in *cod. Paris. græco 1218*, sæc. XV, fol. 522 vo. Nota hunc Barlaami tractatum non illum esse qui in *P. G.*, t. CLI, col. 1255-1280, in parte inferiori columnarum legitur ex editione Claudii Salmasii, Hanoviæ, 1608; siquidem in hoc ultimo opusculo verum jurisdictionis primatum Petro denegat, nonnisi primas in doctrina et consessu ei tribuens; de quo infra quædam subjicimus, p. 346. Catholicus vero factus, Barlaamus Romanæ Sedis primatus præclarus defensor exstitit, ut videre est ex ejus *Epistola ad amicos in Græcia constitutos, P. G., ibid.*,

2. « Περὶ μὲν τῆς ἀρχῆς τοῦ μακαρίου Πέτρου, καὶ ὡς ἔξαρχος κατέστη τῶν ἄλλων ἀποστόλων... ἐν τῷ παρόντι ζητεῖν οὐκ οἶμαι δεῖν. » Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα, *P. G.*, t. CXLIX, col. 701 C.

autem, ut dispensationem adimpleret, corporali præsentia ac consuetudine eos orbaturus esset, ut altero diviniori modo cum eis conviventem seipsum exhiberet, neque tum discipulorum chorum ordinis in universo ubique conspicui expertem reliquit; sed, quamvis ipse eos invisibiliter rursum pascere potuisset, tamen, quod cum corpore adhuc viverent, pastor illis similis opus fuit ad gregis commoda facilius procuranda, omnibus habentibus ad quem in necessitate recurrerent. Unde primus pastor ac magister discipulorum unum elegit, quem aliis pastorem ac præpositum constituit, magistri vices ac munus impleturum, illi et sibi et aliis similis naturæ homines uniturum. Hic autem fuit beatus Petrus, qui Christo hanc præfecturam ministravit, quemadmodum et quodlibet aliud officium ei præstitisset; ad quem necesse fuit omnes respicere, atque divini cultus pietatisque tesseram ab eo accipere. Non enim frustra et incassum magnas illas atque singulares accepit promissiones, vel nunc coryphæus audit, vel condiscipulorum enumeratorum primus ipse proclamatur; sed hæc sunt ejus primatus jurisdictionisque in universam Ecclesiam haud dubia signa. Porro neque dicendum apostolis quidem pastorem opus fuisse, quamvis ob eorum parvum numerum virtutisque perfectionem duce minus eguerint; eos vero qui post ipsos fuere, et nos ipsos, qui in tantum numerum crevimus, quorumque vita ab illorum Patrum conversatione infinite distat, tanquam oves pastorem non habentes relinquendos esse, ad invicem litigantes, invicem mordentes, de primatu, de honore, de divitiis contendentes; quæ mala hominibus in societate constitutis obvenire necesse est, ubi defecerit qui petulantes cum potestate reprehendat... Unde et post Petrum Christus alium erigit, Petri in dignitate ac potestate successorem; et post hunc, alium [1]. »

1. *E codice Vaticano 1102* autographo, fol. 117vo : « Ἕνα τῶν μαθητῶν ὁ πρῶτος ποιμὴν καὶ διδάσκαλος ἐξαίρετον ποιησάμενος τοῖς ἄλλοις ποιμένα καὶ προστάτην ἐφίστησι, τὴν τοῦ διδασκάλου χώραν καὶ χρείαν πληρώσοντα, ἐκείνῳ τε καὶ ἑαυτῷ καὶ ἄλλοις τοὺς ὁμοίους ἀνθρώπους ἑνώσοντα... Οὐ μὴν τοῖς μὲν ἀποστόλοις ἔδει ποιμένος, καίτοι διὰ τὴν ὀλιγότητα καὶ τὸ τῆς ἀρετῆς τέλειον ἧττον ἄρχοντος δεομένοις, τοῖς δὲ μετ᾽ἐκείνους καὶ ἡμῖν εἰς τοσοῦτον ἀριθμὸν ἐπιδεδωκόσι, καὶ ὧν ὁ βίος τῶν πατέρων ἐκείνων παμπληθὲς ἀπολείπεται, τούτους δ᾽ἐχρῆν ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα καταλειφθῆναι, ἀλλήλοις ἐρίζοντας, ἀλλήλους δάκνοντας, πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ πρωτείων, ὑπὲρ δόξης, ὑπὲρ χρημάτων φιλονεικοῦντας· ἃ τοῖς κοινῇ πολιτευομένοις ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθεῖ δι᾽ἐρημίαν τοῦ τοῖς ἀσελγαίνουσι μετ᾽ἐξουσίας ἐπιτιμήσοντος. »

Callistus II Xanthopulus, patriarcha Constantinopolitanus (1397), in quodam opusculo ascetico a se conscripto, dum monasticam vitam adhuc ageret, Petrum a Domino accepisse principatum seu imperium in discipulos aperte docet [1].

Primatum Petri invenimus etiam testatum in tomo synodi palamaticæ anno 1341 promulgato, ubi Petrus appellatur *coryphæus discipulorum et fidei fundamentum* [2].

Sæculo xv, Simeon, archiepiscopus Thessalonicensis, confitetur Petrum esse clavigerum regni cælorum apostolorumque verticem; docet illum a Salvatore gregis Christi pastorem renuntiatum fuisse, postquam egit pænitentiam [3]. Cæterum Simeon, ut infra dicetur, primatus Romani Pontificis disertus exstat assertor.

Hujus fere coævus, Gregorius Tsamblacus, ex Serbia oriundus, qui metropolita Kioviensis fuit, eodem fere sensu ac Catholici evangelicum textum *Tu es Petrus* interpretatur, Petrumque nuncupat fidei petram, regni clavigerum, orbis præfectum [4].

In concilio Florentino, nulla specialis disputatio de primatu Petri habita est; ex quo colligere licet Byzantinos quorumdam polemistarum sophismata adversus hanc doctrinam antea jam prolata vix advertisse. Post concilium autem, hujus primatus assertorem habemus doctissimum Georgium Scholarium, qui in quodam sermone de Petri

1. « Τὸν Πέτρον, ᾧ καὶ τὴν ἡγεμονίαν τῶν μαθητῶν ἐνεπιστεύσατο. » *Opuscula ascetica Ignatii et Callisti Xanthopuli, P. G.*, t. CXLVII, 647 D.

2. « Τὰ δὲ καὶ αὐτὰ ἀπεναντίας ἔχει τῇ μακαριστῇ φωνῇ τοῦ Θεμελίου τῆς πίστεως, τοῦ Κορυφαίου τῶν μαθητῶν. » *Tomus synodicus contra Barlaam et Acyndinum, P. G.*, t. CLI, col. 689 B.

3. « Θεοῦ βασιλείας κλειδοῦχος καθίσταται. » *Dialogus contra hæreses, P. G.*, t. CLV, col. 36 B : « Ἀλλὰ Πέτρος μὲν τῇ μετανοίᾳ καὶ δάκρυσι καὶ τῇ τριττῇ τῆς εἰς Χριστὸν ἀγάπης ὁμολογίᾳ οὐ μόνον τῇ τῶν ἀποστόλων χορείᾳ πάλιν συντέτακται, ἀλλὰ καὶ κορυφὴ τούτων δέδεικται καὶ ποιμὴν τῆς Χριστοῦ ποίμνης κεχειροτόνηται. » *Ibid.*, col. 100 D.

4. Macarius Bulgakov, *op. cit.*, t. v, p. 457-458.

negatione in modum prosopopiæ redacto, Petrum appellat *Ecclesiæ Christi magnum fundamentum*[1] *apostolorum coryphæum*[2], cujus lapsum Christus ad hoc permisit, ut erga peccatores misericors fieret; cui post suam resurrectionem Salvator promissam dignitatem contulit[3].

ARTICULUS II

De primatu beati Petri ex libris liturgicis Græco-Russorum.

In libris liturgicis, quos Græco-Russi nostris etiam diebus usurpant, primatus Petri supra cæteros apostolos necnon ejus in universam Ecclesiam jurisdictio ac infallibile magisterium etiam atque etiam affirmantur. In hymnis festi sanctorum apostolorum Petri et Pauli (cui præit solemne jejunium, quadragesima apostolorum vel jejunium sancti Petri vulgo dictum, a Dominica prima post Pentecosten incipiens), ad textus evangelicos Petri præeminentiam exprimentes, et quidem dogmate catholico tenus, passim alluditur. Sufficiat hunc τοῦ ὄρθρου (matutinum) troparium transcribere :

« Tu merito *petra* denominatus es, in qua inconcussam Ecclesiæ fidem firmavit Dominus; qui rationabilium ovium principem pastorem te constituit, ut omnibus cum fide accedentibus aperires[4]. »

In libris hujusmodi, *solus Petrus* vocatur *claviger regni*

1. *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, t. I, Parisiis, 1928, p. 189 : « Ἐλπίζων δὲ καὶ τὸν τῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας μέγαν θεμέλιον ταῖς σαῖς ὑπὲρ ἡμῶν εὐχαῖς συνεργήσειν. »
2. *Ibid.*, p. 188.
3. *Ibid.*, p. 194-195; cf. p. 153.
4. « Σὺ ἐπαξίως πέτρα προσηγορεύθης, ἐν ᾗ τὴν ἀκράδαντον πίστιν ὁ Κύριος τῆς Ἐκκλησίας ἐκράτυνεν, ἀρχιποιμένα τῶν λογικῶν προβάτων ποιήσας σε· ἐντεῦθεν κλειδοῦχόν σε τῶν οὐρανίων πυλῶν ὡς ἀγαθὸς ἐγκατέστησεν ἀνοίγειν πᾶσι τοῖς μετὰ πίστεως προσεδρεύουσιν. » Nota in hoc tropario petram, quæ Petrus est, clarissime distingui a fide Ecclesiæ, quam firmat ipse Petrus.

cælestis[1], vel *fidelis dispensator seu œconomus regni*[2]; *petra fidei*[3], *basis et petra Ecclesiæ*[4], *præfectus, præses Ecclesiæ*[5].

In quodam tropario festi vinculorum Petri ad Laudes, petra, quæ Christus est, a petra, quæ Petrus est, expresse distinguitur : « *Petra Christus fidei petram splendide glorificavit*[6]. »

Comparate ad cæteros apostolos, Petrus vocatur non solum *primus*, ὁ πρῶτος, *coryphæus*, ὁ κορυφαῖος, *præses*, ὁ πρόεδρος, *primam habens sedem*, ὁ πρωτόθρονος, *apostolorum vel discipulorum;* verum etiam *exarchus*, ἔξαρχος, ὁ προεξάρχων, *præpositus*, προστάτης, *summus vertex*, ὁ κορυφαιότατος, *præcipua basis apostolorum*, ἡ κορυφαία κρηπὶς τῶν ἀποστόλων (die 29 junii)[7]. Hi ultimi tituli non simplicem primatum ordinis et honoris, sed verum primatum jurisdictionis significare videntur. Cæterum, in libro quem Russi appellant « *Prologum* (Πρόλογος), in quo homiliæ Patrum pro diversis festis continentur, ad diem 29 junii, occurrit homilia S. Joannis Chrysostomi in sanctos apostolos Petrum et

1. « Ὁ κλειδοῦχος τῆς οὐρανῶν βασιλείας. » (29 jun.; 16 januarii.)
2. « Ταμίας ἀσφαλὴς τῆς βασιλείας. » (29 jun.)
3. « Ἡ πέτρα τῆς πίστεως, » titulus sæpissime usurpatus, quem Græci ex quibusdam recentibus editionibus Menæorum expunxerunt, edit. Venet., 1843; edit. Atheniens., 1860-1862; quem vero retinent editiones russicæ : Kioviensis, anno 1811; Mosquensis, anno 1832-1833. Petrus etiam vocatur τῆς πίστεως ἕδρα (16 jan.) et δογμάτων βάσις ἄσειστος (16 jan.)
4. « Πέτρα, κρηπὶς τῆς Ἐκκλησίας. » Κρηπίς est fundamentum sustinens totum ædificium; θεμέλιος est fundamentum in genere. Solus Petrus in liturgicis libris vocatur κρηπὶς τῆς Ἐκκλησίας, dum vox θεμέλιος τῆς Ἐκκλησίας applicatur tum Petro et Paulo simul sumptis, tum etiam sancto Bartholomæo (11 jun.), pro hoc tamen sine articulo. Alii apostoli, ut Paulus, Joannes, Lucas appellantur κρηπὶς καὶ θεμέλιος τῆς πίστεως; sed Petrus solus vocatur πέτρα τῆς πίστεως.
5. « Ὁ προστάτης, ὁ προέδρος τῆς Ἐκκλησίας. » (29 jun., 16 jan.).
6. « Ἡ πέτρα Χριστός, ὁ τὴν πέτραν τῆς πίστεως φαιδρῶς δοξάσας. » (16 jan.).
7. Hujusmodi titulos Petro tributos invenies in Menæis, ad dies 29 et 30 junii, 16 januarii, 25 aprilis, 15 augusti. De his titulis egerunt P. Gagarin, *Études de théologie, de philosophie et d'histoire*, t. II, 1857, p. 64-72; Tondini, *La primauté de saint Pierre prouvée par les titres que lui donne l'Église russe dans sa liturgie*, Paris, 1867; Joseph de Maistre, *Du pape*, liv. I, chap. x; alii.

Paulum, ubi Petrus dicitur *dux vel præceptor*, καθηγητής, et *supremus pastor*, ἀρχιποιμήν, *apostolorum*.

In sermone sancti Ephræmi de Domini transfiguratione, eidem Prologo inserto, ad diem 6 aprilis, Petrus nuncupatur *episcopus seu vicarius Filii*, ὁ ἐπίσκοπος τοῦ Υἱοῦ.

Multa alia Patrum scripta in officiis liturgicis legere consueverunt Græco-Russi, in quibus primatus Petri diserta documenta invenies. Hoc unum inter multa proferemus quod in narratione Joannis Thessalonicensis († circa 630) de dormitione beatæ Mariæ virginis occurrit; quam per sectiones in officio festi Dormitionis, die 15 augusti, olim saltem recitatam fuisse ex codicibus manuscriptis certo constat. Primum quidem, quando Maria Joanni apostolo tradere vult cælestem palmam ab angelo sibi allatam, Joannes ei respondet :

« Eam sumere non possum sine coapostolis meis, donec hic non adsunt, ne forte, cum advenerint, mussitatio fiat inter nos et querimonia; est *namque major me inter eos, qui super nos constitutus est*[1]. »

Hic autem aliis prælatus Petrus est, ut ex sequentibus apparet. Apostoli enim Petrum, qui primus orare nolebat, his verbis alloquuntur : « Pater Petre, tu super nos constitutus es; tu ante nos ora[2]. »

Item, in fine sermonis, cum apostoli Mariæ funus jam curant, Petrus Joanni dicit : « Tu virgo es, et ante lecticam hymnos canere tu debes, palmam tenens. » Joannes vero ei respondet : « *Tu es pater noster et episcopus*, et pro lectulo stare debes, donec eum in locum deferemus[3]. »

Quantum ad Ecclesiam romanam, Petrus dicitur *primus episcopus Romæ, omnium urbium maximæ*, τῆς Ῥώμης δεγέγονας σὺ πρωτεπίσκοπος τῆς παμμεγίστου τῶν πόλεων[4].

Ut vim titulorum hujusmodi Petro tributorum enervent,

1. M. Jugie, *Homélies mariales byzantines*, II, in *Patrologia orientali*, t. XIX, p. 385 : « Ἔστι γὰρ μείζων μου ἐν αὐτοῖς, κατασταθεὶς ἐφ' ἡμᾶς. »
2. *Ibid.*, p. 387 : « Πάτερ Πέτρε, σὺ κατεστάθης ἐφ' ἡμᾶς· σὺ εὔχου πρὸ ἡμῶν. »
3. *Ibid.*, p. 398 : « Σὺ εἶ ὁ πατὴρ ἡμῶν καὶ ἐπίσκοπος. »
4. Hæc verba suppressa sunt in editione Venetiana Menæorum, anno 1895 publicata. Eorum loco hæc posuerunt : *Petre, doctor fuisti*

theologi dissidentes duplex effugium excogitarunt. Dicunt nempe :

1º Verba liturgica secundum rigorem dogmaticum non esse accipienda. Encomia non sunt dogmata, ait Elias Meniates in sua *Petra Scandali*[1]; nec secundum sensum litteralem interpretanda sunt, ait A. Lebedev[2]; 2º Similibus titulis in liturgicis libris alios apostolos decorari.

Quibus respondendum : 1º Preces et hymnos sacræ liturgicæ Ecclesiæ fidem ejusque doctrinam communiter receptam generatim referre. Quamvis autem encomia non sint necessario dogmata, possunt quandoque ipsum dogma exprimere; etenim lex credendi statuit legem supplicandi. 2º Verum esse quosdam apostolos præter Petrum, vel simul cum Petro, quibusdam ex supra dictis titulis honorari; ita, v. g., Petrus et Paulus simul appellantur coryphæi apostolorum, doctores, lumina orbis terrarum fundamenta inconcussa (θεμέλιοι ἀρραγεῖς) divinorum dogmatum, Ecclesiæ columnæ. S. Bartholomæus item vocatur θεμέλιος Ecclesiæ; Paulus, Joannes et Lucas salutantur ut κρηπῖδες καὶ θεμέλιοι τῆς πίστεως,, bases et fundamenta fidei; immo Joannes dicitur coryphæus apostolorum. Notandum est autem quædam apposita soli Petro esse reservata, ut jam diximus. Ad nomen coryphæi quod attinet, tribuitur quidem præcipuis apostolorum Paulo videlicet, Joanni, etc., attamen raro, dum Petrus semper audit Ὁ Κορυφαῖος sine addito, ὁ Κορυφαῖος κατ' ἐξοχήν; solus vero dicitur ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων.... Revera, attente percurrenti textus liturgicos

orbis terrarum, præco et petra fidei. Item in officio diei 29 junii, expuncti sunt loci in quibus Petrus et Paulus dicuntur Romam venisse. Græcis enim recentioribus solemne est quorumdam criticorum Germanorum sententiam jam antiquatam propugnare, qua contendunt Petrum Ecclesiam romanam non fundavisse, neque ibi mortem subiisse; cf. quæ dicuntur infra, p. 400.

1. Πέτρα σκανδάλου, p. 83 et 121 : « Τὰ ἐγκώμια δὲν εἶνε δόγματα. » Lebedev, *op. cit.*, p. 150.
2. Lege, v. g., ea quæ scribit, A. Lebedev, *op. cit.*, p. 274-276. Hic auctor, ut textus liturgicos explicet, quædam testimonia obscuriora Patrum profert; postea concludit : « Explanate ut vobis libuerit nostros hymnos laudativos in honorem apostolorum; at quæso, non in sensu, quem nobis imponitis. » *Op. cit.*, p. 276.

apparet carminum et precum auctores Petrum apostolum ab apostolis cæteris discrevisse[1], eique primatum, etiam jurisdictionis, tribuisse tum in apostolos, tum præsertim in universam Ecclesiam. Et hoc non mirum, cum testimonia de primatu Petri non solum apud Patres orientales, qui ante schisma fuerunt, verum etiam, ut vidimus, apud theologos schismati addictos, passim occurrant.

ARTICULUS III

De primatus Petri adversariis.

Prænotamina.

Vox *primatus* etymologice sumpta prærogativam ejus, qui primas in aliquo rerum ordine obtinet, simpliciter designat, nec necessario secum fert notionem potestatis seu dominationis in alios. Huic respondet vox græca πρωτεῖον, vox russica *perventsvo*. Jam vero inter dissidentes non desunt qui Petro primatum seu τὸ πρωτεῖον tribuant, quin doctrinæ catholicæ revera suffragentur. Primatus enim potest esse mere honorificus, simplicem in processu præcedentiam, primum in consessu locum indicare. Unde theologi nostri jure distinguunt inter primatum honoris (græce : τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς ἢ τῆς τάξεως, πρωτοκαθεδρία, russice : *perventsvo* vel *stareïchestvo*, id est primatus fratris vel sodalis natu majoris) et primatum jurisdictionis seu verum *principatum*, quem Græci voce ἀρχή, Russi voce *glaventsvo* communiter designant. Secundum doctrinam catholicam, Petrus verum principatum seu ἀρχὴν in cæteros apostolos et in universam Ecclesiam a Christo accepit; cujus principatus hæres est Romanus Pontifex. Græco-Russi vero, præter illos paucos quos supra memoravimus, Petro aliquod πρωτεῖον τῆς τιμῆς

1. Sic, v. g., in officio diei 29 junii, in principio, Petrus celebratur ut apostolorum *exarchus*, Paulus vero ut qui plus cæteris apostolis laboraverit, τὸν μὲν ὡς τῶν ἀποστόλων προεξάρχοντα, τὸν δέ, ὡς ὑπὲρ τοὺς ἄλλους κοπιάσαντα.

seu *perventsvo* seu *stareïchestvo* libenter quidem agnoscunt; quidam etiam alicujus primatus moralis super meriti, virtutis, indolis vel ingenii excellentia fundati mentionem faciunt, quem apostoli data occasione Petro aliquando tribuerint; denegant vero communiter Coryphæo principatum veri nominis, id est ἀρχὴν seu *glaventsvo;* unde hic sui principatus, qui revera non exstiterit, hæredem habere nequaquam potuerit, quod si primis Ecclesiæ temporibus Romanus Pontifex aliquam in alios orbis catholici præsules juridictionem exercuerit, hanc non a Petro, sed ab Ecclesia ipsa per synodale decretum, vel etiam ab imperatoria potestate acceperit.

Ad negandum Petri primatum theologi byzantini per polemicas cum Latinis contentiones primum inducti sunt. Cum enim Latinos audirent Romanæ Sedis præeminentiæ fundamentum ponere ipsum Petri principatum, hunc sophisticis cavillationibus, quibus Photius ipse jampridem usus fuerat, labefactare conati sunt; moderate tamen nec frequenter huic contentioni operam navarunt, quippe qui tunc temporis in impugnandis azymis et processione Spiritus Sancti ab utroque penitus convellenda toti essent. Inde vero a sæculo XVI, polemistæ antilatini in prærogativam Petri sæpius ac vehementius invehuntur, cum hæc principatus Papæ verum sit fundamentum. Loquemur : 1° De primis adversariis Petri principatus qui per epocham byzantinam fuere; 2° De modernis ejusdem primatus impugnatoribus.

I. — De primis adversariis Petri principatus.

In illis unionis tentaminibus, quæ in primo sæculi XII dimidio inter quosdam theologos latinos et Græcos habita sunt, quæstionem de primatu Petri jam fuisse motam certo constat; cujus primum testem habemus Anselmum Havelbergensem in libro tertio *Dialogorum*. Postquam enim Anselmus mira eloquentia Romanæ Sedis præeminentiam extulit ad textus evangelicos de Petri principatu provocando, Nechites (= Nicetas), archiepiscopus Nicomediensis, in Romani Pontificis dominatum sat acerbe exarsit, hæcque de Petro subjecit :

« An videtur tibi soli Petro et non potius omnibus apostolis dictum a Domino : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. (Joa., xx, 23). Et iterum : *Quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata et in cælis* (Mat., xvi, 19)? Quinimo non soli Petro, sed omnibus cum Petro, et cum omnibus Petro indifferenter dictum a Domino creditur. Nec super solum Petrum descendit Spiritus Sanctus in Pentecoste a Domino missus, qui omnibus æqualiter apostolis ante fuerat promissus, sed omnes simul inflammavit, et non impari dono nec impariter, sed pari dono omnes pariter, sicut promissum fuerat, donavit. Sic ergo recognoscamus Petro acceptam a Domino potestatem, ut non putemus imminuendam cæterorum apostolorum auctoritatem, qui utique æqualiter omnes sine aliquo invicem præjudicio vel usurpatione, tanquam vere mites et humiles corde, eumdem Spiritum Sanctum, acceperunt, et in eodem Spiritu Sancto eamdem potestatem ligandi atque solvendi acceperunt. Nec recte soli Petro videtur attribuendum privilegium, quod ab ipso Domino donante commune est omnium; cavendumque est ne cæteris in eadem potestate eamdem prærogativam habentibus derogetur, dum uni tantum quæ est omnium auctoritas ascribitur. Sic autem honoretur Petrus apostolorum duodecimus, ut cæteri undecim apostoli ab auctoritate sui apostolatus non excludantur, quem certe non a Petro, sed ab ipso Domino, sicut et ipse Petrus, æquali et non dissimili dispensatione acceperunt [1]. »

Nicetas his verbis omnimodam apostolorum æqualitatem satis aperte propugnat. Anselmo vero in textibus evangelicis, quibus soli Petro promittitur vel confertur primatus, iterum insistenti Græcus tandem respondit : « Potest esse quod dicis [2], » et ad alia transivit.

Sæculo xiii ineunte, post Urbem a Crucigeris captam, cum Byzantinorum odium in Latinos ad summum jam exarsisset, polemistæ inter colloquia pro unione instauranda inita Petri prærogativam diserte negarunt, ad Photii sophismata plerum-

1. Anselmus Havelbergensis, *Dialogi*, l. III, c. ix, *P. L.*, t. clxxxviii, col. 1221.
2. *Ibid.*, c.xi, col. 1223 B.

que recurrentes; inter quos primum habemus Joannem X, Camaterum patriarcham (1198-1206), in litteris ad Innocentium papam III missis : hic enim, postquam rationem regiminis ecclesiastici, quæ *pentarchia* audit, fuse explanavit, hæc de primatu Petri subjicit :

« Ut hujus quæstionis rationem accurate explicem, ad aliquam geometricam proportionem recurram, ad illam videlicet, quam apostolus Petrus ad cæteros Christi discipulos habuit necnon ad illam, quam romanam Ecclesiam ad alias patriarchales sedes tenere justum est. Igitur quærendum est utrum Petrus in seipso comprehenderit ac continuerit alios Christi discipulos, utrum sub eo duce ac magistro cæterorum discipulorum chorus constitutus fuerit ac subjectus, ut ita et ipsa romanorum Ecclesia super omnes primatum obtineat. At vero hujusmodi quæstionem nobis dilucide solvet verborum evangelicorum auditio; quæ videlicet Christus, qui mitem et humilem corde se nuncupavit, suis præcepit discipulis : « Vos autem, inquit, nolite vocari Rabbi : unus est enim magister vester, Christus; omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare super terram : unus est enim Pater vester, qui in cælis est. Nec vocemini præceptores; unus est enim præceptor vester, Christus. Qui major est vestrum sit minister vester (Matth., xxiii, 8-11). » Videte Christi humilitatem et ejus altissimam paupertatem, ut cum Paulo loquar (cf. II Cor., viii, 2). Unde nec nos, verbis evangelicis inhærentes, Romanorum Ecclesiam aliarum Ecclesiarum compotem existimabimus, quinimo nec earum matrem vel magistram [1]. »

1. Τοῦ ἁγιωτάτου καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου κῦρ Ἰωάννου τοῦ Καματηροῦ ἐπιστολὴ ἀντιρρητικὴ πρὸς τὰ πρὸς αὐτὸν γραφόμενα παρὰ τοῦ πάπα, ex *cod. Parisiensi 1302*, sæc. xiii, fol. 271 vo—272 : « Ἀλλ' ἵνα τὸν περὶ τούτου λόγον εἰς τὸ ἀκριβὲς διαλήψωμαι, ἀναλογίαν τινὰ λαβὼν γεωμετρικῶς, ἥν τε ὁ ἀπόστολος Πέτρος εἶχε πρὸς τοὺς ἄλλους μαθητὰς τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἣν ἡ τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησία πρὸς τοὺς πατριαρχικοὺς ἑτέρους θρόνους ἀποφέρεσθαι δικαία ἐστί, σκοπητέον εἴπερ ὁ Πέτρος γενικὸς ὑπῆρχε καὶ περιεκτικὸς τῶν ἄλλων μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἴπερ ὑπ' αὐτὸν καθηγεμόνα καὶ διδάσκαλον ὁ λοιπὸς τῶν μαθητῶν χορὸς ὑποτεταγμένος καὶ ὑποκείμενος ἦν, ἵν' οὕτω καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησία κατὰ πάντων ἀποφέρηται τὸ πρωτεῖον. Ἀλλὰ τὴν τοιαύτην ἡμῖν ἀμφισβήτησιν διαλύσει σαφῶς ἡ τῶν εὐαγγελικῶν ῥημάτων ἀκρόασις. »

Laudatis autem evangeliorum locis pro Petri præeminentia facientibus, de eis hanc profert sententiam :

« Si ergo ob hæc contendis Romanorum Ecclesiam cæterarum Dei Ecclesiarum compotem esse necnon matrem ac magistram, nescimus undenam et ex quibus invictis syllogismis hæc tibi consequentia concludatur. Nos enim hæc nihilominus et de cæteris Christi apostolis intelligimus, nihilo minime etiam de Paulo posterius a Christo vocato [1]. »

Joanne Camatero jam mortuo (26 junii 1206), plura de unione instauranda colloquia inter Latinos et Græcos Constantinopoli habita sunt. Latini totis viribus adlaborarunt, ut clerum græcum ad primatum Romanæ Sedis profitendum adducerent; quod eis minime successit. In quodam conventu die 30 augusti habito, cui præfuit Thomas Morosini, Constantinopolis latinus patriarcha primus, Nicolaus Mesarites, tunc temporis diaconus, qui anno 1213 metropolita Ephesi renuntiatus est, Petri apostoli primatum jurisdictionis disertis verbis negavit, Photii sophismata ad verbum repetens :

« Si propter Petrum Roma quærit primatum, propter Andream, protoclitum et natu majorem fratrem Byzantium prima sedes, quia quingentis fere annis ante Romam Byzantium ædificatum est, ibique haud paucos annos degit Andreas priusquam ejus frater Petrus Romam perveniret. Si vero mihi protuleris illud : *Tu es Petrus*, etc., scito hæc non fuisse dicta propter Ecclesiam quæ Romæ est, absit; judaicum hoc est et sordidum divinam gratiam regionibus quibusdam et locis circumscribere... Dicta sunt hæc de petra confessionis divinitatem Christi professa, et per eam de universa Ecclesia usque ad ultimos terræ fines apostolorum prædicatione dilatata et fundata, etc. [2]. »

1. *Ibid.*, fol. 272vo : « Εἰ γοῦν διὰ ταῦτα ἀξιοῖς τὴν ῾Ρωμαίων ᾿Εκκλησίαν τὰς ἄλλας περιέχειν ᾿Εκκλησίας τοῦ Θεοῦ καὶ τούτων εἶναι μητέρα τε καὶ διδάσκαλον, οὐκ οἴδαμεν ὁπόθεν κἀκ τίνων ἀφύκτων συλλογισμῶν τοῦτό σοι τὸ νόημα συμπεραίνεται· ἡμεῖς γὰρ οὐδὲν ἧττον ταῦτα διανοούμεθα καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἀποστόλων Χριστοῦ, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τοῦ Παύλου ὕστερόν ποτε προσκληθέντος παρὰ Χριστοῦ. »

2. Textum integrum cum versione latina in tomo I dedimus, p. 130 et 123-124; quem etiam invenies apud A. Heisenberg, *Neue Quellen zur Geschichte des lateinischen Kaisertums und der Kirchenunion*, II, *Die Unionsverhandlungen vom 30 August 1206*, Monaci, 1923, p. 24 (Ex *Sitzungsberichte der Bayerischen Akademie der Wissenschaften Philos. philol. und hist. Klasse*, 1923). De unionis colloquiis, quæ ab anno 1204 ad annum 1214 Constantinopoli habita sunt, cf. etiam ejusdem auctoris fascic. I et III eodem generico titulo insignitos, et Pargoire, *Nicolas Mesaritès, métropolite d'Éphèse*, in *Échos d'Orient*, t. VII, 1904, p. 219-226.

Postea vero hæc de suo penu addit :

« Petrus igitur duodenarii discipulorum numeri prædicabitur primus, quemadmodum filius natu maximus suorum fratrum dicitur primus; hic enim non est caput, non præcellit; nihil habet quod ipsum super alios exaltet. Non potestatis efficacia, sed ætatis vel ordinis antecessu, hoc pacto Petrus cæteros apostolos superavit; secundum hanc rationem eis præcellit, non dignitate, sed sane sectatorum Christi ejusque oculatorum testium ordine et, ut supra dixi, duodecim apostolorume numeratione [1]. »

Eodem fere tempore, polemista quidam anonymus in opusculo inscripto : Περὶ τοῦ ὅπως ἴσχυσε καθ' ἡμῶν ὁ Λατῖνος : *Quo pacto invaluit in nos Latinus*, in primatum Petri vehementius invehitur, probationesque ex Novo Testamento a Catholicis allatas, ut hujus primatus divinam statuant originem, fusiori stylo evertere nititur; siquidem cuidam exhortationi Thomæ Morozini ad Græcos Constantinopolitanos anno 1205 directæ respondet. Si illi fides adhibenda, patriarcha latinus Græcos his verbis allocutus fuerit :

« Vos, Græci, quod non recte sentitis, et Ecclesiæ romanæ, omnium Ecclesiarum matri, obtemperare renuistis, nec Papæ, huic altero Petro coryphæo, apostoli vero successori, obedire voluistis, item propter vestram inpeccando licentiam e patria vestra et Ecclesia pulsi estis et curationis spem amisistis. Attamen, si ad nostrum communem patrem ac pastorem conversi fueritis, et Deus et ipse Papa vobis

1. A. Heisenberg, *op. cit.*, II, p. 25 : « Πρῶτος οὖν Πέτρος τῆς δωδεκάδος τῶν τοῦ Κυρίου διακηρυκευθήσεται μαθητῶν, καθά τις πρωτογέννητος παῖς πρὸς τοὺς μετ' αὐτὸν συγκρινόμενος· ὁ γὰρ τοιοῦτος οὐ κεφαλή, οὐχ ὑπεροχή, οὐκ ἄλλο τι τῶν πρὸς ἔπαρσίν ἐστιν ἀναγόντων. Οὐκ ἐξουσίας δραστηριότητι, ἀλλὰ τῶν προηκόντων οἷον χρόνῳ τε καὶ βαθμῷ, κατὰ τοῦτο Πέτρος τῶν λοιπῶν ὑπερανέστηκεν ἀποστόλων, κατὰ τοῦτο ὑπερτερεῖ, οὐ τῇ ἀξίᾳ, ἀλλά γε τῇ συστοιχίᾳ τῶν ὀπάδων τοῦ Κυρίου καὶ αὐτοπτῶν καὶ τῇ τῆς δωδεκάδος ἀπαριθμήσει, ὥς μοι προλέλεκται. »

propitii erunt. Quemadmodum enim est unus Deus, ita suarum creaturarum unicuique generi monarchicum regimen dedit : soli dedit, ut diei præesset; lunæ, ut nocti; Adamo, ut unicum esset generis humani caput, et omnibus quæ in terra sunt dominaretur; Abrahamo, ut patriarcharum princeps esset; Moisen, et post eum, filium Nave Jesum exercitui præfecit; Petro vero primatum principalem contulit, necnon ut apostoli ei subjicerentur et ab ejus penderent magisterio. Ideo et singulariter claves ei commisit, et ad eum dixit : *Pasce oves meas ;* et : *Confirma fratres tuos;* et : *Super te ædificabo Ecclesiam.* Unde etiam ipse Matthiam in apostolum ungit, et Portæ Speciosæ claudum erigit, quanquam præsens est excelsus Joannes, et ambos communiter implorat ægrotus; et leges statuit. Cum autem Petri sedes sit Roma Vetus, ejus præeminentia honorata est, ejusque habet successorem. Unde episcopus Romæ unus in universo orbe exstitit magister ac pastor. Ex quo autem in schisma incidistis, multæ vos invenerunt castigationes, et tandem captivitas et exsilium [1]. »

Ad hæc respondet Græcus per singula. Ad Petrum quod attinet, contendit eum non plus honoris vel potestatis a Christo accepisse quam cæteri apostoli : illum Jesus beatum declaravit non simpliciter, sed propter firmam confessionem. Claves ei promisit, quæ solutiones ac ligationes peccatorum respiciunt; harum autem et cæteri dispensationem receperunt; quippe qui omnes a Christo audierunt : *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo,* etc. Christus vero petram nuncupavit non ipsum Petrum, sed ejus certam confessionem, super quam Ecclesiam ædificavit; cujus unicum fundamentum ipse Christus [2]. Ridiculum autem esset soli Petro tribuere potestatem graviora peccata solvendi, cæteris minora tantum. Si quando Petrus cæteris præit

1. Arsenii, *Tres opellæ ignoti græci scriptoris sæculi* XIII *ineuntis* (russice et græce), Mosquæ, 1892, p. 86-87 : « Καὶ ἦν ὁ Ῥώμης εἷς ἐν τῷ παντὶ διδάσκαλος καὶ ποιμήν. Ἐξότου δὲ ἀπεσχίσθητε, εὑρήκατε πάμπολλα τὰ ἐπίχειρα, καὶ τέλος τὴν αἰχμαλωσίαν καὶ ἐξορίαν. »

2. *Ibid.*, p. 98-100 : « Πέτραν ὁ Χριστὸς τὴν στερρὰν ὁμολογίαν τοῦ Πέτρου, οὐκ αὐτὸν εἶπε τὸν Πέτρον, ἐν ᾗ καὶ οἰκοδομῆσαι τὴν Ἐκκλησίαν ἐπηνένεγκεν. Εἷς γὰρ θεμέλιος αὐτῆς, ὁ Χριστός. »

in constituendis episcopis, in docendo, in ægrotos sanando, hoc perfectorum humilitati, perfecto locum cedentibus, adscribendum, qui omnes unum erant, secundum verba ejus qui dixit : *Pater, eos unum fac, sicut ego et tu unum sumus.* Non habes hic amicitiæ demonstrationem, vel primatus indicium [1]. Cæterum Matthiæ electio primatui Petri potius adversatur, nedum ei testimonium ferat. Si post resurrectionem Christus dixit : *Ite, dicite discipulis ejus et Petro,* Petrus hic nominatur non in signum excellentiæ, sed ut Salvator ostenderet Petrum non fuisse exclusum propter ejus negationem. Item Petro ter committuntur oves non quod cæteri a pastoris munere amoveantur, vel inter oves deducantur, sed propter trinam ejus abnegationem [2]; novit enim cælestis medicus contrariis contraria curare. Illud autem : *Confirma fratres tuos,* ad Petri conversionem et pænitentiam item alludit. Exemplo enim suo Petrus alios, quos scandalizaverat, confirmabit, quatenus de propria venia obtinenda — omnes enim Magistrum deseruerunt et fugam ceperunt —, non desperabunt, videntes majus delictum Petro condonari [3]; qui et ideo labi permissus est, ut misericors erga peccatores fieret.

Habemus hic jam paucis delineatam polemistarum certandi rationem contra primatum Coryphæi, quod attinet ad locorum sacræ Scripturæ interpretationem. Inde ab hoc tempore, negatio primatus Petri communior evasit [4]. Sæculo XIV, Barlaamus, schismati adhuc addictus, duplicem sententiam de primatu Petri vicissim emisit : primam, qua eum aperte

1. Arsenii, *op. cit.*, p. 100-102 : « Οὐδὲ φιλίας ἔνδειξις ἐκεῖ, οὐδὲ πρωτείου. »

2. *Ibid.*, p. 105 : « Εἰ δὲ τὸ τρίτον αὐτῷ ἐπιτέλλει· « Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου », ἀλλ᾽οὐκ ἐκ τῶν ἄλλων ὑπεξεῖλε τὸ ποιμαίνειν ἢ κατήγαγεν εἰς ποίμνιον..., ἀλλὰ καθότι τὸ τριαδικὸν τῆς ἀρνήσεως τὸν στύλον τοῦ εὐαγγελίου κατέσεισε, κέκρικεν ὁ καλλιτέχνης Χριστὸς ἐπιστηρίξαι αὐτὸν τῷ τριαδικῷ τῆς ὁμολογίας. »

3. *Ibid.*, p. 106.

4 In suo tractatu polemico adversus Græcos anno 1252 conscripto, Dominicani Constantinopolitani testantur Græcos docere inter apostolos nullum fuisse altero majorem, sed omnes fuisse æquales ac fratres, juxta illud : « *Omnes autem vos fratres estis Et patrem nolite vobis vocare super terram, quia unus Pater vester cælestis est.* » *Contra Græcos.*, *P. G.*, t. CXL, col. 526.

confessus est[1]; alteram, qua illi non minus diserte contradixit, docens apostolos inter se fuisse potestate pares, Petro præ cæteris hoc tantum tribuens, ut aliis adstantibus ac benigne humiliterque annuentibus, primus omnium loqueretur, et forsan primo throno in consessu honoraretur[2].

Matthæus Angelus Panaretus e suis polemicis dissertationibus tres dicat primatui Petri et Romani Pontificis impugnando, ubi suorum antecessorum argumenta iterat[3]. Primatum Petri non solum negat, verum etiam Coryphæum collegio cæterorum apostolorum tanquam inferiorem submittit : « Ipse Petrus, inquit, ab apostolis judicabatur et in ministerium mittebatur, secundum illud : *Audientes apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem* (Act., VIII, 14); atqui apostolus *eo qui misit ipsum major non est*, ait dominicum eloquium (Joa., XIII,16)[4].

Sæculo XV incipiente, Macarius Ancyranus, in suo perlongo tractatu contra latinas novitates, septem capita habet de primatu Petri, quorum doctrinam tituli ipsi sufficienter declarant :

C. XI : « Quod Petrus suorum coapostolorum primus erat numero et ordine; et quænam sint appellationes, quibus vocari vetiti fuerunt; et quod omnia ad eos pertinentia æqualia et paria fuerunt ex ipsius Christi instituto[5]. »

1. Cf. supra, p. 331.
2. « Τοῦτο πλέον τῶν ἄλλων ἔχων, τῶν ἄλλων παρόντων, αὐτὸς τῆς διδασκαλίας ἡγεῖσθαι, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἴσως ἀξιοῦσθαι. » *De primatu papæ, P. G.*, t. CLI, col. 1262 C.
3. Cf. P. Risso, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli*, Grottaferrata, 1914 (Ex commentario *Roma e l'Oriente*), p. 32-33. Septima dissertatio contra primatum Petri directe intenditur, cujus titulus est : Πρὸς τοὺς Λατίνους λέγοντας τὸν θεῖον Πέτρον ποιμένα τῶν ἀποστόλων καὶ μείζονα καὶ πρῶτον τῷ ἀξιώματι· διὸ καὶ τὸν πάπαν ἀξιοῦσι πρὸς πάσας τὰς Ἐκκλησίας τοιοῦτον εἶναι κατὰ τὸν ἀπόστολον Πέτρον. In *cod. Naniano 130*, fol. 60-62, et pluribus aliis codd.
4. « Καὶ αὐτὸς γὰρ Πέτρος ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ ἀνεκρίνετο καὶ ἀπεστέλλετο πρὸς διακονίαν... Μείζων δὲ ὁ ἀπόστολος οὐκ ἔστι τοῦ πέμψαντος αὐτόν, ἔφη τὸ κυριακὸν λόγιον. »
5. « Ὅτι ὁ Πέτρος τὸ πρῶτος εἶναι τῶν συναποστόλων, τῷ ἀριθμῷ ἦν καὶ τῇ τάξει, καὶ τίνα δὲ ἀπηγόρευται αὐτοῖς κληθῆναι, καὶ ὅτι πάντα ἴσα τὰ πρὸς αὐτοὺς παρὰ τοῦ Ἰησοῦ. » Editio Dosithei, Τόμος καταλλαγῆς, 1692, p. 14.

C. XII : « Quod Petrus in coapostolos jurisdictionem nec habebat, nec ei licebat absque aliorum consensu aliquid agere, et imprimis quod Matthiæ electio communeque discipulorum placitum ab omnibus apostolis perfecta sunt[1]. »

C. XIII : « Quod Petrus coapostolis non solum non imperabat, verum etiam ab illis mittebatur[2]. »

C. XIV : « Quod qui ex circumcisione erant cum Petro disceptabant de iis, quæ circa Cornelium acciderant[3]. »

C. XV : « Quod de suffragio circa decretum de circumcisione non imponenda non Petrus, sed Domini frater, Jacobus judicavit[4]. »

C. XVI : « Quod Jacobus et Cephas et Joannes columnæ erant; et quod Jacobus ante Petrum primo loco ponitur; et quod Petrus eos, qui ex circumcisione erant, pertimescit; et quod ei tanquam reprehensione digno restitit Paulus coram omnibus; et quod Jacobus episcopus episcoporum fuit[5]. »

C. XVII : « Quod apostoli omnes vicarii et *successores* Christi fuere, et non Petrus tantum; vicarii autem et successores apostolorum, qui ab ipsis ordinationem accepere[6]. »

Ex his titulis in unum collectas habes præcipuas objectiones ex Scriptura petitas, quas ante Macarium primatus Petri adversarii jam adinvenerant; quas post ipsum polemistæ recoquere consueverunt. In primo autem capite laudato (c. XI), textus evangelici pro primatu Petri facientes

1. « Ὅτι οὔτε τὸ κατάρχειν τῶν συναποστόλων εἶχεν ὁ Πέτρος, οὔτε ἐξῆν αὐτῷ ποιεῖν τι ὃ οὐκ ἐδόκει τοῖς ἄλλοις· καὶ πρό γε ὅτι καὶ ὁ ἐπὶ Ματθίᾳ κλῆρος καὶ τὰ τῷ πλήθει τῶν μαθητῶν ἀρέσκοντα κοινῇ ἐτελεῖτο παρὰ πάντων τῶν ἀποστόλων. » *Ibid.*, p. 17.
2. « Ὅτι οὐ μόνον οὐ κατῆρχε τῶν συναποστόλων ὁ Πέτρος, ἀλλὰ καὶ ἀποστέλλεται παρ' αὐτῶν. » *Ibid.*, p. 17.
3. « Ὅτι διεκρίνοντο οἱ ἐκ περιτομῆς πρὸς τὸν Πέτρον διὰ τὰ κατὰ τὸν Κορνήλιον. *Ibid.*, » p. 17.
4. « Ὅτι τὴν περὶ τοῦ μὴ περιτέμνεσθαι τοῦ δόγματος ψῆφον οὐχ ὁ Πέτρος ἀλλ' ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος ἔκρινεν. » *Ibid.*, p. 18.
5. « Ὅτι Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης οἱ στύλοι, καὶ ὅτι προτάσσεται ὁ Ἰάκωβος τοῦ Πέτρου, καὶ ὅτι φοβεῖται τοὺς ἐκ περιτομῆς ὁ Πέτρος· καὶ ὡς κατεγνωσμένῳ δὲ ἀντέστη Παῦλος ἐνώπιον πάντων· καὶ ὅτι ἐπίσκοπος ἐπισκόπων ὁ Ἰάκωβος. » *Ibid.*, p. 19.
6. « Ὅτι πάντες οἱ ἀπόστολοι βικάριοι καὶ διάδοχοι τοῦ Χριστοῦ, καὶ οὐχ ὁ Πέτρος μόνον, καὶ τούτων δ' αὖ οἱ πρὸς τούτων χειροτονηθέντες. » *Ibid.*, p. 20.

acerrima exegesi ad nihilum rediguntur : illud *Tu es Petrus* et omnia quæ continet non soli Petro, sed etiam aliis apostolis omnibus congruunt; vera petra enim est Christus, per quem et Petrus petra est, et omnes alii pariter. Petra vero quæ Petrus est, vel potius petra Petri est fidei firma confessio. Unde non solum in petra Petri, id est in fidei firma confessione ejus, sed etiam in simili parique cujusque apostoli certa fidei confessione Ecclesia superædificata est. Omnes namque apostolos lapides pariter vocat τοῦ 'Επιστηθίου Apocalypsis. Igitur petra et lapis Christus, petra et lapis Petrus, super quem Ecclesia ædificabitur; similiter et petra et lapis singuli apostoli[1]. Item, illud *Pasce oves meas* ad omnes etiam pertinet. Pascere enim idem est ac ad Christi discipulatum adducere, baptizare, prædicare; quod et Petro et aliis omnibus æqualiter tributum est. Incassum ergo hunc textum Latini pro sua doctrina sophistice proferunt[2].

II. De primatus Petri adversariis qui post sæculum XV fuerunt.

Inde a sæculo XVI, primatus jurisdictionis Petri in cæteros apostolos, utpote qui est primatus Romani Pontificis verum fundamentum, a Græco-Russis communiter negatur, vixque inter modernos theologos aliquem invenies, qui ei faverit. Suorum antecessorum epochæ byzantinæ instar, Coryphæo non concedunt nisi primatum honoris vel excellentiæ moralis. Ceterum ad prærogativam Petri labefactandam aliquid novi vix detexerunt, argumenta ab antiquis Byzantinis jam excogitata evolvere ac fusiore sermone explicare plerumque satis habentes. Nec de primatu Petri tractatus speciales edunt, sed in suis scriptis polemicis adversus Papæ

1. « Οὐκ ἐν τῇ πέτρᾳ δὲ μόνον τοῦ Πέτρου, τουτέστι τῇ τῆς πίστεως στερρᾷ ὁμολογίᾳ, ἀλλ'ἐν τῇ ὁμοίᾳ καὶ ἴσῃ τῆς πίστεως στερρᾷ ὁμολογίᾳ ἑκάστου τῶν ἀποστόλων ἐποικοδομηθῆναι τὴν 'Εκκλησίαν, καὶ λίθους δὲ κοινῇ τοὺς ἀποστόλους καλεῖ ἡ τοῦ ἐπιστηθίου ἀποκάλυψις... ὁμοίως πέτρα καὶ λίθος ἕκαστος τῶν ἀποστόλων. » *Ibid.*, p. 15-16.

2. « Τὸ δὲ ποιμαίνειν ταὐτόν ἐστιν τῷ μαθητεύειν καὶ βαπτίζειν καὶ διδάσκειν, ἐπίσης δὲ ταῦτα ἐδόθη τῷ Πέτρῳ καὶ τοῖς συναποστόλοις· ἄρα εἰς μάτην καὶ τοῦτο τὸ σόφισμα Λατίνοις προβάλλεται. » *Ibid.*, p. 16.

principatum de eo disserere consueverunt. Cum autem de hujusmodi scriptis polemicis infra acturi simus, hic tantum ea notabimus opera, in quibus primatus Petri potissimum aut fere unice impugnatur.

Primus nobis occurrit tractatus Meletii Pigæ cui titulus : Λόγος περὶ τοῦ τί ἐστιν ἡ ἀληθὴς καθολικὴ 'Εκκλησία, καὶ ποία ἐστὶν ἡ γνησία καὶ ἀληθὴς κεφαλὴ αὐτῆς· καὶ κατὰ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα τῆς Ρώμης[1].

Secundum Meletium, Petrus nullo pacto exstitit apostolorum ἀρχή. Habuit quidem primatum, sed tanquam coapostolus, non vero tanquam in apostolos principatum vel imperium habens; coryphæus fuit una cum cæteris chorum unum complens; frater inter fratres, hoc est : non caput neque pater. Verba Christi : *Super hanc petram*, non Petrum, sed ipsum Christum significant; Petrus enim est Πέτρος, non πέτρα[2].

Prolixum ac fastidiosum opus Nicolai Keramei († 1672) inscriptum : 'Αντέγκλημα τῶν ἐγκαλούντων ἀδίκως κατὰ τῆς μιᾶς καὶ μόνης ἁγίας, καθολικῆς, ἀποστολικῆς, θεονύμφου τῆς τοῦ Χριστοῦ 'Εκκλησίας,[3] quod rogante patriarcha œcumenico Parthenio III (1656-1657), ad confutandum opusculum Græci uniti, Athanasii Cyprii, 'Αντιπατέλαρος nuncupatum, auctor composuit, circa primatum Petri fere totum versatur. Macarii Ancyrani vestigiis inhærens, Kerameus omnia quæ de Petro in evangeliis singulariter dicuntur, aliis pariter apostolis tribuit. Petrus est quidem petra super quam Ecclesia ædificatur; at vero : 1° Hæc petra non est ipsa Petri persona, sed ejus fides ac firma confessio; 2° Omnes apostoli, immo singuli fideles in fide stabiles ac firmi, eodem jure ac Petrus sunt singillatim Ecclesiæ petra[4]. Exegesi simili temperat Patrum ac librorum liturgicorum locos ab Athanasio Cyprio pro doctrina catholica laudatos.

1. A Dositheo in Τόμῳ χαρᾶς editus, p. 553-609.

2. P. 578-597, ubi Meletius septem argumentis Latinorum pro primatu Petri respondet : « Πέτρος οὐδένα τρόπον τῶν ἀποστόλων ἦν ἀρχή, εἰ καὶ πρωτεῖα ἐν ἀποστόλοις ἀπενεγκάμενος, ἀλλ'ὡς συναπόστολος, οὐχ ὡς ἄρχων ἀποστόλων... ὡς κορυφαῖος ἕνα σὺν τοῖς λοιποῖς συμπεραίνων χορόν. » P. 586. — « Πέτρος ἀδελφὸς ἐν ἀδελφοῖς, τουτέστιν οὐ κεφαλὴ οὐδὲ πατήρ· τοῦτο γὰρ ὁ Χριστός. » P. 596.

3. In Τόμῳ χαρᾶς, p. 1-552.

4. *Op. cit.*, p. 19 sq.

In primatu Petri convellendo item toti sunt patriarchæ orientales Constantinopoli, anno 1722, in synodum adunati, ut fideles Antiochenos de novitatibus latinis vitandis præmoneant [1]. Eorum tamen dicta et interpretationes a polemistis plerumque mutuantur, de quibus in articulo sequenti sermo erit.

Negatio primatus jurisdictionis Petri una est ex classicis thesibus in compendiis dogmaticis recentiorum occurrentibus; quam ut confirment, aliqui sequentia argumenta promunt :

1º Apostoli capite seu duce non egebant propter plenam a Christo immediate acceptam jurisdictionis potestatem [2].

2º Duces ac doctores orbis terrarum œcumenicique episcopi ita a Christo singuli constituti fuerant, ut ab invicem omnino independentes essent, et eorum quisque pro libitu agere posset [3];

3º Petrus non accepit a Christo specialem ordinationem sive quemdam supremum sacramenti Ordinis gradum, quo primatus privilegia ei collata fuerint; sed habuit tantum potestatem ordinis aliis communem. Ergo in ratione principatus et auctoritatis cæteris æqualis fuit [4].

Ad hæc et similia sophismata responsio obvia. Quæstio enim non est utrum apostoli superiore opus habuerint; vel utrum Petrus sui primatus jura in alios apostolos eximiis apostolatus donis decoratos exercere aliquando debuerit; vel utrum Christus aliquod speciale sacramentum ad potestatem primatialem conferendam instituere potuerit; sed utrum de facto Christus viva voce Petrum aliis præfecerit. Respondent Evangelium et Ecclesiæ traditio.

Præter hæc generalia argumenta ex ratione theologica

1. Mansi-Petit, *Collectio concil.*, t. XXXVII, col. 129-158.
2. Ita A. Lebedev, *op. cit.*, p. 148.
3. Gabriel Severus, Περὶ ἀρχῆς τοῦ πάπα, ed. Nicolai Metaxæ, Constantinopoli, 1627, p. 4 sq.; Elias Meniates, Πέτρα σκανδάλου, ed. Athen., 1840, p. 86-78, etc.
4. G. Severus, *op. cit.*, p. 3-4 : « Τὴν ἀξίαν τῆς ἱερωσύνης ἐξίσου τὴν ἐναλάβασιν οἱ ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ... Πέτρος δὲν εἶχε μηδ'ἕνα χάρισμα ἰδικὸν καὶ μοναχικόν του, ἀλλὰ τὰ χαρίσματα ὅλα καὶ τὰ ἀξιώματα κοινῶς τὰ εἴχασιν ὅλοι οἱ ἀπόστολοι, καὶ ἐξίσου, ἀπὸ τὸν Χριστόν. » Cf. Lebedev, *op. cit.*, p. 254.

petita, theologi dissidentes primatum Petri duplici via oppugnant, *negative* scilicet ac *positive; negative*, textus evangelicos ac dicta Patrum de Coryphæi præeminentia ita interpretando, ut in eis primatus notio penitus evanescat : *positive*, alios locos ex sacra Scriptura et Patrum operibus haustos proferendo, quibus, si illis credas, prærogativæ Petri detrahatur. De hujusmodi interpretationibus et objectionibus nunc breviter agendum.

ARTICULUS IV

De sacræ Scripturæ locis primatum Petri respicientibus secundum interpretationem Græco-Russorum.

Tres sunt, ut notum est, præcipui textus evangelici de primatu Petri a catholicis theologis communiter interpretati, scilicet : 1º Verba Christi ad Petrum : *Tu es Petrus*, etc., (apud Matthæum, XVI, 13-19), quibus primatus promittitur; 2º Oratio Christi pro Petro, ne deficiat ejus fides et ut fratres confirmet (apud Lucam, XXII, 31, 32); 3º Collatio primatus post resurrectionem, juxta mare Tiberiadis : *Pasce oves meas, pasce agnos meos* (apud Joannem, XXI, 15-17).

I. — De promissione primatus apud Matthæum, XVI, 13-19.

Græco-Russorum communis hujus loci interpretatio est Petrum, in confitendo Christi divinitatem, non tantum nomine proprio, sed nomine totius collegii apostolici locutum fuisse. Christus enim, inquiunt, omnes interrogaverat; Petrus os omnium fuit, pro omnibus respondit. Unde quæ Christus ad eum subjecit, non ipsum solum respiciunt, sed etiam ad cæteros implicite diriguntur.

Verborum autem : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* apud eosdem theologos triplex occurrit interpretatio.

Quidam ultro concedunt verba *Super hanc petram* respicere personam Petri; contendunt vero ea esse simpliciter affirmativa, non exclusiva : Petrus, inquiunt, petra quidem

et fundamentum Ecclesiæ secundarium exstat; at vero hoc ei non est ita proprium, ut etiam aliis apostolis non competat, ut patet tum ex Epist. ad Ephesios, II, 20 : (*Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum*), tum ex Apocalypsi, XXI, 14 : (*Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni*). Solus Petrus apud Matthæum nominatur, tum quod aliorum omnium personam gerat, tum quod assumatur tanquam symbolum ac specimen unitatis regiminis episcopalis in unaquaque Ecclesia particulari seu diœcesi existentis, ut optime declaravit sanctus Cyprianus [1]; ita ut in præfato textu *Ecclesiam meam* designet non sane Ecclesiam universam, sed Ecclesias particulares singulas ab uno episcopo moderatas. Petrus honoris primatum obtinet ex eo quod primus et omnium loco petra seu fundamentum Ecclesiæ dictus sit, et a Christo tanquam episcopatus monarchici typus ac figura repræsentatus sit.

« Petrus, inquit Philaretus Drozdov, in fundamento Ecclesiæ non ante fuit positus quam ipse Christum in ejusdem fundamento posuerit. Petrus prius dixit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* postea vero Dominus Petro dixit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc vero animadvertite, scilicet quod, quamvis Dominus Petro promittat se super eum Ecclesiam ædificaturum : *Super hanc petram ædificabo*, non tamen promittit Ecclesiam futuram esse Petri, sed eam appellat suam : *Ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc attendere nolunt Occidentales, qui Ecclesiam ad solum Petrum pertinere, Petrum vero ad unam Romam probare nituntur... Considerate

1. Sancti Cypriani interpretationem magni faciunt theologi græco-russi, et ad illam sæpe provocant; cf. Georgium Coressium, *De primatu papæ*, c. XXII; Nectarium Hierosolymitanum, Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα, Iasii, 1682, § III, demonstratio II, in versione latina Petri Allixi, Τοῦ πάνυ κὺρ *Nectarii patriarchæ Hierosolymitani confutatio imperii papæ*, Londini, 1702, p. 147 sq. Cyprianum nonnisi imperfectam de primatu Petri notionem habuisse libenter concedunt auctores catholici; cf. P. Batiffol, *L'Église naissante et le catholicisme*, ed. 6, Parisiis, 1913, p. 434-439; A. d'Alès, *La théologie de saint Cyprien*, Parisiis, 1922, p. 220-223; plus tamen Petro tribuit africanus præsul quam Græco-Russi eidem concedere solent.

quonam pacto super petram, quæ est Petrus apostolus, ædificata est Christi Ecclesia. Ædificata est Petri et cæterorum apostolorum prædicatione, baptismo ab eis collato, Spiritus Sancti unctione per impositionem manuum eorum, vivifici corporis et sanguinis Christi mystica largitione per eorum ministerium facta credentibus, sacerdotii et potestatis ligandi atque solvendi continua ad eorum successores communicatione [1]. »

Huic interpretationi affine est illud quod profert Anatolius Martynovskii sub ementito nomine Avdiæ Vostokovi : « In hoc loco, ait ille, non de supremo Ecclesiæ capite vel moderatore sermo est, sed tantummodo de fundamento secundario, quod est non Petrus solus, verum quilibet alius apostolus. Si enim Christus his verbis Petrum caput ac ducem supremum suæ Ecclesiæ constituere intendisset, non de fundamento, sed de culmine ac vertice locutus fuisset. Fundamentum enim ædificii plerumque invisibile est, dum caput ac princeps societatis oculis omnium apparere debet. Rex thronum conscendit, ei non se supponit [2]. »

Alii dicunt *petram*, super quam Ecclesia ædificanda est, esse ipsum Christum, ita ut Jesus dixerit : *Tu es Petrus et super hanc petram, quam ego ipse sum, ædificabo Ecclesiam meam.* Ita Meletius Pigas, cujus verba sunt hæc :

« Non dicit Christus : *Super te, Petrum*, sed : *Tu es Petrus, ex petra, quam confessus es. Ego autem ædificabo Ecclesiam meam super petram.* Petra autem, ait Paulus, erat Christus. Super petram ergo, quam confessus est Petrus ædificat Christus Ecclesiam eique tradit claves regni [3]. »

1. *Sermones Philareti* (*Slova i rietchi*), t. II, Mosquæ, 1874 : *Sermo 28 in dedicationem templi sancti Alexii in pago Tcherkizov*, anno 1825, p. 407-409.

2. Avdias Vostokov, *De relationibus Ecclesiæ romanæ ad cæteras Ecclesias christianas totumque genus humanum* (russice), Petropoli, 1857, 2 vol. Hoc opus italice versum est : *La Chiesa romana nei suoi rapporti con le altre Chiese cristiane e con tutto il genere umano*, Romæ, 1874; qua editione usi sumus. Locus citatus in t. I, p. 57-58 occurrit. A Vostokovo quærere quis possit utrum ædificii pars præcipua sit fundamentum an tectum. Præterea, quid faciet de clavibus regni cælorum?

3. 'Ορθόδοξος διδασκαλία,, ed. 2, 1769, p. 137 : « 'Επὶ τῇ ὁμολογη-

Ita etiam Gabriel Severus : « Nos, inquit, qui aliis omnibus veritatem anteponimus, dicimus petram et fundamentum super quæ Christus ædificavit Ecclesiam suam neque Petrum esse, neque Paulum neque apostolorum quemquam alium, sed ipsum solum Jesum θεάνθρωπον [1]. »

Plerique docent petram esse fidem seu confessionem Petri, qua confessus est Christum esse verum Dei Filium, ita ut verba Christi hunc sensum præ se ferant : « Tu es Petrus per fidem tuam in me, et super hanc petram fidei tuæ ædificabo Ecclesiam meam. » Ecclesia, inquiunt, ædificatur non sane super personam Petri, sed super illud quo Petrus redditur firmus ut petra, scilicet super fidem in divinitatem Christi ejusque mortem ac resurrectionem [2]. Unde omnes qui eamdem fidem profitentur spiritualis ædificii petræ dici possunt. Omnes apostoli erant petræ ejusmodi, quippe qui fidem Petri communicabant [3].

Huic exegesi vicina est illa quam Russus Suschkov Sergius excogitavit. Si hunc audias, voces syro-chaldaicæ *keph* et *kepha* sensu differunt, sicut et voces græcæ πέτρα et πέτρος. *Keph* et πέτρα sunt nomina substantiva, dum *kepha* et πέτρος sunt adjectiva, a *keph* et πέτρα derivata. Unde textus evangelici significatio vera hæc est : « *Ego dico tibi, Simon, quem ego appello Petrum* (πέτρον), id est *petrinum* (russice *kamennym* = tanquam petra durum ac firmum), me ædificaturum Ecclesiam meam *super hanc petram* (russice *kamnie*). Quænam est petra ista? — Fides, quam Petrus confessus est [4]. »

θείσῃ οὖν πέτρᾳ παρὰ Πέτρου οἰκοδομεῖ Χριστὸς τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ αὐτῇ δίδωσι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας. »

1. Περὶ τῆς β' διαφορᾶς, ed. N. Metaxæ, Constantinopoli, 1627, p. 8 : « Ἡμεῖς τὴν ἀλήθειαν προτιμῶντες τῶν ἄλλων ἁπάντων, λέγομεν ὅτι ἡ πέτρα καὶ τὸ θεμέλιον ἀπάνω εἰς τὸ ὁποῖον ᾠκοδόμησεν ὁ Χριστὸς τὴν Ἐκκλησίαν αὐτοῦ, μήτε ὁ Πέτρος εἶναι, μήτε ὁ Παῦλος, μήτε τις ἄλλος τῶν ἀποστόλων, ἀλλ' αὐτὸς μόνος ὁ θεάνθρωπος Ἰησοῦς. »

2. A. Lebedev, *op. cit.*, p. 151-152.

3. Gabriel Severus, *op. cit.*, p. 9 : « Ὅλοι ἐκεῖνοι εἶναι καὶ λέγονται πέτρα, καθὼς καὶ φῶς λέγονται. »

4. *Protiv lgeutcheniia o vcelenskom glavenstvie rimskoi tserkvi* (*Contra falsam doctrinam de principatu universali Ecclesiæ romanæ*), Petropoli 1891, p. 12-13. Suschkov contendit vocem *petra* (russice *Kamen*) uni

Haud pauci tandem tres supra dictas explanationes, vel secundam et tertiam tantum, simul proponunt [1].

Ad verba vero : *Et tibi dabo claves regni cælorum*, etc., quod attinet, quidam simpliciter dicunt illa in persona Petri ad omnes apostolos dirigi [2]; alii vero fatentur quidem Christum soli Petro claves regni cælorum tunc promisisse; addunt autem eum, post suam resurrectionem, easdem claves omnibus apostolis simul tradidisse, quando in eos insufflavit dicens : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, etc.* (Joan., xx, 23); cæterum et hanc clavium potestatem omnibus antea promisisse, cum illis dixit : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo* (Matth., xviii, 18)[3].

II. — Oratio Christi pro Petro (Luc., XXII, 31, 32).

Plerique affirmant Christum non pro solo Petro orasse, sed etiam pro omnibus aliis apostolis. Verba : *Ne deficiat fides tua* fidem communem Ecclesiæ respiciunt [4]. Quidam vero tenent Christum pro solo Petro orasse, ut ei impetraret efficacem pænitentiam post ejus trinam negationem [5].

Christo in sacra Scriptura tribui; verum non animadvertit in textibus a se laudatis occurrere vocem λίθος, non vero πέτρα. Ejus adinventionem philologicam non probarunt critici, vel ipsi Russi. Inter *keph* et *kepha* eadem intercedit differentia ac inter voces gallicas *roc* et *roche*. Item vox græca « πέτρος », non est derivata, ut significet πετρινός, *kamennyi*, ut vult theologus noster.

1. Ita Elias Meniates, Πέτρα σκανδάλου, ed. Ath., 1840, p. 83-84; patriarchæ orientales, in *Encyclica ad fideles Antiochenos* (1722), Mansi-Petit, *Coll. conciliorum*, t. xxxvii, col. 138.

2. Ita Nectarius, *op. cit.*, versio latina, p. 146; Meletius Pigas, Ὀρθόδοξος διδασκαλία, p. 158 : « Ὑπερ πάντων Πέτρος ἀποκρίνεται· τοίνυν ὑπὲρ πάντων καὶ δέχεται τὴν ἀνταπόκρισιν. » Meletius addit : « Καὶ μὴν οὐκ εἶπεν ὁ Σωτήρ· Σοὶ δώσω, ἀλλά· Δώσω σοι· πολὺ δὲ διάφορον τοῦ δώσω σοι καὶ τοῦ σοὶ δώσω. »

3. Ita patriarchæ orientales, anno 1722, *loc. cit.*

4. Ita Gabriel Severus, *op. cit.*, 12, 17; patriarchæ orientales, anno 1722, *op. cit.*, col. 142.

5. Ita Vostokov, *op. cit.*, t. i, 93; Mesoloras, Συμβολική, p. 52 : « Δεηθεὶς δ' ὁ Κύριος ὑπὲρ τοῦ Πέτρου καὶ δοὺς αὐτῷ ἐντολὴν νὰ στηρίξῃ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, προεδήλου αὐτῷ τὴν ἄρνησιν καὶ τὴν ἀνάγκην ἐνισχύσεως καὶ ἀποκαταστάσεως αὐτοῦ εἰς τὸ ἀποστολικὸν ἀξίωμα. Ὥστε

Fratres a Petro in fide confirmandi, si quosdam audias, non sunt apostoli, sed fideles in genere [1]. Juxta alios, fratres de quibus Christus loquitur, sunt etiam cæteri apostoli; Petrus vero illos confirmabit non auctoritate sed fraterna exhortatione, exemplum prætendens suæ pænitentiæ; quos negando Christum scandalizaverat, sua conversione ædificabit, et in fide confirmabit. Hanc rationem fuse evolvit Gabriel Severus :

« *Confirma fratres tuos*, id est, libera eos ab omni hæsitatione ac dubitatione, quam ex tua negatione habent; doce illos quantum sit peccatum istud; ostende illis tristitiam qua affectus es, lacrymas quas fudisti, conscientiam quæ te arguit. Declara aperte quomodo commisisti tam magnum ac formidandum crimen. At ego propter tuam conversionem misericorditer ac benigne illud delevi. Hoc ne taceas, ne quis tuum in hoc exemplum imitetur. Quonam autem pacto hoc tibi agendum? Non quasi jubens vel cogens, non tanquam in eos dominationem exercens, sed tanquam consilium dans et adhortans, illos sic alloquaris : « O coapostoli et fratres mei et condiscipuli, videte qualem charitatem erga magistrum nostrum Christum habebam ego, paratus mori propter ejus amorem... Sed ignavus fui mortem reformidans; spiritus enim promptus est, caro autem infirma, etc. » Hoc igitur significat illud *Confirma fratres tuos*, actum nempe confirmandi, adhortandi, admonendi, suadendi, non vero Petri in cæteros apostolos principatum, auctoritatem, imperium, ut volunt hodie Romani [2]. »

Hanc miram interpretationem suam faciunt patriarchæ

ἐκ τοῦ ἄνω χωρίου ἐξάγεται πᾶν τοὐναντίον ἐκείνου, ὅπερ οἱ δυτικοὶ σοφιστικῶς ἐπιζητοῦσι νὰ ἐξαγάγωσιν, τ. ἔ., ὅτι ὁ Πέτρος διά τῆς ἀρνήσεως θὰ ἐστερεῖτο τοῦ ἀποστολικοῦ ἀξιώματος, καὶ εἶχεν ἀνάγκην νέας ἐγκαταστάσεως ἐν αὐτῷ.» Nota theologos dissidentes gratis omnino asseverare Petrum trina sua negatione dignitatem apostoli amisisse, dum alii apostoli illam servaverint. Omnes enim scandalum passi sunt; omnes magistrum dereliquerunt; omnes aliquamdiu increduli fuerunt.

1. Cf. Nectarium, *op. cit.*, p. 138; Perov, *Theologia polemica*, p. 63.

2. *Op. cit.*, p. 20-21 : « Οὕτως ἡμεῖς ἐννοοῦμεν τὸ στήριξον, καὶ οὕτως ἔχει ἡ ἀλήθεια, ἤγουν στηριγμὸν καὶ νουθεσίαν καὶ παραγγελίαν καὶ συμβουλήν, ὄχι ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν καὶ κυριότητα τοῦ Πέτρου πρὸς τοὺς ἄλλους ἀποστόλους, καθὼς οἱ Ρωμάνοι σήμερον λέγουσιν. »

orientales in *Epistola encyclica ad Antiochenos* anno 1722 data, qui et ipsa Gabrielis verba exscribunt [1]; hanc item quoad sensum repetunt iidem quatuor patriarchæ in *Encyclica ad omnes Orthodoxos* anno 1848 directa adversus Pium papam IX, qui eos ad unionem invitaverat [2].

III. — Collatio primatus juxta mare Tiberiadis (Joa. XXI, 15-17).

Hujus loci evangelici classica interpretatio apud Græco-Russos hæc est : Christus a Petro trinam amoris asseverationem exquirit, tum ad compensandam ac expiandam illius trinam negationem, tum ut in pristinam apostolatus dignitatem, quam peccando amiserat, eum restituat. Hujusmodi redintegratio exprimitur per verba : *Pasce oves meas*; *pasce agnos meos;* id est : Esto denuo discipulus et apostolus meus; pasce gregem meum, sicut et cæteri apostoli, qui me non negarunt, et suam servarunt dignitatem [3]. »

Hujusmodi exegesis confirmationem Russus Suschkov invenit tum in austera responsione Jesu ad Petrum de futura sorte Joannis interrogantem : *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* (Joa., xxi, 22), tum in eo quod non omnes apostoli, sed sex tantum ex illis aderant, quando Christus Petro dixit : *Pasce oves meas.* Si Christus, inquit, primatum super omnes apostolos Petro conferre intendisset, hoc utique fecisset præsentibus omnibus, ut de sua voluntate omnes certiores faceret; quod eo magis fuerit necessarium, quod quæstio de primatu inter eos haud semel mota fuerit; semper vero Jesus Christus illis significavit principatum hujusmodi inter eos nunquam futurum esse [4].

1. *Loc. cit.*, col. 144.

2. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. xl, col. 393 C. Cf. etiam Suschkov, *op. cit.*, 34.

3. Cf. *Encycl. quatuor patriarch.*, ann. 1848, *loc. cit.*, col. 393 A : « Οὐκ ἦν προνόμιόν τι ἐπὶ τῶν λοιπῶν ἀποστόλων τοῦ μακαρίου Πέτρου, ἥκιστα δὲ τῶν διαδόχων αὐτοῦ, ἀλλ'ἁπλῆ τις ἀποκατάστασις αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποστόλην, ἧς ἐκπεπτωκὼς ἦν διὰ τὸ τριττὸν τῆς ἀνήσεως. » Perov, *op. cit.*, 63-64; Mesoloras, Συμβολική, p. 51; A. M. Ivantzov-Platonov, *De romano catholicismo et ejus ad Orthodoxiam relationibus*, t. ii, Mosquæ, 1870, p. 104-106; alii multi.

4. *Op. cit.*, p. 41.

Interpretationem paulo diversam proferunt quidam, dicentes verbis : *Pasce oves meas; pasce agnos meos*, Christum omnes apostolos alloqui in persona Petri, omnibusque custodiam gregis pariter committere; quod ut commendet, Meletius Pigas notat Christum dixisse simpliciter : Ποίμαινε, *pasce*, non vero : Σὺ ποίμαινε, *tu pasce;* multum vero differt, inquit, τὸ ποίμαινε a : σὺ ποίμαινε [1].

ARTICULUS V

De objectionibus ex sacra Scriptura et Traditione petitis, quas Græco-Russi adversus Petri primatum urgere solent.

I. — De objectionibus ex sacra Scriptura haustis.

Polemistæ dicidentes, ut ostendant Petrum a Christo non accepisse verum jurisdictionis primatum in cæteros Apostolos universamque Ecclesiam, haud paucos colligunt sacræ Scripturæ locos :

Allegant : 1º illos textus evangelicos, in quibus Christus suis discipulis humilitatem commendat, et ambitionis humanæ motus in eis retundit : Matth., xx, 20-28, ubi de petitione matris filiorum Zebedæi : *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus;* Luc., xxii, 24-27 : *Reges gentium dominantur eorum... Vos autem non sic.*

2º Evangelii Matthæi locum, xxiii, 8-11, ubi Christus dicit : *Vos autem nolite vocari Rabbi : unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram*, etc.

3º Plures objectiones desumunt *ex Actibus apostolorum.* Prima petitur ex agendi ratione sancti Petri in eligendo sancto Mathia : « Petrus, inquiunt anno 1722 patriarchæ orientales ad fideles Antiochenos, incipit primus synodum

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, p. 158 : « Καὶ μὴν οὐδ'ἐνταῦθα, σὺ ποίμαινε εἶπεν, ἀλλά, ποίμαινε· πολὺ δὲ διαφέρει τὸ ποίμαινε τοῦ « σὺ ποίμαινε ». Cf. etiam Nectarium, *op. cit.*, p. 168-169; patriarchæ orientales, *Encyclica ad Antiochenos*, col. 142. Huic exegesi jam præiverat Macarius Ancyranus, ut supra vidimus, p. 348.

alloqui. Atqui si Petrus, ut Latini volunt Christi solus procurator unusque vicarius fuisset, ei soli alium apostolum in Judæ locum manifesto esset eligendum atque creandum; eum dicere oportebat : *Sic volo, sic jubeo*, juxta præsentem Papæ, qui sese Petri successorem profitetur, agendi rationem, neque esset cunctis apostolis conveniendum. At enim, hujusmodi potestatem cum Petrus non haberet, idcirco cuncti convenerunt; et Petrus quidem id egit, ut primus synodum alloqueretur; suffragium autem ac Matthiæ electio a cunctis apostolis simul facta est [1]. »

Item, in eodem libro sacro (Act., viii, 14), legimus Petrum una cum Joanne ab apostolis fuisse missum ad Samaritanos. Atqui superior mittit, non mittitur. Ergo Petrus non erat caput ac dux aliorum apostolorum, sed collegio apostolico potius subjectus erat.

Ibidem, c. xi, 2-18, videmus Petrum, tanquam inferiorem christianis qui ex circumcisione erant sui agendi modi rationem probare ac explicare.

In synodo Hierosolymitana (Act. xv, 6-30), quanquam Petrus primus omnium sermonem facit, attamen Jacobus primas tenere et omni cætui præesse videtur, quippe qui controversiæ finem imponit his decretoriis verbis : *Propter quod ego judico*, διὸ ἐγὼ κρίνω, *non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.* Præterea non Petrus solus, sed omnes Apostoli simul cum senioribus epistolam mittunt ad fideles Antiochiæ, Syriæ et Ciliciæ.

4º Notant alios apostolos de privilegiis et primatu Petri altum servasse silentium; immo quædam egisse et scripsisse quæ huic primatui contraria videantur. Paulus, v. g., in Epistola ad Galatas (i, 11, 16-17), suam declarat independentiam a quolibet homine, ad prædicationem Evangelii quod attinet, atque a Deo immediate suam repetit missionem; ironice etiam loqui videtur de iis qui videbantur esse

1. Mansi-Petit, t. xxxvii, col. 144-145. Huic explicationi opponere satis sit verba sancti Joannis Chrysostomi, *Homil.*, iii, *in Act. Apost.*, *P. G.*, t. lx, col. 36 : « Quid ergo? an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat utique; sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet : Τί οὖν; ἑλέσθαι τὸν Πέτρον αὐτὸν οὐκ ἐνῆν; Καὶ πάνυ γε· ἀλλ'ἵνα μὴ δόξῃ χαρίζεσθαι, τοῦτο οὐ ποιεῖ. »

aliquid (οἱ δοκοῦντες εἶναί τι, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, c. ii, 6, 9), scilicet de Jacobo, Cepha seu Petro et Joanne; nomen Cephæ vero non primo loco sed post Jacobum ponit. Petro, Antiochiæ, in faciem restitit, quia reprehensibilis erat (ii, 11-18); nec solum Petrum appellat Ecclesiæ columnam, sed etiam eodem nomine Jacobum et Joannem nuncupat. Item, inquiunt, perfecta inter Petrum et Paulum æqualitas ex his Pauli verbis elucet : *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (Gal. ii, 8).

5° Opponunt etiam tanquam contra primatum facientia, ea quæ Paulus scribit ad Corinthios : « *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo : ego vero Cephæ : ego autem Christi. Divisus est Christus? Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus?* Ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Deus dedit. » (I Corinth., i, 12-13, iii, 4-9; cf. etiam I Corinth., iii, 11; Eph., ii, 19-20; Apoc., xxi, 14.)

6° Petrus ipse, subjiciunt, non videtur sibi conscius dignitatis suæ primatialis; siquidem in sua prima epistola (c. v, 1) seipsum vocat conseniorem (συμπρεσβύτερος) aliorum, non vero eorum ducem vel superiorem; in secunda vero, Paulum appellat *suum charissimum fratrem* (II Pet. iii, 15); fratres autem sunt inter se æquales.

7° Aliam demum miram rationem contra primatum Petri urgent patriarchæ orientales in *Epistola ad Antiochenos :* « Apostolos in Petri ditione non fuisse, id testatur Paulus, qui Petri injussu ac inscitia, quatuordecim epistolas scripsit; item, Joannes theologus, qui catholicam epistolam scripsit, necnon et Jacobus, frater Domini, et Judas apostolus. Nam sancti apostoli, ut a magistro suo Domino nostro Jesu Christo fuerant edocti, primas partes, imperium, vanam gloriam, quæ hodie a Papa affectantur, non ambierunt, sed in evangelio prædicando hominibusque ad Dei cognitionem reducendis elaborarunt, nullo inter se admisso discrimine, sed fraterna juris æquatione parique evangelicæ prædicationis cura [1]. »

1. Mansi-Petit, t. xxxvii, col. 148. Has difficultates præsertim urgent : Philaretus Gumilevski, *Dogmatica*, t, ii, p. 263, Truskovskii,

II. — De objectionibus ex traditione Patrum depromptis.

Admodum fastidiosum esset ac perlongum omnes operum Patrum locos recitare, quos polemistæ græco-russi, inde a sæculo xvi, tanquam primatui Petri officientes jactare solent; item eos, quos contortis ac coactis interpretationibus a genuino et obvio sensu detorquere nituntur. Quanam autem in hoc labore via ac ratione incedant, breviter ostendere satis erit.

1° Primum quidem, quascumque Patrum explanationes locorum evangelicorum ad primatum spectantium ab interpretatione Catholicorum primo saltem adspectu discrepantes invenire possunt, diligenter colligunt. Urgent præsertim explicationem verborum Domini : *Tu es Petrus*, a sancto Cypriano traditam, quam ut unice veram quidam habent, et ad cujus sensum omnia cæterorum Patrum dicta redigere conantur [1].

2° Si Patrum aliquis duplicem de verbis Domini protulit explicationem, illam proferunt quæ primatui contraria videtur, alteram silentio premunt [2].

3° Si testimonia primatum diserte significantia illis objicias, respondent tales locos in sensu litterali accipi non posse, sed per modum encomii ac laudationis oratoriæ a Patribus fuisse prolatos [3]. Cæterum, hujusmodi testimonia in suis scriptis plerumque silentio prætereunt.

4° Non raro accidit, ut difficultates contra primatum detegant, ubi nulla est. Sic, v. g., A. Lebedev objectiones movet

Theologia polemica, 39-43; A. Lebedev, *op. cit.*, 247-253; præsertim Suschkov, *op. cit.*, p. 43-66; cf. etiam *Epistolam ad Antiochenos* patriarcharum orientalium, anno 1722 datam, apud Mansi-Petit, *loc. cit.*; Eliam Meniatem, *op. cit.*, p. 89. Pleraque jam congesserat Macarius Ancyranus, ut supra vidimus, p. 346.

1. Ita, v. g., Perov, *op. cit.*, p. 66.

2. Provocant potissimum ad illos Patrum locos, ubi dicunt isti Ecclesiam esse fundatam super fidem seu confessionem Petri.

3. Vide quæ scribit A. Lebedev, *op. cit.*, p. 261-264, de doctrina Tertulliani. Hic auctor ipsum sanctum Joannem Chrysostomum, qui primatum Petri toties ac tam diserte docet, inter hujus primatus adversarios computat, p. 269-270.

ex silentio canonum Apostolorum de primatu; ex verbis liturgiæ sancti Jacobi de fundatione Ecclesiæ *supra petram fidei;* ex eo quod in turre *Pastoris* Hermæ, Petrus non ponatur tanquam fundamentum [1].

5º Quidam fatentur Patres, in explanandis textibus evangelicis primatum Petri respicientibus, inter se non consentire neque Ecclesiam de his textibus ullam hactenus authenticam interpretationem edidisse [2].

ARTICULUS VI

Conspectus historicus et bibliographicus controversiæ de primatu Romani Pontificis in theologia græco-russica inde a sæculo XII ad nostra tempora.

Ut in tomo I hujus operis declaravimus [3], per totam epocham byzantinam usque ad sæculum XV, controversia de primatu Romani Pontificis in theologia polemica Græco-Russorum non primas, sed secundas tantum partes obtinuit : quod patet tum ex permultis unionis tentaminibus, in quibus nunquam aut raro de primatu ipso disceptatum est, tum ex scriptis polemicis de hac materia, quæ admodum pauca fuere præ ingenti numero dissertationum de processione Spiritus Sancti vel de azymis eo tempore concinnatorum. In hac periodo, Byzantini litem de orthodoxia in fide in Latinos inferunt, et nonnisi obiter primatum Romanæ Sedis impugnant, cavillationes ab ipso Photio in sua opella inscripta : Πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι ἡ Ῥώμη πρῶτος θρόνος prolatas [4] plerumque repetentes. Unde ex ipsis quidam Papæ obtemperare et ei tanquam Christo obedire se paratos esse profitentur, dummodo a vera fide non aberret, id est voculam *Filioque* e symbolo expungat, confiteatur Spiritum Sanctum

1. A. Lebedev, *op. cit.* p. 254, 256-257. Lebedev putat Hermam fuisse apostolo Paulo coævum; certum vero est illum vixisse tempore Pii papæ I (140-155).
2. Ita Vostokov, *op. cit.*, t. I, p. 43; Damalas, περὶ ἀρχῶν, p. 101.
3. Cf. t. I, p. 374-391.
4. *Ibid.*, p. 123-124, 131-138.

a solo Patre procedere et azymis valedicat. Negant ergo Byzantini omnes infallibilitatem in docendo Romani Pontificis; non omnes autem ejusdem primatui jurisdictionis, etiam juris divini, adversantur. Qui vero hunc rejiciunt non eadem via in eo impetendo procedunt. Quidam enim, ut mox vidimus, ipsum Petri primatum negant, ut principatum Papæ facilius evertant. Alii vero Petrum fuisse Romæ episcopum infitiantur, cum, inquiunt, episcopus fuerit universalis; unde episcopus Romæ non est unicus Coryphæi successor, sed multi alii eodem titulo ac pari jure Petri successores dicendi sunt, illi scilicet episcopi omnes qui a Petro in diversis locis constituti sunt. Cum autem præ evidenti historiæ ecclesiasticæ testimonio negare non possint Romanos Pontifices aliquam jurisdictionem in universam Ecclesiam olim de facto exercuisse, hujusmodi primatum non juris divini, sed juris ecclesiastici, vel etiam juris imperatorii esse contendunt; cujus hæres legitima, post Senioris Romæ a fide defectum, sedes exstat Constantinopolitana, Novæ Romæ nomine decorata.

Hinc paucis delineatam habes totam byzantinæ *Polemicæ* rationem adversus Romani Pontificis principatum; cujus litterarii fœtus haud multi vel jam indicati sunt, vel infra notabuntur. In periodo autem moderna, præsertim vero recentiori ævo, simultas in Papæ primatum omnium controversiarum Græco-Russorum cum Catholicis caput exstat atque cardo. De eo tractant polemistæ tum in operibus generalibus de differentiis inter Ecclesias existentibus, tum in monographiis specialibus inscriptis : *De principatu Papæ.* Ex his ultimis præcipuas hic recensere juvabit.

Sæculo XVI, Meletius Pigas Alexandrinus primatum Romanum impugnat in pluribus dissertationibus : 1º Anno 1583, cum patriarchæ Alexandrini Sylvestri protosyncellus adhuc esset, opusculum contra Papæ prærogativas Græcorum vulgari sermone conscripsit, Feodoro Ivanovitch, Russorum principi, dicatum, cui titulus : Περὶ τῶν πρωτείων τοῦ πάπα, ὅτι μήτε οἱ κανόνες τῶν νόμων, μήτε ὁ λογαριασμὸς τὸ θέλει νὰ τὰ ἔχῃ καθὼς κρατοῦσιν οἱ Ῥωμάνοι, ἀλλὰ ἁρπακτικῶς θέλει νὰ τὰ χρᾶται, quod edidit Agathangelus Ninolakis in suo opere : Πρὸς τοὺς Κρῆτας ἀλληλογραφία Μελετίου τοῦ Πηγᾶ, Caneis, 1908,

p. 99-132; 2º Jam supra notavimus alterum ejus opus longius anno 1685 conscriptum et a Dositheo in Τόμῳ χαρᾶς editum, p. 553-609, ubi de primatu Petri potissimum disserit : Λόγος περὶ τοῦ τί ἐστιν ἡ ἀληθὴς καθολικὴ Ἐκκλησία καὶ ποία ἐστὶν ἡ γνησία κεφαλὴ αὐτῆς, καὶ κατὰ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα τῆς Ῥώμης ; 3º Item de primatu Romano cum discipulo disceptat in dialogo inscripto : Ὀρθόδοξος διδασκαλία, Vilnæ, 1596, Iasii, 1769 ; 4º Duas epistolas περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα ad Kiovienses seu Malorussos scripsit, quas Nicolaus Metaxas Constantinopoli, anno 1627, publici juris fecit una cum aliis opusculis polemicis contra Latinos.

Meletii Pigæ coævus, Gabriel Severus, primatum Papæ ut secundam differentiam inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem existentem habet, ac de eo satis fuse tractat : Περὶ τῆς β' διαφορᾶς, τὴν ὁποίαν ἔχει ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία μὲ τὴν Ῥωμαϊκήν, ἤγουν περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα a Nicolao Metaxa, anno 1627 editum (34 densæ paginæ.)

Sæculo XVII ineunte, Nathanael Khoukhas (Ναθαναὴλ Χούχας) scripsit *Enchiridion de primatu Papæ*, Ἐγχειρίδιον περὶ τοῦ πρωτείου τοῦ πάπα, ab Andronico Demetracopulo, Lipsiæ, anno 1869 editum ; cujus operis versio arabica eodem anno, Hierosolymis prodivit. Georgii Coressii opus Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα ineditum remansit, dum e contra Nectarii Hierosolymitani Ἀντίρρησις πρὸς τὰς αὐτῷ προσκομισθείσας θέσεις παρὰ τῶν ἐν Ἱερυσολύμοις Φρατόρων διὰ Πέτρου τοῦ αὐτῶν μαΐστορος περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα a Dositheo, anno 1682, Iasii publicata est ; quam latine reddidit Allixius Anglicanus, Londini, 1702, ut jam diximus. Eodem ævo, Malorussus Zacharias Korpytenskii suum opus *Palinodia* inscriptum edidit, quod circa primatum fere totum versatur [1].

Sæculo XVIII, præter ea quæ contra primatum Romanum tum in *Petra scandali* Eliæ Meniatis, tum in *Epistola quatuor patriarcharum ad Antiochenos* (1722) leguntur, notanda veniunt duo opuscula Eustratii Argentis, quorum primum inscribitur : Περὶ τῆς ψευδοῦς ἀψευδίας τοῦ πάπα Ῥώμης, τουτέστι σύντομος ἀπόδειξις κατὰ τοῦ πάπα τῆς παλαιᾶς Ῥώμης, ἐν ᾗ τρανῶς καὶ λαμπρῶς ἀποδείκνυται, ὅτι ὁ πάπας τῆς Ῥωμῆς ἠμπορεῖ νὰ γίνῃ αἱρετικός, καὶ ὅτι πολλοὶ ἀληθῶς ἔγιναν αἱρετικοί, καὶ ὅτι ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία διδάσκει πῶς ὁ πάπας τῆς Ῥώμης ἠμπορεῖ νὰ γίνῃ αἱρετικός, τὸ ὁποῖον βεβαιοῖ καὶ ἡ ἀναλογία τῆς πίστεως. Ut ex hoc longo titulo constat, libellus potius contra infallibilitatem quam contra primatum stricte sumptum dirigitur. Alterius opusculi titulus infensissimum auctoris animum in Papam denuntiat : Ἐγχειρίδιον περὶ τοῦ λατινικοῦ πάπα καὶ τοῦ ἀντιχρίστου, ἐν ᾧ λόγοις καὶ μαρτυρίαις τῆς θείας Γραφῆς καὶ τῶν ὀρθοδόξων πατέρων ἀποδείκνυται, ὅτι ὁ πάπας τῆς παλαιᾶς Ῥώμης ἐστὶν ὁ κατ'ἐξοχὴν λεγόμενος Ἀντίχριστος. Hæc duo opuscula inedita sunt.

1. Cf. t. I, p. 563.

Sæculo XIX, tractatus polemici adversus Papæ primatum ejusque infallibilitatem numero crescunt, præsertim apud Russos. Græci nihil fere novi de hac materia edunt ; vulgant vero polemistarum antiquorum opera, vel Russorum scripta græce vertunt. Nota tamen opus Hieronymi monachi : Ἔλεγχος τοῦ ἐπιπλάστου παπικοῦ πρωτείου, Patris, 1888, necnon Butiræ dissertationem : Ἡ παπικὴ μοναρχία καὶ ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία, Athenis, 1902. Inter monographias a Russis conscriptas præcipuæ sunt : 1º A. M. Ivantzov Platonov, *De Romano catholicismo ejusque relationibus ad Orthodoxiam*, 2 vol., Mosquæ, 1869-1870 ; 2º N. Bielaev, *Indoles catholicismi Romani ex papali dogmate*, Kazanii, 1878 ; 3º ejusdem, *De catholicismo : Criticæ adnotationes in apologiam papatus inscriptam :* DE ECCLESIA, *quæ extra Russiam edita est*, Kazanii, 1889 (Agitur de opere ab Elisabeth Grigorievna Volkonsky conscripto, cui titulus : *O Tserkvi; Istoriceskii ocerk : De Ecclesia : disquisitio historica*) ; 4º A. Nicanor, *Examen doctrinae romanæ de primatu in Ecclesia ex documentis sacræ Scripturæ et traditionis primorum sæculorum christianismi*, Kazanii, 1871 ; 5º Avdias Vostokov (= Anatolius Martynovskii), *De relationibus Ecclesiæ romanæ ad cæteras Ecclesias christianas totumque genus humanum*, Petropoli, 1857, 2 vol. ; italicam versionem hujus operis notavimus supra, p. 353, n. 2 ; 6º Sergius Suschkov, *Contra falsam doctrinam de primatu universali romanæ Ecclesiæ ex testimoniis sacræ Scripturæ et documentis ecclesiasticis ad duo prima sæcula christianismi pertinentibus*, Petropoli, 1891 ; 7º Alexander Lebedev, *De principatu Papæ seu de differentiis inter Orthodoxos et Papistas circa doctrinam*

de Ecclesia, Petropoli, 1887; ed. 2, 1903; 8° Vladimirus Guettée, *La papauté schismatique ou Rome dans ses rapports avec l'Église orientale*, Parisiis, 1863, opus russice versum a K. Istomin, *Papstvo kak pricina razdieleniia Tserkvei ili Rim v svoikh snocheniiakh s vostoshnuiu Tserkoviu*, Kharkovii, 1895.

His libris polemicis adjungendi sunt multi articuli ejusdem indolis in diversis commentariis theologicis Russorum per totum sæculum XIX vulgati; item, plures monographiæ adversus Romani Pontificis infallibilitatem, ex quibus quasdam indicabimus infra, ubi de magisterio ecclesiastico. Primatum Romanum brevius impugnant omnes compendiorum theologiæ dogmaticæ vel theologiæ polemicæ auctores.

ARTICULUS VII

De theologis byzantinis qui primatum Romanum implicite vel explicite agnoverunt.

Logice quidem Romani Pontificis primatum agnoscere ille debet qui Petri primatum tenet. Hanc consequentiam tamen quidam theologi Byzantini haud admiserunt : Coryphæi præeminentiam prædicarunt quin eam ad Romanum Pontificem transiisse crediderint. Iidem, vel etiam alii, verum jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam ad Papam pertinere non infitiati sunt, sed circa ejus originem erraverunt, docentes hujusmodi primatum non a Christo, aut a Petro, sed a Patribus, vel ab ipsis imperatoribus Papæ pro bono Ecclesiæ regimine collatum fuisse. Alii autem Romanum Pontificem Petri successorem in primatu ex divina ordinatione confessi sunt; hunc primatum tamen infallibilitatem in docendo importare minime perspexerunt. Alii demum omnino catholice senserunt. De his ultimis, item de iis qui primatum divinitus institutum, non tamen cum infallibilitatê necessario conjunctum agnoverunt, in hoc articulo sermo erit.

Notum est plura contigisse unionis tentamina inter utramque Ecclesiam a sæculo XII usque ad concilium Florentinum. Horum tentaminum occasione, multi Byzantini sive implicite sive etiam explicite, primatum Romanæ Sedis agnoverunt. Implicite enim illum admississe censendi sunt quicumque hanc doctrinam inter differentias dogmaticas unionem impedientes non retulerunt.

Anno 1154, Adrianus IV Constantinopolim legatum misit Anselmum Havelbergensem de instauranda unione cum Græcis collocuturum. Hanc nactus opportunitatem, Basilius Achridanus, Thessalonicæ metropolita, Papæ rescripsit, hæc inter alia illi dicens :

« Vocem tuam agnovimus per litteras alloquentem ad aures mentisque intima. Audivimus loquentem ut patrem, ut pastorem, vel potius ut *pastorum principem* (μᾶλλον δὲ ἀρχιποιμένος)... Plane si alienos a tua Sanctitate filios nos ipsos existimassemus, aut longe a pastorali cura tua separari voluissemus, nequaquam tuam vocem ut paternam agnovissemus, neque tanquam ad pastorem receptui canentem conversi fuissemus... Nos e sinu tuo cecidisse negamus, et *filiorum appellationem*, aut *pastoralem curam non refugimus*... Tuto ac firmiter Dei gratia stetimus in beati Petri confessione. Tua Integritas, *perfectissimi Christi imaginem ac similitudinem referens tum sede*, tum sapientia et vitæ splendore, poterit omnino dissidio causam præbentia scandala removere et Ecclesiis unitatem infragilem restituere [1]. »

Sæculo XIII, quando de unione instauranda inter Græcos et Latinos actum est in collationibus Nicææ et Nymphæ habitis (a. 1232-1234), sub Gregorio papa IX et Germano II patriarcha Constantinopolitano, primatus Romani Pontificis in controversiam non venit, ac de duobus tantummodo capitibus, de azymis nempe et de processione Spiritus Sancti, disputatum est. Germanus II epistolam misit ad « papam Veteris Romæ et Apostolicæ Sedis rectorem », in qua hæc legimus :

1. « Ἡ δὲ σὴ τελειότης καὶ τοῦ παντελείου Χριστοῦ εἰκόνα καὶ ὁμοίωμα φέρουσα κατά τε τὸν θρόνον κατά τε γνῶσιν καὶ τὴν τοῦ βίου λαμπρότητα. » *P. G.*, t. CXIX, col. 929-933. Christi imaginem *secundum sedem* refert Papa, quatenus Christi vices gerit et totam regit Ecclesiam.

« Ad te, sanctissimum Papam, *qui Apostolicæ Sedis primatum sortitus es*, sermonis mutamus exordium [1]. »

Papam etiam vocat Petri successorem [2]. Ex iis tamen quæ adjungit, patet eum non habuisse romanam Ecclesiam ut infallibilem.

Item, anno 1253, sub Joanne III imperatore Nicæno, Græci ad unionem cum Latinis consenserant. Hac occasione Manuel II, patriarcha œcumenicus (1244-1255), legatos Romam misit deferentes litteras ad papam Innocentium IV, «summæ Sedis Apostolicæ præsidem», quibus ipse et archiepiscopi ei subditi primatum Romani Pontificis diserte profitebantur, obedientiam ei promittentes, jusque recipiendi appellationes in ultima instantia ei agnoscentes [3].

Mox in concilio œcumenico Lugdunensi II, anno 1274 habito, Michaelis Palæologi imperatoris legati confessioni fidei subscripserunt primatum Romanum his verbis declarantem :

« Ipsa quoque sancta romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare : et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius judicium recurri : et eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ; ipsorum prælati obedientiam et reverentiam ei dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, et patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem romana Ecclesia honoravit, sua

1. Hardouin, *Coll. Conciliorum*, t. VII, 149. Alibi tamen Germanus II primatum Romanæ Sedis negat et pentarchiæ suffragatur; cf. ejus *Epist.* II *ad Cyprios*, *P. G.*, t. CXL, col. 616-617.
2. *Ibid.*, 152; cf. Sathas, Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη, t. II, 40, 44.
3. Walter Norden, *Das Papstum und Byzanz*, Berolini, 1903, p. 369 sq. ; 756-759.

tamen observata prærogativa tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva [1]. »

Hanc fidei professionem una cum unione Lugduni pacta patriarcha Constantinopolitanus Joannes Veccus et multi Byzantini præsules probarunt ac retinuerunt, ab anno 1274 ad annum 1282.

Sæculo XIV, unionis tentamina non defuerunt, ex quorum narratu constat primatum stricte dictum, ab infallibilitate dogmatica præcisum, inter concordiæ renovandæ obstacula vix fuisse computatum. Anno 1369, Joannes V Palæologus imperator schisma abjuravit Romanæque Sedis primatum professus est; cui suffragari visus est patriarcha œcumenicus Nilus (1379-1388), quippe qui ad Urbanum papam VI, anno 1384, hæc scripserit :

« Verum non est quod quidam de nobis dicunt, nos scilicet, primatum habere velle, et ideo unionem non recipere; hoc verum non est. Etenim confitemur nos te *primum habere secundum canones sanctorum patrum*, dummodo contingat unio ut decet [2]. »

Initio sæculi XV, Simeon, archiepiscopus Thessalonicensis († 1429), Papam esse Petri successorem primatumque jurisdictionis a Christo per Petrum accepisse aperte docebat. In hoc tantum errabat quod Romanum Pontificem in docendo infallibilem non esse arbitrabatur :

«Latinis, inquit, qui primatum Romano episcopo astruunt, contradicere opus non est; neque id lædit Ecclesiam : *Ostendant tantummodo ipsum in Petri fide et illius successorum persistere; et habeat sibi Petri omnia*; *et primus sit et vertex et caput omnium et supremus antistes* : Καὶ πάντα ἐχέτω τὰ τοῦ Πέτρου, καὶ πρῶτος ἔστω καὶ κορυφὴ καὶ κεφαλὴ πάντων, καὶ ἄκρος ἀρχιερεύς; id enim de patriarchis romanis, qui pro tempore

1. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum*, nº 466.
2. « Οὐδὲ γὰρ ἔστι καθὼς λέγουσί τινες περὶ ἡμῶν, ὅτι θέλομεν ἵνα ἔχομεν τὰ πρωτεῖα, καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲν ἀποδεχόμεθα τὴν ἕνωσιν· τοῦτο οὐκ ἔστιν ἀληθές, Ἡμεῖς γὰρ ὁμολογοῦμεν, ὅτι πρῶτον σὲ ἔχομεν κατὰ τοὺς κανόνας τῶν ἁγίων πατέρων· μόνον ἐὰν γένηται ἡ ἕνωσις καθὼς πρέπει.» Miklosich et Müller, *Acta patriarchatus Constantinopolitani*, t. II, p. 87. Fatendum est hæc verba intelligi posse de solo primatu honoris secundum canones, vel de primatu juris ecclesiastici.

fuerunt, scriptum est; et apostolica est sedes ista, et qui in ea insidet pontifex, si rectam fidem tenuerit *successor dicitur Petri*; nullusque recte sentientium et loquentium oppositum affirmabit : Καὶ γὰρ τοῦτο περὶ τῶν κατὰ καιροὺς πατριαρχῶν Ῥώμης γέγραπται, καὶ ἀποστολικὸς οὗτος ὁ θρόνος, καὶ ὁ ἐπ᾽αὐτῷ ὀρθοδοξίας ἐχόμενος ἀρχιερεὺς διάδοχος λέγεται τοῦ Πέτρου· καὶ οὐδεὶς τῶν ὀρθὰ φρονούντων τε καὶ λεγόντων ἐπὶ τούτοις ἀντερεῖ... Rectam fidem tantummodo profiteatur Sylvestri et Agathonis, Leonis et Liberii, Martini atque Gregorii successor Romanus Pontifex, et tunc illum Apostolicum ceterorumque pontificum primum prædicabimus; *et ipsi obedientiam præstabimus non tantum velut Petro, sed etiam velut ipsi Salvatori :* Καὶ οὕτως Ἀποστολικὸν αὐτὸν καὶ πρῶτον τῶν ἄλλων ἐροῦμεν ἀρχιερέων, καὶ τὴν ὑποταγὴν αὐτῷ δώσομεν, οὐχ ὡς τῷ Πέτρῳ μόνον, ἀλλ᾽ ὡς αὐτῷ τῷ Σωτῆρι. At vero, si sanctorum illorum fidei hæres non sit, neque Sedis erit hæres, neque modo nequaquam erit Apostolicus, neque primus, neque Pater, sed e contrario adversarius et vastator et apostolorum inimicus : εἰ δ᾽οὐ διάδοχος τῇ πίστει τοῖς ἁγίοις ἐκείνοις ἐστίν, οὐδὲ διάδοχος τοῦ θρόνου... Et quemadmodum, negato Christo, Petrus jam Petrus non est, nec apostolus, neque primus, ita nec is qui papa dicitur jam erit papa, si non habeat Petri fidem, quam trina confessione, utpote diligens, signavit Petrus [1]. »

1. *Dialogus contra hæreses, P. G.*, t. CLV, col. 120-121. Eadem fere Nilus Cabasilas dixerat in fine sui tractatus : Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Πάπα, quæ tamen non retulimus, quia auctor antea dixit Romanum Pontificem primatum habere non a Christo vel a Petro, sed a Patribus et conciliis. Ibi tamen doctrinam oblivioni tradere videtur : «Summa dictorum hæc est, inquit : Quamdiu quidem Papa ordinem servat et in veritate stat, *a primo et proprie dicto principatu non removetur, et caput est Ecclesiæ et Summus Pontifex et Petri reliquorumque apostolorum successor, omnesque ei obedire oportet*, nihilque est quod ipsius honori detrahat. Si vero, cum semel a veritate recesserit, ad eam redire noluerit, damnatorum pœnis erit obnoxius : Κεφάλαιον τῶν λεγομένων· ἕως μὲν ὁ πάπας σῴζῃ τὴν τάξιν καὶ μετὰ τῆς ἀληθείας ἕστηκε, καὶ τῆς πρώτης καὶ κυρίως ἀρχῆς οὐκ ἀφίσταται, καὶ κεφαλὴ τῆς Ἐκκλησίας καὶ ἀρχιερεὺς ἄκρος καὶ Πέτρου καὶ πάντων ἀποστόλων διάδοχος· καὶ δεῖ πάντας αὐτῷ πείθεσθαι, καὶ οὐδὲν ὃ τὴν τιμὴν ἐκείνου χωρεῖ· εἰ δὲ τῆς ἀληθείας ἀποχωρήσας, οὐ βούλεται πάλιν πρὸς ἐκείνην ἐπανιέναι, τὰ τῶν καταδίκων πείσεται. » *P. G.*, t. CXLIX, col. 728. Joannes Matthæus Caryophyllus, qui libelli Nili confutationem conscripsit, auctorem contra-

In concilio Florentino, de primatu Romani Pontificis quædam collationes circa finem habitæ sunt, ex quibus deprehendimus Orientales non adeo primatui Romano infensos fuisse, dummodo privilegia sedium patriarchalium Orientis, usu ac canonica disciplina invecta, in tuto ponerentur [1]. Unionis tamen adversarii, et imprimis Marcus Ephesius, Papam ut unum e patriarchis tantum habere volebant [2]. In decreto autem unionis, cui subscripserunt triginta septem præsules byzantini, inter quos erat metropolita Russiæ, Isidorus Kioviensis, hæc de Romano Pontifice definita sunt :

« Item diffinimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum de canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum, ut patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis et juribus eorum [3]. »

Non solum Byzantini proprie dicti, verum etiam Bulgari et Serbi, eo tempore quo independentia politica gauderent, haud una vice cum Ecclesia romana unionem renovarunt;

dictionis hic merito arguit : « Ut videre est, tecum pugnas præ calliditate nimia. Ut enim totam schismatis causam conjicias in Papam, quasi errantem in fide, concedis illi etiam quæ negas, dummodo palinodiam canat. » *Refutatio Nili, P. G., ibid.*, col. 878.

1. Hardouin, t. IX, col. 402-418, 958-981.

2. « Καὶ ἡμεῖς μὲν τὸν πάπαν ὡς ἕνα τῶν πατριαρχῶν λογιζόμεθα, καὶ τοῦτό γε, ἂν ὀρθόδοξος ᾖ. » Marcus Ephesinus, apud *Gregorium Mammam*, Hardouin, *ibid.*, 666. Gregorius concedit quidem Papam esse unum e patriarchis, sed addit : « ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ὁμοταγέσι ἐστί τις πρωτεύων. »

3. Hardouin, *ibid.*, col. 418.

at infeliciter ob commoda terrena ad hoc plerumque impulsi sunt; unde unio caduca ac brevis fuit, et ob eadem commoda mox derelicta.

Bulgari primatum Romani Pontificis publice agnoverunt tum sub tsaris Michaele, Symeone et Samuele, eo tempore scilicet, quo ad christianam fidem conversi sunt, et patriarchatum Achridanum autocephalum constituerunt (866-924), tum sub tsaro Caloiano ejusque successoribus, sæculo XIII ineunte, quando iterum patriarchatum independentem Trinovii instaurarunt. Hac ultima vice, Ecclesiæ romanæ uniti remanserunt ab anno 1202 ad annum 1230 [1]. Ad schisma reversi, ad communionem Romanam rursus accesserunt Constantinopoli per suum patriarcham, anno 1274, paulo ante concilium Lugdunense; mox vero in schisma relapsi sunt.

Serbi item Romanæ Sedis auctoritatem haud semel

1. Anno 1202, Caloianus Innocentio papæ III scribebat litteras, in quibus hæc inter alia occurrunt : « Imperium meum voluit benedictionem et imperiale firmamentum coronæ capitis imperii sui suscipere et patriarchalem benedictionem ab Ecclesia romana, ab Apostolicæ Sedis principe apostolorum Petro, et a sanctissimo patre nostro universali papa tertio Innocentio... Ecclesiæ omnes totius imperii mei et tenimenti, et patriarcha meus metropolitanus, episcopi, archiepiscopi et cuncti sacerdotes Romanæ subsint Ecclesiæ, et teneant legem et consuetudinem et observationem, quas tenuerunt beatæ memoriæ imperatores totius Bulgariæ et Blachiæ prisci illi nostri prædecessores, et nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem imperium meum ad securitatem chrysobullum suum, quod nunquam ab Ecclesia Romana et Apostolica Sede, principe apostolorum Petro, ipsum videlicet imperium meum discedet ». Theiner, *Vetera monumenta Slavorum meridionalium*, t. I, p. 15-16. Eadem occasione, archiepiscopus Trinovitanus, Basilius, ad Papam mittebat fidei catholicæ professionem propria manu subsignatam, qua Romano Pontifici obedientiam promittebat : « Ego archiepiscopus Trinovitanus, primas totius Bulgariæ et Blachiæ, ab hac hora in antea ero fidelis et obediens beato Petro sanctæque Romanæ et Apostolicæ Sedi et domino meo papæ Innocentio ejusque catholicis successoribus... Papatum Romanum, honores, dignitates, et rationes Apostolicæ Sedis defendam pro posse, salvo ordine meo, contra omnem viventem, etc. » Theiner, *ibid.*, p. 17; cf. S. Vailhé, art. BULGARIE, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, col. 1189 sq., ubi indicata invenies alia documenta ad hanc rem spectantia, et præsertim opus J. Markovitch, *Gli Slavi ed i Papi*, t. II, p. 502-608, Zagrebii, 1897.

agnoverunt. Sæculo XII, Stephanus Nemania, Rasciæ (seu Serbiæ veteris) princeps (1159-1195), catholicam fidem professus est; cui Clemens papa III, anno 1189, apostolicam benedictionem mittebat. Ejus duo filii, Stephanus et Vukius, Ecclesiæ romanæ etiam adhæserunt. Anno 1199, synodus Diocliæ habita, cui duo legati Innocentii III præfuerunt, suo sexto canone declarabat totam Serbiam profiteri Ecclesiam romanam omnium Ecclesiarum matrem ac magistram esse. Post Constantinopolim a Turcis captam, Sabas, Serbiæ metropolitanus, ab Honorio papa III coronam regiam pro fratre suo Stephano Nemanitch obtinuit. Mox vero Urochio regnante (1243-1276), unio cum Ecclesia catholica rupta est; quam per aliquot annos instaurasse videtur Urochius III (1321-1323?) Hic fidei professionem ad Joannem papam XXII misit, in qua hæc inter alia occurrebant :

« Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam sponte veniens, fateor, recognosco, accepto ac sponte suscipio [1]. »

E contra, Urochii III successor, Duchanus Magnus, catholicæ Ecclesiæ infensus fuit, quamvis ad Innocentium papam VI ficto obsequio aliquando se converterit [2].

Unus e Græcis qui synodo Florentinæ interfuerunt, ille scilicet Georgius Scholarius, quem primatum beati Petri

1. P. Balan, *Delle relazioni fra la Chiesa cattolica e gli Slavi*, Romæ, 1880, p. 225. Markovitch, *op. cit.*, t. I, p. 1-64; t. II, p. 305-560, plura habet de relationibus Serborum cum Sancta Sede; cf. etiam Fermendgiu, in *Starina*, t. XXV.

2. Anno 1354, Duchano hæc Papa rescribebat : « Apocrisiarii magnitudinis tuæ... retulerunt qualiter tu, velut filius benedictionis et gratiæ, apostolicæ benedictionis tibi transmitti munus devotissime cupiebas, et deinde prædictam Ecclesiam in matrem, magistram ac dominam christianorum omnium, et Romanum Pontificem in universalem christianorum ipsorum patrem et dominum, ac verum Christi vicarium, et beati Petri apostolorum principis successorem tuo et eorum nomine recognoverunt ». Balan, *op. cit.*, p. 235-236. Duchanus ideo Papæ se submittere simulavit, quod patriarcha œcumenicus, Callistus I, anno 1352, ipsum, novum patriarcham Ipekiensem et totam Serborum gentem excommunicationis sententia mulctaverat ob patriarchatus Ipekii creationem. In regno Duchani, ex articulo sexto codicis civilis ab eo promulgato, *hæresis latina* pœna mortis puniebatur.

asserentem jam audivimus, Papæ præeminentiam ac spiritualem in universam Ecclesiam principatum multo disertius prædicavit. Eugenio enim papæ IV quondam scripsit epistolam, in qua Summum Pontificem *communem* nuncupat *patrem et universæ terræ pastorem;* dicit se vehemens desiderium habere Petri cathedram necnon ejus successorem ipsum Eugenium, *qui ex hac cathedra velut ex quodam oriente totum illuminat mundum*, videndi ac venerandi, pedesque apostolicos Pontificis pie ac filialiter amplectendi [1].

Hæc quidem scripsit Georgius ante Synodum Florentinam, eo scilicet tempore quo unionis cum Latinis studiosus erat. Post synodum vero, quando in dogma catholicum processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio verbo ac scripto vehementer invehi cœpit unionique Florentinæ omni modo obtrectare, Romanæ Sedis primatum nunquam polemice impetivit nec in dubium vocavit; quin immo illum profiteri perrexit. In suo enim *Tractatu I de processione Spiritus Sancti* hæc habet :

« Sane si quamdam compositionem seu temperamentum (οἰκονομίαν) ad Ecclesias conjungendas excogitare oportuit, Papam utique decuit hanc οἰκονομίαν perficere. Ubique enim superioris est compositionem facere; ipse autem Papa quam verissime superior est in Christi Ecclesia, si quidem quæ ad superiores pertinent, agere voluerit [2]. »

In secundo *Dialogo de processione Spiritus Sancti* item dicit :

1. *Epistola ad Eugenium papam*, apud Lampros, Παλαιολόγεια καὶ Πελοποννησιακά, t. II, Lipsiæ, 1912, p. 310 : « Ἀλλ'ἐγὼ καὶ τὸν ἔμπροσθεν χρόνον ὑπό τε τῆς ἀληθείας αὐτῆς καὶ τῶν πραγμάτων κεκινημένος, ἀφοσιοῦσθαί σοι κατὰ γνώμην ὅσα κοινῷ πατρὶ καὶ ποιμένι τῆς οἰκουμένης ἐχρῆν καὶ τὴν ἀποστολικὴν εὔχεσθαι θέαν, καὶ ποθεῖν ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν σῶν τροφίμων τετάχθαι, νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐκείνην ἔχω τὴν γνώμην καὶ θερμότερος ἐραστής εἰμι τῶν τηλικούτων καλῶν καὶ ὧν οὐδ'ἴσον ἔστιν εὑρεῖν· καὶ πρὸ πάσης εὐχῆς ἐμοὶ τὴν Πέτρου καθέδραν ἰδεῖν τε καὶ προσκυνῆσαι, καὶ σὲ τὸν διάδοχον ἐκείνου καὶ ζηλώτην ἐκ ταύτης ὡς ἔκ τινος ἀνατολῆς τὸν κόσμον πάντα φωτίζοντα. »

2. *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, t. II, Paris, 1929, p. 234 : « Εἰ γὰρ ἐχρῆν τινα καὶ οἰκονομίαν πρὸς τὰς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπινοεῖσθαι συμβάσεις, αὐτῷ γ'ἂν προσῆκεν οἰκονομεῖν· τὸ γὰρ οἰκονομεῖν πανταχοῦ τοῦ μείζονος πέφυκεν· αὐτὸς δέ ἐστι μείζων ὡς ἀληθῶς ἐν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ, εἴ γε τὰ τῶν μειζόνων βούλεται πράττειν. »

« Cum Papa sit pater ac magister, schisma juste dissolvere solus potest. Omnes christianos invitet, et evangelicam illam vocem (scilicet illud *a Patre procedit*) in symbolo solam prædicet, et ita prædicari jubeat, nihil amplius curiose inquirens; et nos, oves, vocem ejus audiemus, et fiet unum ovile, unus pastor. Nunc vero, quod ipsius Christi vocem non audit, sed aliquid haud parvi momenti addit, sive sit bonum, sive malum, et vero timemus ne a vero aberret... propterea illum non sequimur. Si vero super his aliquid dispensative agendum, οἰκονομία utique ad eum pertinet; superiori namque οἰκονομίαν congruere doctus omnis fatebitur [1]. »

Idem in suis aliis scriptis, quæ proxime edituri sumus, haud semel fatetur duas tantum differentias proprie dogmaticas inter Ecclesiam catholicam et Ecclesiam orientalem dissidentem exstare, illam videlicet quæ est de processione Spiritus Sancti, et eam quæ respicit realem differentiam inter essentiam Dei et ejus operationem; nullibi vero primatum Romani Pontificis, quem ut maximum dissensionis caput principemque schismatis causam habent plerique theologi dissidentes nostri ævi, inter capita utrinque controversa recenset.

ARTICULUS VIII

De primatu Romani Pontificis ex libris liturgicis et canonicis Græco-Russorum.

Nemo satis mirari potest quomodo Græco-Russi sibi constare possint, dum ex una quidam parte primatum jurisdictionis Romani Pontificis a Christo per Petrum acceptum

1. *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, t. III, Paris, 1930, p. 41 : « Ὁ δὲ πάπας, πατὴρ ὢν καὶ διδάσκαλος, δύναται μόνος τὸ σχίσμα λύειν δικαίως· καλεσάτω γὰρ πάντας χριστιανοὺς καὶ τὴν εὐαγγελικὴν ἐκείνην κηρυξάτω μόνην ἐν τῷ συμβόλῳ φωνήν, καὶ οὕτω κηρύττεσθαι προσταξάτω, μηδὲν προσπεριεργαζόμενος· καὶ ἡμεῖς, τὰ πρόβατα, τῆς αὐτοῦ φωνῆς ἀκούσομεν, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν... Καὶ οἰκονομεῖσθαι δὲ τὰ τοιαῦτα εἰ δέοι, αὐτοῦ γένοιτ' ἂν τὸ οἰκονομεῖν· τῷ μείζονι γὰρ δήπου πρέπειν οἰκονομεῖν πᾶς τις ἂν εἰδὼς εἴποι. »

expresse rejiciant; ex alia vero, in officiis publicis liturgicis ut sanctos colant maximisque laudibus efferant tot præclaros Patres et Ecclesiæ doctores, tum Orientales tum Occidentales, qui sine ulla controversia hunc primatum diserte aperteque docuerunt; inter quos sufficiat nominare sequentes :

A) *Patres Orientales* : SS. Basilium, Gregorium Nazianzenum, Joannem Chrysostomum, Sophronium Hierosolymitanum, Maximum Confessorem, Joannem Damascenum Nicephorum, præsertim vero Theodorum Studitam, Ignatium, Methodium, Slavorum apostolum.

B) *Patres Occidentales* : SS. Ambrosium, Leonem Magnum, Gregorium Magnum, Martinum papam I.

Quod vero adhuc magis admirationem movet hoc est : Græco-Russi, in diebus festis quorumdam sanctorum Pontificum Senioris Romæ, preces, hymnos, sermones, narrationes recitant vel cantant, in quibus primatus Romanæ Sedis expressa mentio occurrit. Cujus pauca ex multis afferamus documenta.

1º) In officio sancti Sylvestri papæ, die 2 januarii ad Vesperas, hæc leguntur :

« Πάτερ θεοφόρε, Σίλβεστρε, στῦλος ὡράθης πυρός, ἱερῶς προηγούμενος ἱεροῦ συστήματος : *Pater Deifer, Sylvester, columma ignis apparuisti, dux sacer factus sacri concilii.* »

Item ad Laudes ejusdem festi : « Τοῦ Κορυφαίου τῶν ἀποστόλων τὴν καθέδραν πλουτήσας, τοῦ Θεοῦ λειτουργὸς ἐδείχθης θαυμασιώτατος, ὡραΐζων, στηρίζων καὶ μεγαλύνων δόγμασι θείοις τὴν Ἐκκλησίαν : *Coryphæi apostolorum sede ditatus, Dei minister factus es præclarissimus, decorans, firmans ac magnificans Ecclesiam divinis dogmatibus.* — Κορυφαῖος ὤφθης ἱεροῦ συστήματος, καὶ τοῦ Κορυφαίου μαθητῶν ἐκόσμησας τὸν θρόνον : *Princeps visus es sacri concilii, et Coryphæi discipulorum decorasti thronum.* — Ὡς θεῖος κορυφαῖος ἱερῶν πατέρων, τὸ ἱερώτατον δόγμα ἐκράτυνας : *Tanquam divus princeps sanctorum Patrum, sacratissimum dogma confirmasti.* »

2º In festo sancti Leonis Magni, die 18 februarii :

Ad Vesperas, sanctus hic papa appellatur *turris invicta et inconcussa religionis, orthodoxiæ dux, lumen orbis terrarum,* ἀήττητος, ἀρραγής, ἀκλόνητος εὐσεβείας πύργος, ὀρθοδοξίας ὁδηγέ, τῆς οἰκουμένης ὁ φωστήρ. Ad Ὀρθρόν item salutatur ut *columna orthodoxiæ,* στήλη ὀρθοδοξίας, *ut Petri successor, illius præsidentia seu primatu ditatus, qui divinitus inspiratam edidit definitionem,* ὁ Πέτρου νῦν σεπτοῦ διάδοχος, καὶ τὴν τούτου προεδρίαν πλουτήσας, θεοκινήτως τὸν τόμον ἐκτίθεται; *ut novus Moyses populo Dei apparens, qui a Deo afflatus, fidei documenta insculpsit in tabulis divinitus impressis,* ὑπὸ Θεοῦ κινούμενος εὐσεβείας διδάγματα ὡς θεοχαράκτοις ἐν πλαξὶν ἐτύπωσας, Μωσῆς οἷα δεύτερος ἀναφανεὶς τῷ θείῳ λαῷ; *ut qui tabernaculum fixerit tanquam verus Patriarcha, ubi nunc existunt patriarcharum primatus sedesque ordinesque,* ἔνθα νῦν τῶν πατριαρχῶν προεδρεῖαί τε καὶ θρόνοι καὶ τάγματα, σὺ ἐπαξίως, Πάτερ, ἐσκήνωσας, ὡς πατριάρχης ἀληθής

3º) In festo sancti Gregorii Magni, die 12 martii, sanctus Gregorius vocatur Coryphæi successor tum in sede, tum in zelo, τοῦ Κορυφαίου γέγονας καθέδρας καὶ τοῦ ζήλου διάδοχος. Omnium Ecclesiarum prima, illum amplexa, totum terrarum orbem, ejus piissimæ fidei rivulis irrigat : ἐκκλησιῶν σε κολπωσαμένη ἡ πρώτη πᾶσαν ὑφήλιον κατάρδει τοῖς ῥεύμασι τῶν εὐσεβωρύτων δογμάτων σου [1].

4º) In festo sancti Martini papæ I, die 13 aprilis :

Ad Laudes : *Decorasti, Martine Petri divinam sedem, et illius divina petra Ecclesiam inconcussam conservasti* : Ἐπικοσμήσας τοῦ Πέτρου θεῖον θρόνον, καὶ τῇ αὐτοῦ θείᾳ πέτρᾳ τὴν Ἐκκλησίαν ἀσάλευτον συντηρήσας, Μαρτῖνε.

5º) In festo sancti Clementis, papæ martyris, die 24 novembris :

Ad Vesperas : *Petrus, apostolorum princeps, sui ipsius dignum successorem te reliquit; post quem tu Ecclesiam optime gubernasti* : καὶ αὐτοῦ διάδοχον καταλέλοιπεν ἄξιον, μεθ' ὃν τὴν Ἐκκλησίαν καλῶς διαγαγών, κ.τ.λ.

Hujusmodi testimonia non pluris faciunt polemistæ dissidentes nostri ævi quam ea quæ de beato Petro dicuntur. « Hæc, inquiunt, poetice et encomiastice prolata sunt nec ad litteram accipienda; cæterum, de mero honoris primatu intelligi possunt ». Qui vero attenderit hujusmodi officia

1. Canon hæc verba continens in recentioribus Menæorum editionibus non occurrit amplius; vide Nilles, *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiæ*, t. I, p. 121, Œniponte, 1897.

separatione Ecclesiarum antiquiora esse eoque tempore composita, quo primatus Romanæ Sedis apud Byzantinos et verbis et factis palam profitebatur, ea in sensu obvio ac vere catholico interpretanda esse nullatenus infitias ibit.

Ad libros vero canonicos Ecclesiæ græco-russicæ quod attinet, notum est in illis occurrere canones et decreta inter se pugnantia; ex quibus quædam primatui Romano haud obscure favent, alia vero eidem refragantur. Ad primam speciem pertinent, v. g., canones Sardicenses, imperatorum byzantinorum decreta Nomocani inserta, quibus Ecclesia romana declaratur omnium prima, Papa vero omnium sacerdotum primus; item quædam alia documenta, quæ collectionibus particularibus unius alteriusve Ecclesiæ autocephalæ irrepserunt : ita in quibusdam codicibus russicis diu remanserunt verba Nomocanonis sancti Methodii, Slavorum apostoli, quibus doctrina de translatione primatus de Vetere ad Novam Romam tam apposite confutatur [1]. In prima parte *Pedalii* Rumenorum *(Indreptarea)*, cujus auctor est Manuel Malaxus [2], Papa vocatur : *Felicissimus ac sanctissimus ad instar Angelorum in Christo Pater Patrum et dominator omnium Ecclesiarum apostolicarum.* Ad alteram vero documentorum classem referuntur canones vel decreta synodalia, quæ in sensum schismaticum facile detorqueri possunt, ut sunt : 1º concilium Africanum sub sancto Cypriano de hæreticis rebaptizandis; 2º canones quidam et epistolæ synodorum Carthaginensium contra appellationes ad Romanam Sedem, præsertim in causa Apiarii sacerdotis; 3º canones Trullani plures, de quibus in tomo I hujus operis actum est [3]; 4º Canon 3 synodi Constantinopolitanæ I, canon 28 Chalcedonensis; 5º Novellæ vel constitutiones imperiales, quibus Novæ Romæ sedes super alios thronos Orientis exaltatur. Insuper in diversis *Directoriis* seu *Pedaliis* singularum Ecclesiarum autocephalarum post schisma concinnatis, libellos polemicos, adnotationes vel commentationes primatum Romanum impugnantes quandoque invenies.

1. Cf. t. I hujus operis, p. 224-229.
2. Cf. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XLII, col. 739.
3. P. 83-85.

ARTICULUS IX

De primatus Romani adversariis qui a sæculo XII ad sæculum XV inclusive fuerunt.

Ut in hujus capitis initio prænotavimus, inde a sæculo XII, duo potissimum supremi regiminis ecclesiastici conceptus inter polemistas antilatinos obtinuerunt, pentarchia scilicet et Ecclesiæ Constantinopolitanæ monarchia, ex translatione primatus Veteris Romæ ad Novam deducta. Hujusmodi sane rationes doctrinæ catholicæ de primatu Romani Pontificis directe opponuntur; de quibus in sequentibus capitibus speciatim sermo erit. In præsenti autem articulo hoc tantum quærimus, nempe quomodo primatus Romani adversarii naturam et originem illius explicaverint, si forte eum ante separationem Ecclesiarum revera exstitisse admiserint; quid etiam de relatione primatus Romani ad Petrum apostolum senserint.

I. — Polemistæ sæculi XII.

Sæculi XII initio, mirus quidam primatus Romani adversarius nobis occurrit, Nicetas Seides nuncupatus, cujus contra Latinos scripta polemica nondum edita sunt. In quadam dissertatione sat longa, cui titulus : *Nicetæ Iconiensis peccatoris Seidæ sermo ad Romanos hæc duo demonstrans, scilicet venerabiliora esse nova veteribus, et Spiritum Sanctum a Patre tantum, non vero et a Filio, ut ipsi dicunt, procedere* [1], hic auctor primatum Romanæ Sedi diserte denegat, hac triplici ductus ratione : 1º Roma primatum (= τὰ πρεσβεῖα, τὰ πρωτεῖα) non habet ex sacerdotio; antequam

1. Νικήτα Ἰκονιαίου ἁμαρτωλοῦ τοῦ Σείδου λόγος σχεδιασθεὶς πρὸς Ῥωμαίους καὶ δύο ταῦτα ἀποδεικνύων ὅτι τε αἰδεσιμώτερα τὰ νέα τῶν παλαιῶν, καὶ ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνον, οὐχὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, ἐκπορεύεται τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Occurrit in pluribus codicibus, ex quibus *Atheniensem 483* citamus.

enim Petrus Coryphæus Romanam Sedem constitueret, magnus noster Pontifex Christus, anno decimo nono Tiberii Cæsaris, proprium fratrem Jacobum Hierosolymorum episcopum ordinaverat: item ipse Petrus, tertio Claudii anno, Evodium in suum locum Antiochiæ episcopum jam suffecerat [1]; 2º Nec ex terrestri imperio eadem Roma primas tenet; Romanorum enim imperium plura alia imperia præcesserunt, v. g., Assyriorum imperium in Ninive magna civitate; Medorum in Ecbatanis; Chaldæorum in Babylone; postea Cyrus Persarum regnum in Susis obtinuit, deinde Macedonum dominatus sub Alexandro floruit; demum Vetus Roma, a Remo et Romulo fundata, sceptrum tenuit; quod ad Novam Romam transtulit Magnus Constantinus [2]; 3º Etiamsi concedamus Romanam sedem primas olim habuisse, exinde non sequitur eamdem nunc illas retinere; « verum enim non est illud effatum a Latinis conclamatum, scilicet antiqua novis præcellere ac venerabiliora esse; *vetera enim transierunt: ecce nova facta sunt omnia* (II Cor., v, 17); et Christus dixit : *Erunt novissimi primi*; quod ut ostendat, polemista noster hoc mirando utitur argumento :

Secundum magnum Dei consilium ejusque præscientiam, quinque per orbem constitutæ sunt patriarchales sedes, quæ omnium Ecclesiarum exstant capita (græce κεφαλαί, vel potius κάραι.) Atqui hanc vocem κάραι animadvertas velim litteris quinque constantem; singulæ enim hujus vocis litteræ singulas patriarchales sedes designant in hunc modum :

K = Κωνσταντινούπολις,
A = Ἀλεξανδρία,
P = Ῥώμη,
A = Ἀντιοχεία,
I = Ἱεροσόλυμα.

1. « Εἰ μὲν ὅσον ἀπὸ τῆς ἀρχιερωσύνης καὶ ἀφ᾽οὗ ὁ χριστιανισμὸς ἔσχεν ἀρχήν, οὐχ ὑμᾶς λοιπὸν ἔχειν δεῖ τὰ πρωτεῖα, ἀλλὰ τὰ Ἱεροσύλυμα· ἐκεῖ γὰρ πρῶτον ὁ μέγας ἀρχιερεὺς Ἰάκωβον τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφὸν ἀρχιερέα κεχειροτόνηκεν. » *Cod. Athen. 483*, f. 146.

2. « Ἑπτὰ γὰρ τόποι εἰσὶν ἐν ὑπεροχῇ καὶ δυναστείᾳ κοσμικῇ τῶν λοιπῶν ἐξέχοντες, ἐφ᾽οὓς κατὰ καιροὺς τὴν τοῦ κόσμου βασιλείαν ἐστηρίχθαι ἔγνωμεν, ὧν ἡ Ῥώμη ἕκτη τυγχάνουσα. » *Ibid.*, f. 147 *a*.

Hæc prima litterarum dispositio sedium patriarchalium ordini nunc exstanti respondet. Si vero easdem litteras inverso ordine sumas, etiam tum habebis patriarchatuum nomina, sed secundum rationem temporis et antiquitatis distributa, scilicet :

I = Ἱεροσόλυμα, sedium omnium tempore prima;
A = Ἀντιοχεία, secunda sedes, a Petro fundata;
P = Ῥώμη, tertia sedes, ab eodem Petro constituta;
A = Ἀλεξανδρία, a Marco Petri discipulo erecta;
K = Κωνσταντινούπολις, omnium novissima.

Ita vides, Nicetas noster ait, quomodo omnium novissima, nempe sedes Constantinopolitana, facta sit omnium prima. Ad Romanam vero sedem quod attinet, perspicis eam in utroque litterarum ordine semper venire tertiam, nunquam vero primam. Ergo [1]... »

Neminem alium detegimus qui hoc Nicetæ Seidæ ultimum adinventum resumpserit [2]; primum vero ejusdem argumentum, quod photianæ est originis, apud omnes fere occurrit, paucis exceptis; ex quibus est ille Nicetas, Nicomediæ episcopus, qui cum Anselmo Havelbergensi anno 1136 disputavit. Hic quidem primatum honoris et ordinis Romano Pontifici tribuit; immo etiam aliquem jurisdictionis primatum, sed juris ecclesiastici, illi agnoscit; verum autem jurisdictionis primatum, qui divinæ sit originis, eidem abnegat ut ex ejus verbis ab Anselmo relatis colligere est :

« Primatum romanæ Ecclesiæ, quem tam excellentem

1. « Εἰ δὲ ταῦθ᾽οὕτως ἔχει ὡς ἀπεδείξαμεν, τίς ἔτι ἀμφιβάλλειν τολμᾷ μὴ τὴν καθ᾽ἡμᾶς βασιλίδα τῶν πόλεων εἰληφέναι τὰ πρωτεῖα; Ὁρᾶτε ὡς πανταχόθεν τρίτη εὑρίσκεται ἡ καθ᾽ὑμᾶς παλαιὰ Ῥώμη, εἴτε ὀρθῶς ἀναγνῶμεν τὴν ἀκροστιχίδα τῶν πόλεων, εἴτε καὶ ἀντιστρόφως, καὶ ὡς πάλαι προώριστο τῷ Θεῷ τὴν ἐσχάτην πρώτην γενέσθαι κατὰ τὴν ἐκείνου πρόφασιν. »

2. Immo Theodorus Balsamon Nicetam de hoc puerili commento redarguit his verbis : « Dignitate pares sunt in omnibus, et cum capita (κάραι) sanctorum per universum orbem Ecclesiarum Dei jam dicantur, discrimen in eis ab hominibus statutum locum habere non potest; neque, κατὰ σμικρολόγους, Romanus papa injuria afficitur, quod ipse propter litteram *R*, si litterarum collationem respiciamus, tertius in ordine sit, et eadem ratione Constantinopolitanus per *C* litteram honoratur ac priorem locum consequatur. » *De patriarchiis*, *P. G.*, t, cxxxviii, col. 1016 C D.

mihi proponis, ego non nego, neque abnuo; siquidem in antiquis nostrorum historiis hoc legitur, quod tres patriarchales sedes sorores fuerant, videlicet Romana, Alexandrina, Antiochena, inter quas Roma, eminentissima sedes imperii, primatum obtinuit, ita ut prima sedes appellaretur, et ad eam de dubiis causis ecclesiasticis a cæteris omnibus appellatio fieret, et ejus judicio ea quæ sub certis regulis non comprehenduntur, dijudicanda subjacerent; ipse tamen Romanus Pontifex nec princeps sacerdotum, nec summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus vocaretur [1]. »

Hunc autem primatum non esse juris divini sed tantum juris ecclesiastici Nicetas sequentibus satis aperte declarat :

« Quia vero divina voluntate in hanc regiam urbem translatum est imperium, et facta est caput in Oriente, et nova Roma propter auctoritatem imperii nuncupata est, statutum est etiam a centum et quinquaginta episcopis... quod sicut antiqua Roma propter honorem imperii primatum in causis ecclesiasticis a sanctis Patribus antiquitus obtinuit, ita quoque hæc junior et nova Roma propter dignitatem imperii haberet primatum ecclesiasticum post illam [2]. »

Postea in Romanum Pontificem invehitur his verbis :

« Verum, romana Ecclesia, cui nos quidem inter has sorores primatum non negamus, et cui in concilio generali præsidenti primum honoris locum recognoscimus, ipsa se propter sui sublimitatem a nobis sequestravit, quando monarchiam, quod sui officii non erat, invasit, et episcopos et Ecclesias Occidentis et Orientis divisos imperio divisit... Nos quoque, quamvis in eadem catholica fide a romana Ecclesia non discordemus, tamen quia concilia his temporibus cum illa non celebramus, quomodo decreta illius susciperemus, quæ utique sine consilio nostro, imo ignorantibus nobis scribuntur? Si enim Romanus Pontifex, in excelso throno gloriæ suæ residens, nobis tonare et quasi projicere mandata sua de sublimi voluerit, et non nostro consilio,

1. *Dialogi*, l. III, c. vii, *P. L*,. *loc. cit.*, col. 1217-1218.
2. *Ibid.*, col. 1818 CD.

sed proprio arbitrio, pro beneplacito suo de nobis et de Ecclesiis nostris judicare, imo imperare voluerit, quæ fraternitas, seu etiam quæ paternitas hæc esse poterit? Quis hoc unquam æquo animo sustinere queat? Tunc nempe veri servi, et non filii Ecclesiæ recte dici possemus et esse. Quod si sic necesse esset, et ita grave jugum cervicibus nostris portandum immineret, nihil aliud restaret nisi quod sola romana Ecclesia libertate qua vellet frueretur, et aliis quidem omnibus ipsa leges conderet, ipsa vero sine lege esset, et jam non pia mater filiorum, sed dura et imperiosa domina servorum videretur et esset.

« Quid igitur nobis Scripturarum scientia? Quid nobis litterarum studia? Quid magistrorum doctrinalis disciplina? Quid sapientum Græcorum nobilissima ingenia? Sola Romani Pontificis auctoritas, quæ, sicut tu dicis, super omnes est, universa hæc evacuat. Solus ipse sit episcopus, solus magister, solus præceptor, solus de omnibus sibi soli commissis soli Deo sicut solus bonus pastor respondeat. Quod si in vinea Dei voluerit habere cooperatores, ipse quidem, conservato primatu suo, exaltatus glorietur in humilitate sua, et non contemnat fratres suos, quos veritas Christi non in servitutem, sed in libertatem in utero matris Ecclesiæ generavit [1]. »

Hæc Græcus iste, qui Byzantinorum sui temporis animum in Romanum Pontificem satis bene describere ac referre videtur. Non multo post, Michael III Anchialensis, patriarcha œcumenicus (1170-1177), de Papa durius loquebatur; quem ut sacerdotio privatum ac mere laicum habebat, non pastorem sed ovem scabiosam appellabat propter additionem vocis *Filioque* ad Symbolum; ejus vero antiquum primatum non a Christo vel a Petro, sed ab imperio humano

1. *Ibid.*, c. viii, col. 1219. Cui Anselmus respondet : « Quod si nosses Ecclesiæ romanæ religionem, sinceritatem, æquitatem, mansuetudinem, humilitatem, pietatem, sanctitatem, sapientiam, discretionem, benevolentiam, compassionem, constantiam, justitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, puritatem et ad omnes charitatem et super omnia in examinandis ecclesiasticis causis diligentissimam ejus investigationem et liberrimam in danda sententia veritatem; si, inquam, hæc in romana Ecclesia ita, sicut ego, certa experienta cognosceres, nequaquam talia dixisses, vel etiam cogitasses. » *Ibid.*, col. 1220 CD.

repetebat; quo translato, et ipse primatus translatus sit : « Primus fuit, inquit, non propter Petrum vel Paulum, ut Latini vane contendunt; non *enim magis Romæ quam totius orbis Petrus doctor exstitit.* Cæterum hujusmodi ratio primatum Ecclesiæ Antiochiensium præ Roma tribuit; immo vero honorem accipiet Hierosolymorum antistes propter Christum, qui ibi moratus est [1]. »

Andronicus Camaterus, Michaelis coævus, in suo *Sacro armamentario* easdem ratiunculas photianas, sed per transennam et urbane, repetit, concedens Latinos suæ de primatu Romano doctrinæ certa traditionis antiquæ necnon legum imperialium habere documenta; qui nonnisi unam dissidii causam tenet, quæstionem scilicet de processione Spiritus Sancti [2].

Ex canonistis sæculi XII unus Aristenus translationi pri-

1. In *Dialogo patriarchæ et imperatoris,* cui titulus : Διάλογος ὃν ἐποίησεν ὁ ἁγιώτατος καὶ σοφώτατος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως κῦρ Μιχαὴλ ὁ Ἀγχιάλου πρὸς τὸν πορφυρογέννητον βασιλέα κῦρ Μανουὴλ τὸν Κομνηνὸν περὶ τῆς τῶν Λατίνων ὑποθέσεως, ὅτε πολλοὶ τῶν ὑπὸ τὸν πάπαν ἀρχιερέων καὶ ἐπισκόπων καὶ φρερίων εἰς τὴν Κωνσταντινούπολιν κατέλαβον, τῶν Ἐκκλησιῶν ζητοῦντες τὴν ἕνωσιν καὶ μηδέν τι ἕτερον ἀπὸ τῶν Γραικῶν ἀπαιτοῦντες ἢ παραχωρῆσαι τῷ πάπᾳ τῶν πρωτείων καὶ τῆς ἐκκλήτου, δοῦναι δὲ τούτῳ καὶ τὸ μνημόσυνον : *Dialogus, cujus auctor sanctissimus ac sapientissimus patriarcha Constantinopolis, Michael Anchialensis, ad imperatorem Manuelem Comnenum in purpura genitum de Latinorum quæstione, quando multi præsules et episcopi et religiosi Papæ obedientes Constantinopolim advenerunt unionis Ecclesiarum studiosi, nihilque aliud a Græcis exigentes quam ut primatum jusque appellationes recipiendi Papæ concederent, ejusque memoriam facerent.* Hunc dialogum edidit Chrysanthus Loparev in *Vizantiiskii Vremennik*, t. XIV, 1909, p. 344-357 : « Τοῦτο μὲν ἔσχεν οὐ διὰ Πέτρον ἢ Παῦλον, ὡς αὐτοὶ ἐναβρύνονται· οὐ μᾶλλον γὰρ Ῥώμης ὁ Πέτρος ἢ τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος· ταῦτα δὲ καὶ πρὸ Ῥώμης τῇ τῶν Ἀντιοχέων τὸ πρωτεῖον χαρίζεται, ἢ φθάσει ἂν τὴν τιμὴν ὁ Ἱεροσολύμων ἀπολαβών· ὁ γὰρ Χριστὸς ἐν τούτοις περιεπόλευε... Λείπεται τοίνυν τὴν βασιλείαν καὶ τὸν θρόνον σεμνῦναι τὸν ἱερόν· μετατεθείσης δὲ τῆς ἀρχῆς, ἀνάγκη πᾶσα καὶ τὰ πρεσβεῖα μεθίστασθαι. »

2. Ἱερὰ ὁπλοθήκη, ex codice *Monacensi 229*, sæc. XIII-XIV : « Τὰ μὲν ἄλλα, περὶ ὧν βραχὺς ἡμῖν ὁ λόγος, ὡς μηδὲ κατὰ πολὺ τῷ λόγῳ τῆς εὐσεβείας καὶ τῆς ὀρθοδοξίας λυμαινομένων, ἐάσθωσαν· τὸ δὲ τοῦ μείζονος, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, τοῦ παντὸς σκανδάλου καὶ σχίσματος αἴτιον, ἡ τῷ... συμβόλῳ παρεντεθεῖσα προσθήκη. » Fol. 12a; cf. Hergenröther, *Photius von Konstantinopel*, t. III, p. 812-813.

matus ecclesiastici de Vetere Roma ad Novam suffragatur, ubi canones 3 Constantinopolitanum et 28 Chalcedonensem commentans, dicit præpositionem μετά in textu canonum (= τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον) significare ordinem temporis, non vero inferiorem honoris gradum, ita ut sensus sit iste : *Post veterem Romam, quæ primas tenuit, honoris primatus ad Novam Romam transit* [1]. Hanc autem interpretationem jure refellunt Zonaras et Balsamon, qui docent juxta canones supradictos Constantinopolitanum præsulem secundum locum post Papam obtinere[2]. Hi tamen in suis commentationibus doctrinæ catholicæ adversantur, quatenus omnia privilegia quæ Romanæ Sedi sive a conciliis agnita sunt (ut jus appellationes quascumque recipiendi, ex canonibus Sardicensibus), sive ab imperatoribus eidem donata sunt (ut, v. g., ea quæ in *Donatione Constantini* occurrunt [3]), sedi Novæ Romæ æquali titulo ac mensura tribuunt, ita ut dyarchiæ aperte faveant. Hanc vero omnimodam æqualitatem ex canonibus præfatis, 3 Constantinopolitano et 28 Chalcedonensi deducunt [4]. Iidem primatum Novæ Romæ indirecte statuunt, inquantum tenent Papam suum honoris ac etiam jurisdictionis primatum ecclesiasticum per heterodoxorum dogmatum professionem amisisse [5].

1. *In can. 3 concilii Const.*, II, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 325 D : « Τὸ γὰρ μετά ἐνταῦθα οὐ τῆς τιμῆς, ἀλλὰ τοῦ χρόνου ἐστὶ δηλωτικόν. »

2. Balsamon, *In eumdem canonem, P. G., ibid.*, col. 321 C; Zonaras, col. 325; cf. eosdem, *In can. 28 Chalcedonensem, ibid.*, col. 485-489.

3. Donationem Constantini Sylvestro papæ factam ut genuinam habent ac commentantur canonistæ byzantini; qui tamen notant quædam privilegia ibi indicata (ut, v. g., jus gestandi soleas purpureas) præsules Constantinopolitanos sibi vindicare non potuisse, quod imperatores hujusmodi privilegia sibi reservarunt; cf. *P. G.*, t. CXXXVII, col. 321 D, 488.

4. *Ibid.*, col. 321-324, 483-492, 1433-1444. Zonaras, *ibid.*, col. 1444 B, contendit canones Sardicenses non tribuere Romano Pontifici omnes episcoporum appellationes, sed tantummodo appellationes episcoporum Occidentis : « Οὔτε πάσας τὰς ἐκκλήτους τῶν ἐπισκόπων ἀνατίθησιν αὐτῷ, ἀλλὰ τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ. Ὑπέκειντο δὲ τότε τῇ Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ αἱ δυτικαὶ πᾶσαι σχεδὸν ἐκκλησίαι. »

5. Zonaras, *In canonem 28 Chalced., ibid.*, col. 488 D, eorum senten-

II. — Polemistæ sæculi XIII.

Præcipuos hujus ævi polemistas qui primatum Romanæ Sedis impetivere, ex dictis supra de primis adversariis prærogativæ Petri jam novimus, Joannem Camaterum scilicet, Joannem et Nicolaum Mesaritem, anonymum auctorem opusculi : Περὶ τοῦ ὅπως ἴσχυσε καθ'ἡμῶν ὁ Λατῖνος, nec multa de iisdem hic adjicere habemus; consueta siquidem argumenta ex photiano fonte hausta ad verbum quandoque repetunt :

« Ubinam sanctorum Evangeliorum, ait Camaterus, invenis Christum dicentem Romanorum Ecclesiam esse caput et matrem quamdam generalem ac universaliorem omnium quadripartiti orbis Ecclesiarum; vel a quanam œcumenicarum synodorum ita de hac quæstione statutum est, ut vos de vestra Ecclesia cogitatis? Si enim propter Petrum, inter Christi discipulos primum, qui ab Jerusalem, ubi evangelium prædicare incepit, profectus, Romam devenit ibique a prædicatione cessavit, a Nerone propter Christum occisus, at tunc multæ aliæ Ecclesiæ cum Roma de primatu contendent; quæ a singulis apostolis et ab ipso Petro catechizatæ sunt et Evangelii prædicationem acceperunt. Si vero propter hoc, quod sanctissimus Petrus ibi per martyrium ex hac vita migravit, cavete ne hoc vobis non in gloriationem cedat... Restat ergo non propter hæc Romam cæterarum Ecclesiarum matrem esse; sed cum exstent magnæ Ecclesiæ quinque, patriarchali dignitate decoratæ, Romana est prima inter sorores honore æquales [1]. »

tiam, qui præpositioni μετά in canone significationem temporis affigunt, non omnino reprobat propter romanæ Ecclesiæ in heterodoxa dogmata lapsum futurum : « Εἰ μή πού τις εἴποι, ὅτι προορῶντες ἐν Πνεύματι ἁγίῳ οἱ θεῖοι πατέρες ἐκεῖνοι, ὡς ἀποτμηθήσεται τῆς τῶν ὀρθοδόξων Ἐκκλησίας, καὶ ἐξοστρακισθήσεται τῆς ὁμηγύρεως τῶν πιστῶν διὰ δόγματα ἑτερόδοξα ἡ Ρωμαίων Ἐκκλησία, πρώτην ταύτην ἐλογίσαντο, καὶ οὕτως τῶν αὐτῶν ἐκείνῃ δικαίων ἐν πᾶσιν ἠξίωσαν πρωτεύειν μέλλουσαν, ὡς ἐκείνη ποτέ. »

1. « Ποῦ τῶν θείων εὐαγγελίων εὑρίσκεται λέγων ὁ Χριστὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν κεφαλὴν εἶναι καὶ μητέρα γενικήν τινα καὶ καθωλικωτέραν τῶν ἁπανταχοῦ τῆς κοσμικῆς τετραμερείας ἐκκλησιῶν, ἢ παρὰ τίνος τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων οὕτω τὰ περὶ τούτου διατετύπωται, καθὼς ὑμεῖς περὶ τῆς ὑμετέρας Ἐκκλησίας διανοεῖσθε;.... Λείπεται ἄρα μὴ διὰ ταῦτα τὴν Ῥώμην μητέρα τῶν λοιπῶν τυγχάνειν Ἐκκλησιῶν, ἀλλὰ πέντε τυγχανουσῶν τῶν μεγάλων Ἐκκλησιῶν, αἳ καὶ πατριαρχικοῖς σεμνύνονται ἀξιώμασι, πρώτην ὡς ἐν ἀδελφαῖς τυγχάνειν ὁμοτίμοις αὐτήν. » *Ad Innocentium papam III epistola* ἀντιρρητική, ex *cod. Paris. 1302*, f. 271.

Camaterus ergo merum ordinis primatum Ecclesiæ romanæ tribuit; quod adhuc apertius declarat hoc exemplo :

« Quemadmodum si quis, quinque describens unitates, primam edicat, et secundam, et alias ordine; quæ vero ab scriptore et dicente primum scripta est et primum dicta cæterarum non se existimat compotem, sed ordine tantum prima exstans, alias sinit singulariter et independenter existere et in se singillatim considerari; ita et nos de istis magnis sedibus cogitamus : Romanorum scilicet Ecclesiam primam ordine esse et hac sola prærogativa decorari, quod prima sit aliarum Ecclesiarum, quæ tanquam sorores honore pares et ab uno cælesti Patre, a quo, secundum Scripturam, omnis paternitas in cælo et in terra, genitæ habeantur; quod vero magistra sit et caput, nondum edocti sumus [1]. »

Quæ Nicolaus Mesarites in disputatione, die 30 augusti, anno 1206, coram patriarcha latino Constantinopolis, Petro Morosini habita, contra primatum Romanum protulit, ex parte jam novimus [2]; reliqua hic adjicienda ex Photio fere omnia dimanant. Primum quidem Nicolaus negat Petrum, apostolorum coryphæum, Romæ fuisse episcopum. Romam quidem venit Petrus, ait ille, sed tanquam totius orbis doctor et Simonem Magum persequens, ut Antiochiæ prius fecerat. Linus enim omnium primus Romæ fuit episcopus, a toto apostolorum sacro conventu electus; postea vero Xystus; tertius, Clemens ab ipso Petro in pontificalem sedem collocatus. Falsum est ergo Petrum Romæ

1. « Οὕτως ἡμεῖς κἀπὶ τῶν θρόνων τῶν μεγάλων τούτων διανοούμεθα, καὶ τὴν μὲν Ῥωμαίων Ἐκκλησίαν πρώτην τυγχάνειν τῇ τάξει καὶ σεμνύνεσθαι τούτῳ μόνῳ τῷ ἀξιώματι, πρώτην τυγχάνουσαν τῶν ἄλλων Ἐκκλησιῶν ὡς ἀδελφῶν ὁμοτίμων καὶ ὁμοπατρίων, οὕτως εἰπεῖν, ἐξ ἑνὸς ἀπογεννηθεισῶν τοῦ οὐρανίου πατρός..., διδάσκαλον δὲ ταύτην καὶ κεφαλὴν εἶναι, οὔπω καὶ νῦν ἐδιδάχθημεν. » *Ibid.*, f. 271*b*.

2. Cf. supra, p. 342.

fuisse episcopum [1]. Deinde polemista noster primatum Romanum repetit ab imperatoria dignitate Urbis; cujus primatus prima origo fuerit decretum imperatoris Valeriani in causa Antiochena Pauli Samosateni [2]. In fine vero argumenta photiana bene nota sic incipientia : Εἰ διὰ Πέτρον ἡ Ῥώμη πρώτη, ad verbum recitat [3].

Ejusdem anni 1206 die 29 septembris, Joannes Mesarites, Nicolai frater, una cum monachis sancti Auxentii montis, de primatu Romano cum cardinale Benedicto a Sancta Suzanna Constantinopoli disputavit. Ad cardinalis verba : « Nonne Roma sedes Petri, apostolorum primi? » monachi responderunt :

« Minime, domine. Duodecim enim apostoli a Salvatore Christo in universam terram tanquam œcumenici doctores missi sunt; unde proprias sedes nequaquam habebant. Quomodo enim eorum quisque in uno loco consistens, universum orbem docere potuisset? Ideo singuli in doctrinam alterius superædificantes, et ab altero ad fidem adductos edocentes, ad invicem non litigabant [4]. »

Subjecit cardinalis hoc non esse verum; siquidem Jacobum, ex duodecim unum, propriam sedem habuisse Hierosolymorum Ecclesiam. Negarunt vero monachi Jacobum, Domini fratrem, qui primus fuit Hierosolymorum episcopus, ad collegium duodecim apostolorum pertinuisse, sed eum unum ex septuaginta discipulis fuisse contenderunt, inter Jacobum ἀδελφόθεον et Jacobum Alphæi distinguentes [5]; qui suam demonstrationem ita prosecuti sunt :

« Si Roma sedes Petri fuerit, quomodo Linus, ex septuaginta discipulis unus, primus omnium Romæ episcopus fuit, secundus vero post ipsum, Xystus; tertium vero constituit Romæ episcopum Clementem apostolus Petrus? Quomodo sane qui ex Septuaginta fuit Petro, duodecim apostolorum primo, præpositus fuerit, ut primæ ac reginæ civitatum primus fieret episcopus? Non est ita, non est; sed, sicut diximus, septuaginta quidem una cum aliis episcopis proprias habuerunt sedes diversas orbis civitates; duodecim vero apostoli universæ terræ doctores erant; unde non tanquam episcopus Romam advenit Petrus, sed tanquam Simonem Magum persequens et ejus doctrinas evertens [1]. »

1. *Disputatio die 30 augusti 1206 habita*, Ed. Heisenberg, *op. cit*, II, 6, p. 22 : « Ῥώμης ἄρα Πέτρον ἐπισκοπῆσαι ψευδές. »

2. *Ibid.*, p. 22-23. Hoc jam dixerat Photius ; cf. t. I, p. 134.

3. *Ibid.*, p. 24.

4. *Nicolai Mesaritæ in fratrem Epitaphius*, ed. Heisenberg, *op. cit.*, I, 42, p. 54 : « Οὐχί, δέσποτα· οἱ γὰρ δώδεκα ἀπόστολοι οἰκουμενικοὶ διδάσκαλοι ἐξαπεστάλησαν εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην παρὰ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ· διὸ καὶ οὐδὲ ἰδίους εἶχον θρόνους· πῶς γὰρ ἠδύναντο ἐν ἑνὶ τόπῳ ὁ καθεὶς προκαθῆσθαι, τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἀποσταλέντες διδάξαι τὸ σωτήριον κήρυγμα; »

5. Hanc de duobus Jacobis sententiam tenent quidam Græci, contradicentibus aliis, inter quos supra invenimus Nicetam Seidem, p. 380.

Cum autem cardinalis eos interrogasset : « Ergo, ut vos dicitis, Roma non est caput omnium Ecclesiarum? » dixerunt monachi :

« Quis hoc dicit, domine, Romam non esse caput seu primam? Caput utique est, sed omnium Ecclesiarum quæ sub ipsius ditione sunt, quemadmodum et Alexandrinorum Ecclesia caput est Ecclesiarum quæ sub ipsa sunt, item Antiochenorum Ecclesia, earum quæ sub ipsa sunt... Prima vero Ecclesiarum Roma est, non quia antiquior — prima enim et Ecclesiarum mater est Hierosolymorum Ecclesia, ex qua exivit salutaris prædicatio —, sed quia prima sedes est; unde et Romæ episcopus primæ sedis episcopus tantum dicitur, non major pontifex, non primus, non magnus pontifex, non summus pontifex : nihil hujusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus. Prima autem sedes Roma dicitur et est, quia post christianismum inventa est habens imperium et senatum; propter quam causam etiam hæc Constantinopolitanorum Ecclesia Alexandrinæ Ecclesiæ prælata est, et æqualibus honorata privilegiis quibus prima et senior Roma; et Nova Roma appellata est [2]. »

1. *Ibid.*, 43, p. 55 : « Οὐκ ἔστι ταῦτα, οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ὥσπερ εἴπομεν, οἱ μὲν ἑβδομήκοντα θρόνους εἶχον ἰδίους τὰς ἁπανταχοῦ πόλεις σὺν τοῖς λοιποῖς ἐπισκόποις, οἱ δὲ δώδεκα ἀπόστολοι τῆς οἰκουμένης πάσης ἦσαν διδάσκαλοι· διὸ καὶ ὁ ἀπόστολος Πέτρος οὐχ ὡς ἐπίσκοπος ἀπῆλθεν εἰς Ῥώμην, ἀλλ' ὡς κατόπιν διώκων τὸν Σίμωνα μάγον καὶ τὰς ἐκείνου ἀνατρέπων διδασκαλίας. »

2. *Ibid.*, 44, p. 56 : « Κεφαλὴ μὲν γάρ ἐστιν, ἀλλὰ τῶν ὑπ' αὐτὴν πασῶν

Prosecutus est cardinalis : « Ergo Romæ episcopus non habet potestatem judicandi omnes præsules ?» Negarunt monachi, dicentes « clericos omnes, secundum canones, a propriis episcopis judicari, episcopos vero a metropolitis, metropolitas a synodo et patriarchis suis, quos ut capita habent et a quibus ordinantur. Si vero contigerit aliquem e patriarchis a propria synodo ejici, et ille non acquieverit, ad judicium Papæ confugere poterit [1], si tamen Papa ὁμόφρων fuerit (id est, orthodoxe senserit), secundum canones Sardicenses de appellationibus ad Papam. »

Hoc etiam addiderunt nostri monachi : « Primatum item habet Papa tum in oblationibus (id est in diptychis) tum in throno, sed quando cum cæteris patriarchis consentiens est [2]. »

Ut vero probarent Papam non habere potestatem creandi episcopos et patriarchas ubi voluerit, nec judicandi omnes patriarchas et episcopos, ad diversos canones provocarunt (34 et 35 apostolicos, 6 primæ synodi œcumenicæ, 3 secundæ synodi, 28 Chalcedonensem, 36 Trullanum et 16 synodi photianæ). Demum dixerunt episcopum Romæ non esse Constantinopolitano superiorem nisi quatenus eum præcedit et tempore et sessione; forsitan etiam eum cæteros præcellere, ad appellationes quod attinet [3].

'Εκκλησιῶν καὶ ἡ τῶν 'Αλεξανδρέων τῶν ὑπ'αὐτὴν... πρώτη δὲ τῶν 'Εκκλησιῶν οὐχ ὡς ἀρχαιοτέρα — πρώτη γὰρ καὶ μήτηρ τῶν 'Εκκλησιῶν ἡ τῶν 'Ιεροσολύμων ἐστὶν 'Εκκλησία, ἐξ ἧς ἐξῆλθε τὸ σωτήριον κήρυγμα — ἀλλ'ὡς πρώτη οὖσα καθέδρα· διὸ καὶ ὁ τῆς 'Ρώμης ἐπίσκοπος μόνον ἐπίσκοπος τῆς πρώτης καθέδρας λέγεται..., πρώτη δὲ καθέδρα λέγεται καὶ ἔστι διὰ τὸ μετὰ τὸν χριστιανισμὸν εὑρεθῆναι ταύτην βασιλείαν ἔχουσαν καὶ σύγκλητον. »

1. « Ἔξεστιν αὐτῷ, εἰ μὲν ὁμόφρων ἐστὶν ὁ πάπας, καταφεύγειν ἐπὶ τὴν ἐκείνου κρίσιν διὰ τὸ καὶ τὸν μέγαν 'Αθανάσιον ἐκβληθέντα ἀδίκως τῆς ἰδίας 'Εκκλησίας καταφυγεῖν ἐπὶ τὸν τότε τῆς 'Ρώμης ἐπίσκοπον. » *Ibid.*, p. 57.

2. « Ἔχει δὲ τὰ πρωτεῖα ὁ πάπας ἔν τε ταῖς ἀναφοραῖς καὶ ἐν τῇ καθέδρᾳ, ἀλλ'ὅτε σύμφρων τοῖς λοιποῖς πατριάρχαις ἐστί· καθιστᾶν δὲ ἐπίσκοπον ἐν ταῖς μὴ ὑποκειμέναις αὐτῷ χώραις ἢ πατριάρχην οὐκ ἐνδέδοται αὐτῷ παρὰ τῶν κανόνων ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς. » *Ibid.*

3. « 'Αλλὰ μηδὲ μείζονα εἶναι τοῦ Κωνσταντινουπόλεως τὸν 'Ρώμης ἐπίσκοπον εἰ μὴ τῷ χρόνῳ προτερεύειν μόνῳ καὶ τῇ καθέδρᾳ, ἴσως δὲ καὶ ταῖς ἐκκλήτοις τῶν λοιπῶν ὑπερκεῖσθαι. » *Ibid.*, 45, p. 58.

Ex his constat monachos græcos, vel potius Joannem Mesaritem, qui omnium nomine loquebatur, Papæ agnovisse præter merum honoris primatum ex imperio humano derivatum, aliquam jurisdictionis potestatem in appellationibus recipiendis; quæ tamen non jure divino, sed jure ecclesiastico ac mere canonico niteretur [1].

Eadem prorsus doctrina occurrit apud auctorem anonymum libelli : *Quomodo invaluit in nos Latinus*; cujus tamen verba acriora sunt ac vehementi spiritu polemico inflata :

« Non audivi, inquit, Paulum dicentem Romam esse Petri, sed Judæam, sicut et ipsius fuerunt gentes. Non audivi Romam Petri fuisse patriam vel nutricem, vel in ea apostolum accepisse charisma apostolatus et igneam linguam. Hæc enim ad Sion felicem sortem pertinent; quæ et Christi patria fuit. Neque Roma prima Evangelii exstitit discipula vel primogenita in spirituali generatione filiorum Dei; sed Antiochia antiquior illa, ubi et radix christiani nominis... Unum tibi restat omnino proprium, scilicet quod Roma sancti apostoli interfectrix fuit... Si hoc jactas, bene sane tibi vindicas et induis Christi τὸν κορυφαιότατον; tuum enim est illum per martyrium magnam hostiam Deo obtulisse [2]. »

III. — Polemistæ sæculi XIV et sæculi XV ineuntis.

Sæculo XIV, tres invenimus primatus Romani adversarios, Barlaamum scilicet schismati adhuc addictum, cujus duo opuscula polemica de hac quæstione supra notavimus [3], Nilum Cabasilam et Angelum Panaretum.

1. Eadem quæ frater Joannes, Nicolaus, Ephesi metropolita jam renuntiatus, protulit in disputatione, Constantinopoli, anno 1214 cum Papæ legatis habita : Διάλεξις μετὰ τῶν ἀπὸ τῆς πρεσβυτέρας 'Ρώμης πρέσβεων, ed. Heisenberg, *op. cit.*, III, 34, p. 34-35.

2. *Op. cit.*, ed. Arsenii, p. 107-108 : « 'Αλλ'ἕν σοι ἐλλέλοιπεν ἰδιαίτατον, ὅτι ἡ 'Ρώμη τοῦ ἁγίου ἀναιρέτις, ἡ ἐπειποῦσα τῷ μακαρίῳ· « Δεῦρ' ἀνάβηθι κάτω »· κατωκάρηνος γὰρ εἰς τὸ ξύλον ἀνῆλθεν. Εἰ τοίνυν τοῦτο προβάλλῃ, καλῶς ἄρα σφετερίζῃ καὶ ὑποδύῃ τὸν αὐτοῦ κορυφαιότατον. »

3. Cf. p. 331, n. 1.

Barlaamus in primo opusculo nondum edito sequentia argumenta contra primatum Papæ urget :

1º Petrus apostolus reliquit sui primatus hæredem et successorem, si singuli apostoli reliquerunt unusquisque sui charismatis apostolatus hæredem et successorem.

Atqui cæteri apostoli non habuerunt successores in gratia apostolatus; siquidem unusquisque apostolus immediate a Christo accepit ordinationem sacerdotalem variaque charismata, et ab eo constitutus est episcopus universalis; nunc vero nullus exstat apostolorum successor qui privilegiis apostolatus gaudeat, sed omnes episcopi sunt jure æquales; qui non a Christo immediate, sed ab apostolis suam acceperunt ordinationem ac missionem; et eorum quisque unius tantum diœcesis pastor est, nullus autem universali jurisdictione in omnem terram donatur.

Ergo nec Petrus sui primatus, quem habuit in cæteros apostolos, successorem reliquit [1].

2º Si Petrus episcopum Romæ solum ordinasset, posset quis suspicari Coryphæum huic episcopo suum tradidisse primatum.

Atqui Petrus multos alios episcopos in diversis civitatibus constituit. Ergo nullatenus apparet Petrum fecisse Romæ episcopum sibi æqualem [2].

3º Petrus Romæ episcopum ordinavit.

Atqui Papa suum successorem, Romæ episcopum, non ordinat.

1. Περὶ τῆς τοῦ πάπα ἀρχῆς, πρὸς τὸν ἀρχιεπίσκοπον Νικόλαον : « Οὐκοῦν, εἰ ἕκαστος τῶν ἀποστόλων ἀμέσως ὑπὸ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ποιμὴν καὶ διδάσκαλος τῆς ὅλης οἰκουμένης προεβλήθη, εὔλογον ὥσπερ τοῦ Πέτρου, οὕτω καὶ ἑκάστου τῶν ἄλλων, διάδοχόν τινα καταλείπεσθαι, τὴν αὐτὴν ἔχοντα τῷ ἀποστόλῳ ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ τὴν ἐξουσίαν· οὐ γὰρ κωλύσει τοῦτο ἡ τοῦ κορυφαίου ὑπεροχή· ἔσται γὰρ ὁ διάδοχος πρὸς τοὺς διαδόχους ὡς ὁ Πέτρος πρὸς τοὺς λοιπούς. Ἀλλὰ μὴν οὐδενὸς τῶν ἄλλων ἀποστόλων τοιοῦτος νῦν ἐστι διάδοχος. Οὐκ ἄρα οὐδὲ μετὰ τὸν Πέτρον ἀνάγκη εἶναί τινα, ὃς τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ κατὰ πάντων ἕξει ὑπεροχήν. » Ex *cod. Paris. 1218*, xv[e] s., fol. 523 *b*. Vides miram hominis sollertiam : « Rationi consentaneum est, inquit, sicut Petri, ita et cujusque cæterorum aliquem relinqui successorem. » At vero quæstio est utrum hic rationabilis parallelismus Ecclesiæ fundatori arriserit. Est ergo major argumenti mera suppositio gratis asserta, gratis neganda.

2. *Ibid.* : « Εἶτα, εἰ μόνος ὁ Ῥώμηςἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς ἦν παρὰτ οῦ ἀποστόλου Πέτρου, τάχ' ἄν τις ὑπώπτευσεν ἀνθ' αὐτοῦ τοῦτον προβαλέσθαι· ἐπεὶ δὲ καὶ ἐν ἄλλαις πόλεσιν οὐκ ὀλίγαις πολλοὶ ὑπ' ἐκείνου ἀρχιερεῖς προεβλήθησαν, πόθεν δῆλον, ὅτι τὸν Ῥώμης ἄρχοντα τῶν ἄλλων πεποίηκε, καὶ ἴσον ἑαυτῷ; »

Ergo Papa non est coryphæo Petro æqualis [1].

4º Si episcopus Romæ est successor Petri in primatu quod Petrus Romæ mortuus est, episcopi civitatum, ubi alii apostoli mortui sunt, erunt eodem jure horum apostolorum in apostolatu successores, immo vero episcopus Hierosolymorum omnium primas erit, quod Christus in hac civitate mortuus est [2].

Concludit polemista noster Papam a Petro hoc tantum accepisse, ut esset Romæ episcopus, eodem prorsus titulo ac jure quo alii episcopi tum ab ipso Petro, tum ab aliis apostolis diversis civitatibus præfecti, harum civitatum fuerunt episcopi ac pastores. Quod autem Papa fuit omnium primus, inquit, hoc non a Petro neque statim ab initio habuit, sed ab imperatoribus christianis, a Constantino scilicet, cujus donatio Sylvestro facta memoratur, et a Justiniano, suffragantibus synodis et Patribus (ut videre est ex canone 3 concilii Constantinopolitani primi et canone 28 Chalcedonensi) postea accepit [3].

Eadem resumit Calaber in suo secundo libello in formam dialogi redacto, nova quædam addens, et in fine totam suam doctrinam his paucis comprehendens :

1. *Ibid.*, fol. 524 *a* : « Καὶ ὁ μὲν Πέτρος Ῥώμης ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησε, πάπας δὲ οὐδεὶς τὸν μεθ' ἑαυτόν ἐσόμενον Ῥώμης ἱεράρχην χειροτονεῖ, ὥστε καὶ ἐκ τούτων δῆλον, ὡς οὐκ ἴσος ἐστὶν ὁ πάπας τῷ κορυφαίῳ Πέτρῳ. » Majorem haud facile historice statuet Calaber; ad conclusionem autem quod attinet, necessarium non est Papam esse Petro *in omnibus æqualem*; satis est, ut sit ei *in primatu jurisdictionis æqualis*.

2. *Ibid.*, fol. 523 *b*.

3. « Φανερὸν ἐκ τούτου τοῦ κανόνος (=28 Chalcedonensis) ὡς οὐχ ὑπὸ τοῦ θείου Πέτρου ἔσχε τὸ πρῶτος εἶναι, ἀλλ' ὑπ' ἐκείνου μὲν Ῥώμης ἐγένετο ποιμήν, ὕστερον δὲ ψήφῳ τῶν πατέρων καὶ τῶν εὐσεβεστάτων βασιλέων πρῶτος πάντων ἐγένετο.... Ὅτι δὲ οὐκ ἐξ ἀρχῆς εἶχε τὸ πρῶτος εἶναι ὁ πάπας, δῆλον καὶ ἐκ τοῦ γενομένου πρὸς τὸν ἅγιον Σίλβεστρον χρυσοβούλλου λόγου ὑπὸ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, δι' οὗ ὥσπερ τινὰ τῆς Ἐκκλησίας βασιλέα ὁ εὐσεβέστατος βασιλεὺς τοῦτον καθίστησι, καίτοι οὐχ ἅπερ εἶχεν αὐτῷ δίδωσιν, ἀλλ' ἅπερ οὐκ εἶχεν. » *Ibid.*, fol. 524 *b*.

« Primum quidem demonstravi singulos apostolos pastores ac doctores universales totius orbis a Christo Domino immediate fuisse constitutos; secundo, beatum Clementem non totius orbis, sed Romæ singulariter episcopum, ut alium, a Coryphæo ordinatum fuisse, sedemque Romamam neque primam, neque novissimam exstitisse, sed a sanctis Patribus nostris et piissimorum imperatorum decretis primas accepisse; tertio, eosdem decrevisse, ut Novæ Romæ sedes in negotiis ecclesiasticis iisdem exaltaretur privilegiis; quarto, nullam legem, nullam consuetudinem vigere, quæ Papæ tribuat facultatem patriarchas ordinandi [1], neque hoc unquam contigisse; quinto, Papam synodis non præfuisse nec imperasse, sed synodos ipsi Ecclesiæ romanæ leges dedisse [2]; sexto, sanctos Patres definivisse quænam Ecclesiæ Papæ subjacerent, quænam cæteris patriarchis; septimo, nulli patriarcharum, nec ipsi Papæ, licere quidpiam decernere absque omnium consilio [3]; octavo, oportere Papæ, donec Patrum stat decretis, eum honorem deferre, quem canones statuunt; æquum vero esse eum tanquam lupum et Ecclesiæ vastatorem fugere, si hujusmodi decretis non steterit; nono, christianos oportere credere in catholicam Ecclesiam, non vero in Ecclesiam particularem [4]; ita enim ab initio sancitum est [5]. »

Qui duo Barlaami opuscula perlegerit, nihil fere novi in libello Nili Cabasilæ *De principatu Papæ* inveniet [6]. Sum-

1. « Οὔτε νόμος τις κελεύει, οὔτε συνήθεια κεκράτηκε τοὺς πατριάρχας ὑπὸ τοῦ πάπα χειροτονεῖσθαι, καὶ μὴν οὐδὲ ἐγένετο. » Ex hoc innuere vult Papam non habere jurisdictionem in patriarchas.

2. « Οὐκ ἐξῆρχεν ὁ πάπας τῶν συνόδων, ἀλλ'αἱ σύνοδοι καὶ τῇ περὶ αὐτὸν 'Εκκλησίᾳ ἐνομοθέτουν. » Provocat ad canones Trullanos quosdam usus Ecclesiæ romanæ carpentes.

3. Provocat ad canonem 34 apostolorum, de quo supra egimus, p. 244.

4. Alludit ad Ecclesiam romanam : « Οὐδεὶς ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν « Καθολικὴν 'Εκκλησίαν », 'Ρωμαϊκήν ποτε εἶπεν. » *P. G.*, t. CLI, col. 1275 C.

5. *P. G.*, t. CLI, col. 1276-1278, in parte inferiore columnarum. Totus tractatus ibidem, col. 1255-1280. Omnia argumenta seu sophismata quæ contra Papæ primatum in utroque libello scripserat Barlaamus, optime dissolvit, catholicus factus, in *Epistola ad amicos suos in Græcia constitutos*, *P. G.*, *ibid.*, in parte superiori columnarum.

6. Περὶ τῆς τοῦ πάπα ἀρχῆς, *P. G.*, t. CXLIX, col. 699-730. Sequitur

mam enim Calabri dictorum suam fecit Nilus, ejusque verba nonnunquam transcripsit. In hoc potissimum insistit quod Papa auctoritati conciliorum œcumenicorum subjaceat et ab eis judicetur: quod ut probet, damnationem Honorii a concilio sexto in memoriam revocat et ad canones Trullanos adversus Ecclesiæ romanæ disciplinam, quorum œcumenicitatem statuere nititur, expresse provocat [1]. Papam in docendo fallibilem esse ex hoc deducit quod non sit impeccabilis :

« Quod vero impossibile sit Papam a rectitudine dogmatum aberrare, id ipsius etiam Petri successionem excedit. Ille enim etiam impegit et lapsus est, quantumvis vehementer asseveraret se hoc non admissurum. At ego hoc quoque interrogo : An et Papa possit mendacio, avaritiæ, inani gloriæ aliisque rebus vetitis esse obnoxius, an vero ab his plane sit immunis? Si ab his immunis est, ita ut hæc in ipsum cadere non possint, dicant sane. At si hoc vanum dictu est (errat enim etiam ille in multis quantum ad conscientiam, cum sit homo), manifestum est eum, cum in his peccet, etiam circa fidem naufragium subire posse [2]. »

Verum jurisdictionis primatum, etiam juris ecclesiastici, in alios patriarchas Romano Pontifici denegat, dicens eum non esse primum respectu præsulis Constantinopolitani eodem titulo ac jure quo Constantinopolitanus primus est respectu suorum suffraganeorum antistitum [3], quanquam in fine opusculi contrarium docere videtur [4]. Sequenti etiam argumento primatum Papæ evertere initur :

« Cum Papa ordinetur ab episcopis, non recipit ordinem majorem simplici episcopatu; nemo enim dat quod non

ibidem, col. 729-878, longam hujus libelli confutationem græce et latine a Joanne Matthæo Caryophyllo conscriptam.

1. *Ibid.*, col. 705-716.

2. *Ibid.*, col. 705 BC : « Ὅτι δὲ ἀδύνατον τὸν πάπαν τῶν ὀρθῶν ἐκπεσεῖν δογμάτων, τοῦτο δὴ καὶ ὑπὲρ τὴν τοῦ Πέτρου διαδοχήν... Δῆλον, ὡς περὶ ταῦτα ἁμαρτάνων, ἐνδέχεται καὶ περὶ τὴν πίστιν ναυάγιον ὑποστῆναι. »

3. *Ibid.*, col. 709 D : « Πῶς ἔστιν ἀληθεύειν λέγοντα· Οὕτως ἐστὶ πρῶτος ὁ 'Ρώμης πρὸς τὸν Κωνσταντινουπόλεως, ὥσπερ οὗτος αὐτὸς πρὸς τοὺς ὑπ'αὐτὸν ἱεράρχας; »

4. Cf. quæ diximus supra, p. 370, n. 1.

habet. Ergo non est episcopis superior; est sicut unus ex illis, omnibusque subjacet legibus, quibus et reliquum episcoporum genus[1]; unde et ecclesiastica negotia regulare non potest absque aliorum consilio, ex canone 34 apostolorum[2]. »

Demum jus convocandi concilium œcumenicum Romano Pontifici denegat, ut illud imperatori adjudicet[3].

Matthæus Angelus Panaretus libellum satis prolixum adversus Papæ primatum conscripsit, qui inscribitur : « *Refutatio eorum quæ a Latinis de Papa dicuntur : quod totius Ecclesiæ principatum teneat a beato Petro per successionem acceptum; et quod ei pro libitu liceat dogmatizare et facere quæcumque voluerit*[4]. » Suorum antecessorum dicta in unum congerit, tam beati Petri, quam ejus successoris præcellentem auctoritatem evertere nitens.

In prima parte sui prolixi tractatus contra Latinos, Macarius Ancyranus totus est in impugnando primatu jurisdictionis Romani Pontificis, in eumque adeo vehementer invehitur, ut polemistis acrioribus epochæ modernæ jam viam aperiat. Omnia fere suorum antecessorum argumenta replicat, ea ampliando veteribusque canonibus ac factis historicis illustrando. Hoc primum probare intendit, quod in primis Ecclesiæ temporibus, ante Ecclesiarum separationem, Papa jurisdictionem in universam Ecclesiam nunquam exercuerit, sed unus tantum e quinque patriarchis fuerit, cui solæ Ecclesiæ Occidentis, excepta tamen Ecclesia africana, subjectæ fuerint. Citatis pluribus canonibus, ad hanc devenit conclusionem :

1. « Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ παρ'ἐπισκόπων χειροτονεῖται, οὐκ ἄν, εἴγε κρείττων ἢ κατ'ἐπίσκοπον ἦν. Οὔτε γὰρ ἄν τις ἑτέρῳ μεταδοίη ὅπερ οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἔσχε. » *Ibid.*, col. 716 AB. Cui Matthæus Caryophyllus, *Refutatio Nili*, *ibid.*, col. 815 CD: « Hoc ad umbram pugnare est... Ad plenitudinem ecclesiasticæ hierarchiæ non requiritur, ut prima sedes sit majoris ordinis sacerdotalis, sed dignitatis et auctoritatis majoris. »

2. *Ibid.*, col. 728 A. Horum canonum apostolorum auctoritatem adstruere conatur Nilus.

3. *Ibid.*, col. 724 C.

4. « 'Ανασκευὴ τῶν λεγομένων παρὰ Λατίνων, ὡς ὁ πάπας ἔχει τὴν ἀρχὴν πάσης 'Εκκλησίας, λαβὼν αὐτὴν κατὰ διαδοχὴν ἀπὸ τοῦ μακαρίου Πέτρου· καὶ ὡς ἔξεστιν αὐτῷ κατὰ πᾶσαν ἐξουσίαν καὶ δογματίζειν καὶ ποιεῖν ὅσα καὶ βούλοιτο. » Cf. P. Risso, *op. cit.*, p. 32-33.

« Clare apparet episcopum Romæ nunquam totius orbis habuisse principatum, nunquam nos ejus auctoritati obnoxios fuisse nec ei unquam licuisse pro libitu agere... Si enim omnes episcopi sub eo essent, eique liceret suam sequi voluntatem, pro vano essent decreta et canones, superfluæ congregationes synodorum tum localium tum œcumenicarum; immo legum præscripta vacarent, quid faciendum, quid fugiendum decernentia, dubia dirimentia iniqua punientia[1]. »

Papæ denegat jus recipiendi appellationes africanæ Ecclesiæ, iis innitens documentis, quæ ad causam Apiarii sacerdotis referuntur[2]. Item canonum Sardicensium vim ad solos episcopos Occidentis episcopo Romæ subjectos restringit; *Donationem Constantini* falsam denuntiat[3]; merum honoris primatum non a Petro derivatum, sed a Patribus necnon ab imperatoribus concessum, qui etiam ex canone 28 Chalcedonensi ad Novam Romam mox transiturus sit[4], Romano Pontifici tribuit. Hunc autem honorem ita definit :

« Hic honor qualis? Præesse, præsidere, primus loqui, primus sententiam dicere, primus suscribere in synodicis conventibus et actionibus et alia hujusmodi; præterea in diptychis primus nominari. Eodem modo honorandus est Novæ Romæ episcopus[5]. »

Ut infra dicemus, Macarius est cæsaropapismi doctor insignis vixque superandus; unde præcipua Romani Pon-

1. Κατα Λατίνων ed. Dosithei, in Τόμῳ ἀγάπης, c. III, p. 5 : « 'Εναργῶς παρίσταται, ὅτι οὐδέποτε τὴν ἀρχὴν τῆς οἰκουμένης εἶχεν ὁ 'Ρώμης, ἢ ἡμεῖς ὑπ'αὐτὸν ἐτελοῦμεν, ἢ ἐξὸν ἦν αὐτῷ ὁπωσδήποτε τὸ βουλητέον ποιεῖν... Εἰ γὰρ ἦσαν πάντες μὲν ἐπίσκοποι ὑπὸ τὸν 'Ρώμης, ἐξῆν δὲ αὐτῷ τὸ βουλητέον ποιεῖν, ἐν κενοῖς μὲν οἱ ὅροι καὶ κανόνες, περισσαὶ δὲ αἱ συνελεύσεις τῶν κατὰ καιροὺς τοπικῶν καὶ οἰκουμενικῶν ἁγίων συνόδων. »

2. « 'Ο 'Ρώμης οὐδὲ τὴν τῆς 'Αφρικῆς ἔκκλητον ἔχει. » *Ibid.*, c. v, p. 7-8.

3. *Ibid.*, c. VI, p. 8-10. Illatenus theologi byzantini documentum communiter authenticum habuerant.

4. *Ibid.*, c. x, p. 13.

5. *Ibid.*, c. IX, p. 12 : « Τὶς δὲ ἡ τιμή; τὸ προΐστασθαι, τὸ προκαθῆσθαι, τὸ πρῶτον διαλέγεσθαι, τὸ πρῶτον γνωμοδοτεῖν, τὸ πρῶτον ὑπογράφειν ἐν ταῖς συνοδικαῖς συνελεύσεσι καὶ πράξεσι, καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ πρός γε τὸ ἐκφωνεῖσθαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς διπτύχοις· ὡσαύτως δὲ καὶ τὸν ἴσον τρόπον δέον τιμᾶσθαι καὶ τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως νέας 'Ρώμης. »

tificis munia, in iis præsertim quæ concilium œcumenicum respiciunt, imperatori defert. Secundum ejus doctrinam, verum Ecclesiæ caput regens ac gubernans est imperator.

Post concilium Florentinum, primatum Papæ in decreto unionis definitum quidam polemistæ impugnarunt, inter quos Joannes Eugenicus, Marci Ephesii frater, qui pauca ex dictis Macarii repetere satis habet [1]. Teste Josepho Methonensi, unionis adversarii aliam in Papam proferebant, criminationem, ut ei obedientiam detrectarent : « Illi non paremus, inquiebant, quia non vivit sicut Petrus. » Quibus acute respondebat episcopus unitus : « Non quia peccator est, refugitis ei obedire, sed quia Latinus, et barbam tondet. Si enim illum vitaretis propter peccatum, vosmetipsos vitaretis, quia estis peccatores... Omnes Orientis sacerdotes sancti sunt? Vos hoc non potestis demonstrare [2]. »

ARTICULUS X

Recentiorum theologorum doctrina de primatu Romani Pontificis.

Prænotamina.

Inde a sæculo XVI, quæstio de primatu Romani Pontificis in theologia polemica Græco-Russorum primas tenuit; recentiori vero tempore, hic primatus ut vera schismatis causa, ejusque in præsenti perseverantiæ a pluribus denuntiabatur; unde vehementer omnique conatu tum in compendiis theologiæ dogmaticæ et polemicæ, tum in commentariis, tum in magnæ molis scriptis specialibus impetitus est. Sua autem argumenta polemistæ epochæ modernæ hauriunt tum ex antiquo fonte byzantino, tum ex recenti Reformatorum armamentario. Theologi vero slavophili quædam

1. Ἀντιρρητικὸς τοῦ βλασφήμου καὶ ψευδοῦς ὅρου τοῦ ἐν Φλωρεντίᾳ συντεθέντος, ed. Dosithei, in Τόμῳ ἀγάπης, p. 269-271.

2. *Pro concilio Florentino*, c. V, *De primatu Papæ*, *P. G.*, t. CLIX, col. 1357 : « Οὐ γὰρ διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἁμαρτωλὸν οὐ θέλετε ὑπακούειν ἐκείνῳ, ἀλλὰ διὰ τὸ εἶναι Λατῖνον καὶ διὰ τὸ κείρειν τὸν πώγωνα. »

nova ac prorsus inaudita in campo rationis theologicæ adversus Papam adinvenerunt, dum aliqui docti, præsertim ex Russis, in studium historiæ ecclesiasticæ serio incumbentes, veritati ex factis clare elucenti testimonium perhibuerunt, docueruntque Romanos Pontifices, inde a primis Ecclesiæ sæculis, verum jurisdictionis primatum, non reclamantibus, quin immo sæpe expresse approbantibus, orbis catholici pastoribus, in universam Ecclesiam exercuisse; quod a thesi classica polemistarum omnino alienum est, gravesque theologicas parturit consequentias.

Hæc nostra doctrina recentiorum de primatu Romano brevis expositio quadripartita erit. Sermo erit :

1º De relatione primatus Romani ad Petrum;

2º De existentia et natura primatus Romani ante schisma byzantinum;

3º De difficultatibus adversus primatum Romanum ex antiqua traditione ecclesiastica haustis;

4º De argumentis contra eumdem primatum ex ratione theologica petitis.

I. — De relatione primatus Romani ad Petrum.

Veterum Byzantinorum instar, polemistæ moderni episcopum Romæ aliquod speciale privilegium a Petro accepisse communiter negant, hoc triplici principio innixi : 1º quod omnes apostoli pari dignitate ac potestate fuerint; 2º quod nullus ex illis charismata apostolatus specialia alicui successori suo transmiserit; 3º quod singuli fuerint pastores universales, doctores œcumenici, incircumscripta jurisdictione præditi, nec ulli sedi in particulari addicti. Unus audiatur Nectarius Hierosolymitanus :

« Nec proprie apostoli fuerunt alicujus urbis episcopi, licet quandoque ita dicantur, quia multo tempore versati sunt in aliquibus urbibus, et mortui fuerunt in earum aliqua, ut Petrus Romæ; sed omnis, ubi fuerunt, orbis. Propterea et Petrus, Romæ agens, secundum vos ordinavit Linum et Cletum. Ille enim non fuit circumscriptus intra Romam aut Occidentem, sed circuibat Orientem et Asiam... Unde nec Romæ proprie fuit episcopus neque Papa proprie est Petri

successor; quinimo etiamsi esset illius successor, ut dicitur, quia Petrus ibi fuit Ecclesiæ dux, ut et Antiochiæ, at non esset successio quoad omnia nec incircumscripta et indefinita in omnem orbem [1]. »

« Nullus episcopus ait Elias Meniates, est unius apostoli successor, quia nullus apostolus fuit unius Ecclesiæ vel unius partis orbis episcopus [2]. »

Quidam polemistæ recentiores ulterius progressi sunt, opinionesque quorumdam criticorum Germaniæ libenter amplectentes, vel negarunt, vel in dubium vocarunt Petrum unquam Romam venisse. Alii, præ certis historiæ documentis hoc asserere non audentes, Petrum Ecclesiam romanam fundasse vel ejus primum episcopum constituisse infitiati sunt; qui Paulo ipsi, vel ejus discipulis Ecclesiæ illius fundationem tribuerunt.

Petrum unquam Romam venisse vel ibi mortuum esse, expresse negat Nectarius Kephalas, post alios Græcos, in suo recenti opere *De causis schismatis* [3], dum anno 1848, quatuor patriarchæ orientales, et anno 1895, Anthimus VII, patriarcha œcumenicus, hoc in dubium ponebant [4]. Russi vero haud pauci fatentur quidem Coryphæum Romam venisse, sed dicunt eum nonnisi per brevissimum tempus ibi mansisse antequam martyrium subiret, nec Ecclesiam romanam fundasse, cui jam episcopum Paulus Linum de-

1. *Op. cit.*, p. 244; cf. p. 148.
2. Πέτρα σκανδάλου, *ed. cit.*, p. 94 : « Οὐδεὶς ἐπίσκοπος εἶναι διάδοχος ἑνὸς μόνου ἀποστόλου, διατὶ καὶ οὐδεὶς ἀπόστολος ἦτον μιᾶς μόνης Ἐκκλησίας ἢ ἑνὸς μέρους τῆς οἰκουμένης ἐπίσκοπος. » Cf. Suschkov, *op. cit.*, p. 139-142.
3. Μελέτη ἱστορικὴ περὶ τῶν αἰτίων τοῦ σχίσματος, περὶ τῆς διαιωνίσεως αὐτοῦ... t. I, Athenis, 1911, p. 12-40.
4. *Encyclica epistola ad omnes orthodoxos*, Mansi-Petit, *t. cit.*, col. 391 A : « Ὁ θρόνος τῆς Ῥώμης ἐκ μιᾶς τινος ἁπλῆς παραδόσεως νομίζεται τιμηθεὶς παρὰ τοῦ μακαρίου Πέτρου. » Anthimus VII vero, Πατριαρχικὴ καὶ συνοδικὴ ἐγκύκλιος, § 14, hæc habet : « Ἡ ἐν Ῥώμῃ ἀποστολικὴ Πέτρου ἐνέργεια ἀγνοεῖται παντελῶς ὑπὸ τῆς ἱστορίας. » E contra, historicus russus V. V Bolotov, *Lectiones historiæ veteris Ecclesiæ*, t. III, Petropoli, 1913, p. 279, traditionem de adventu Petri in Romam civitatem ita firmam censet, ut « ea negata, historia tota neganda esset. » Hujus traditionis testes sunt Ecclesiæ byzantinæ libri liturgici; cf. *Menæa*, ad diem 16 januarii necnon ad diem 29 junii.

disset. Hanc thesim magno eruditionis apparatu adstruere nititur Sergius Suschkov, cujus conclusiones sunt sequentes :

1º Nullus apostolus ante Paulum Romam advenit; unde Ecclesiam romanam fundare non potuit Petrus ante Pauli adventum;

2º Ecclesia romana fundari non potuit ante annos 65-66 post Christum;

3º Primus episcopus Romæ fuit Linus, discipulus et cooperator Pauli in Evangelio prædicando;

4º Linus ab ipso Paulo ordinatus fuit Romæ episcopus;

5º Paulus est primus Ecclesiæ romanæ fundator;

6º Apostolus Petrus per Corinthum Romam advenit non ante annum 65 finientem, vel anno 66; laborum Pauli in *perficienda fundatione* Ecclesiæ romanæ particeps fuit, et anno 67 vel 68 sub Nerone martyrio coronatus est [1].

Suschkovo præiverat Vladimirus Guettée [2]; Suschkovum secuti sunt plures alii inferioris subsellii polemistæ [3], ex quibus quidam non ipsi Paulo sed ejus discipulis adscribunt Ecclesiæ romanæ constitutionem [4].

II. — De existentia et natura primatus Romani ante schisma byzantinum.

Omnes moderni concedunt Romanum episcopum aliquem primatum in Ecclesia habuisse ante schisma photianum; cujusnam autem indolis fuerit hic primatus, non est una omnium sententia.

Multi docent Papam simplicem honoris et ordinis seu πρωτοκαθεδρίας primatum a Patribus et imperatoribus accepisse, quod Roma esset caput imperii; ad quod probandum

1. *Op. cit.*, p. 85-148.
2. *Exposition de la doctrine de l'Eglise catholique orthodoxe*, ed. 2, Parisiis, 1884, p. 122 : « L'histoire atteste que Linus a été le premier évêque de Rome, et que saint Pierre n'y alla que pour souffrir le martyre; que cette Église a été fondée par saint Paul. »
3. Cf. Perov, *Theologia polemica*, p. 67.
4. Cf. Alexandrum Bielaev, *De Ecclesiarum unione*, Serghief Possad, 1897, p. 87-89 : « In Actibus apostolorum necnon in eorum epistolis, indicia occurrunt, etsi haud clara, suggerentia non Petrum, non ipsum Paulum sed Pauli discipulos romanam Ecclesiam fundavisse. »

consuetos afferunt canones : 3 Constantinopolitanum, 28 Chalcedonensem, etc., ut jam fecerant primi polemistæ byzantini [1].

Alii dicunt primatum Romanis Pontificibus ab Ecclesia antiqua concessum non honorificum tantum fuisse, sed veram jurisdictionis potestatem importasse. Ita græcus canonista Eutaxias fatetur approbationem Papæ olim habitam fuisse ut necessariam ad valorem concilii œcumenici, sedemque Romanam ob suam antiquitatem, fidelium multitudinem, historicum decus, moralem auctoritatem et præstantiam in Ecclesia obtinuisse [2]. Quidam, aliis contradicentibus, dicunt — quod luce clarius est — synodum Sardicensem jus recipiendi appellationes ex universa Ecclesia Romano Pontifici agnovisse [3]. Russus historicus A. P. Lebedev aliquid amplius sane innuit, dum sequentia scribit :

« Semper et immutabiliter episcopus Romanus aliis patriarchis superior exstitit. Ab ipso christianæ historiæ exordio hoc deprehenditur. Episcopus alius qui ei fuerit æqualis, nec fuit nec potuit esse. Episcopi Romani conditionem per trium primorum sæculorum decursum consideremus. Jam ab apostolorum ævo, romanæ Ecclesiæ gloria omnium aliarum Ecclesiarum singillatim sumptarum gloriam superabat. Paulus apostolus Romanis scribebat : « *Vestra fides* (*vestra!*) *annuntiatur universo mundo.* » (Rom., I, 8.) Quæ secuta sunt sæcula in his verbis nihil elationis esse ostenderunt. Romana Ecclesia ex aliarum serie cito emersit. Primo jam sæculo, apparet notanda epistola Clementis, Romani episcopi, ad Corinthios, quæ tanquam factum historicum magni momenti habenda est; siquidem demonstrat Ecclesiam romanam sub finem sæculi primi jam sibi vindicare maternam sollicitudinem Ecclesiarum a se longe distantium, eamque jam verba loqui amoris et auctoritatis. Necessitatum ac postulatorum christianismi eam cognitionem ac visionem habet, quam apud cæteras non invenies, eique propriam esse deprehendes. Liber *Pastoris Hermæ* (Romanus fœtus sæculi II) item ostendit jam inter laicos Romanos sensum communem esse quod romanæ Ecclesiæ competat totius Ecclesiæ christianæ cura. Si Ecclesia romana sola ita de se sentiret, hoc propriæ excellentiæ amori ac jactantiæ tribuere quis posset. Verum, tali sententiæ locus esse non potest, adeo cito ipsi Ecclesiæ orientalis primorum sæculorum præpositi romanæ Ecclesiæ plenum obsequii ac reverentiæ tributum solverunt, eamque super alias Ecclesias extulerunt. Primum hujus generis testimonium invenimus apud virum apostolicum, Ignatium deiferum. Præclaras illas laudationes, quas Ignatius romanæ Ecclesiæ defert, quamtumvis temperare ac attenuare tentes, extra dubium omne manet Ignatium hanc Ecclesiam habuisse ut inter cæteras omnes præeminentiam tenentem (vide salutationem *Epistolæ ad Romanos* [1]). »

Pergit historicus russus per quindecim paginas sine partium studio referens præcipua factà historica, Patrum, Paparum eorumque legatorum quædam ex multis testimonia in primis quinque sæculis collecta, quibus luce clarius constat primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam Romani Pontificis, et quidem a Christo et Petro promanantem, a tota Ecclesia tum in Occidente tum in Oriente factis agnitum fuisse et verbis prædicatum. Ejusdem auctoris hæc pauca adhuc laudare juvat :

1. Hæc est thesis polemistarum communissima; cf., v. g., Meniatem, *op. cit.*, p. 99 : « Τὸ πρωτεῖον τοῦ πάπα ἀνάμεσα εἰς τοὺς ἄλλους ἐπισκόπους, ὅπου εἶναι πρωτεῖον τιμῆς, δέδοται παρὰ τῶν πατέρων διὰ τὸ πρωτεῖον τῆς βασιλευούσης πόλεως. » Nicolaum Damalam, Περὶ ἀρχῶν, p. 99-100; Philaretum Gumilevskii' *op. cit.*, t. II, p. 264; Gabrielem Severum, *op. cit.*, p. 32-34; Mesoloram, *op. cit.*, p. 53, etc.

2. *Cursus juris canonici manuscriptus*, p. 204, 208-210 : « Ἡ ἀρχαιότης, ὁ πληθυσμός, τὸ ἱστορικὸν παρελθὸν ἐδίδουν ἠθικὸν κῦρος καὶ ὑπεροχήν τινα εἰς Ἐκκλησίαν. »

3. Ita Suvorov, *Cursus juris ecclesiastici*, t. I, Jaroslavii, 1889, p. 67; A. P. Lebedev, *Clerus antiquæ Ecclesiæ œcumenicæ*, Mosquæ, 1905, p. 240.

1. *Dukhovenstvo drevnei vcelenskoi Tserkvi* (*Clerus antiquæ Ecclesiæ œcumenicæ*), p. 228-229. Hoc opus, anno 1905 primum editum, quo tempore libertatis quædam aurora Russis jam illuxit, censuræ ecclesiasticæ russicæ Dracone dignæ severitatem effugisse videtur; unde A. P. Lebedev propriam de quæstione sententiam studio partam promere candide potuit; quod ei non licuit in prima et secunda editione sui alterius voluminis inscripti : *Historia separationis Ecclesiarum sæculis IX, X et XI*, e quo quemdam locum in tomo I hujus operis, p. 384-385, excerpsimus, cum dictis in præsenti opere mire pugnantem.

« Inde a sæculo IV, auctoritas Romani episcopi magis ac magis crescit; sæculo vero V mediante, Papæ adeo magnificantur et sublimantur, ut aliquid altius eis optandum vix supersit. Propriæ dignitatis conscientia episcopis Romanis hujus temporis mira celeritate intenditur... Quod autem majoris est momenti, Oriens, Ecclesia orientalis, inde a sæculo IV, admodum multa quasi ex industria faciunt, ut Papam certiorem reddant eique suadeant quod revera ipse sit aliis episcopis superior. Tempore diversarum perturbationum, quæ sæculis IV et V in Oriente acciderunt, multi ex præclarissimis orthodoxiæ propugnatoribus in difficilibus vitæ circumstantiis, Romæ, apud Papam auxilium sibi quæsierunt. Leo papa I canonem 28 concilii Chalcedonensis, quo Constantinopolitana sedes exaltabatur, non probavit. Ad hoc quid respondet Oriens? Episcopi orientales una cum Byzantino imperatore hærent, Papæ obsequenter respondent; absque dubio, Leoni papæ spem attulerunt de hoc canone sine mora penitus abrogando. Auctoritates ecclesiastica et civilis mirandæ Papæ auctoritati humiliter cedunt, in suis juribus non pertinaciter insistunt. Historiæ ecclesiasticæ scriptores sæculi V, Socrates et Sozomenus, interventui Papæ in negotiis Orientis regulandis adeo assueverunt, ut in suis historicis scriptis hanc agendi rationem tanquam legi et consuetudini consentaneam prorsus habeant. Sozomenus ait : « Episcopus romanus pro officio habet, ut de omnibus curam agat (id est de omnibus Ecclesiis), ex suæ sedis dignitate. » (*Hist.*, III, 8.) Socrates vero scribit : « Secundum regulam ecclesiasticam, absque Romani Pontificis consensu nullam ordinationem in Ecclesias introducere licet. » (*Hist.*, II, 8, 15.)

« Coætanei quidam historici generatim ponunt, concilii œcumenici Chalcedonensis tempore, primatus Papæ ideam ad hos limites pervenisse, quos in Medio Ævo obtinuit [1]. »

Hæc ultima verba a percelebri in Russia historico V. V. Bolotov mutuatus est Lebedev [2]. Ei aliqui viri docti suf-

1. *Ibid.*, p. 239-242.
2. Ex *Lectionibus historiæ antiquæ Ecclesiæ*, anno 1887-1888 recitatis et adhuc manuscriptis, p. 331; quæ annis 1907, 1910, 1913, prelo mandatæ sunt, Petropoli, 3 vol., cura A. Brilliantov, Academiæ ecclesiasticæ Petropolitanæ professoris. Bolotov facta historica primatui

fragati sunt, inter quos invenimus canonistam N. Suvorov, qui in suo *Enchiridio juris ecclesiastici* historiam papatus eodem ferme modo ac A. P. Lebedev [1] paucis contrahit, expliciteque fatetur : 1° Romanos episcopos per octo priora sæcula veram jurisdictionem supremam in universam Ecclesiam exercuisse qua Petri successores, atque docuisse se a Christo per Petrum accepisse omnium Ecclesiarum curam; 2° alios episcopos et patriarchas et ipsa concilia œcumenica in quibusdam rerum adjunctis hunc primatum juris divini verbis ac factis agnovisse [2].

Hæc quidem historicæ veritati plane consonant; longe tamen abest, ut plerique polemistæ ac theologi græco-russi hanc veritatem confiteri velint. Qui ex ipsis doctiores sunt atque in historia ecclesiastica magis versati infitiari non audent Romanos Pontifices verum jurisdictionis in universam Ecclesiam primatum multo ante Photium sibi vindicasse, et quidem haud semel ex jure divino. Hi tamen circa tempus quo hujusmodi petitiones papales inceperint, inter se non consentiunt. Juxta quosdam, episcopi Romæ statim ab Ecclesiæ exordio sua ambitiosa consilia patefecerunt [3]; juxta alios inde a sæculo III [4]; multo plures opinantur inde

Romano suffragantia sincere refert nec ullo modo occultat, ita ut ejus narratio polemistarum dicta de mero honoris primatu quem Romanus Pontifex in antiqua Ecclesia donatus fuerit, optime confutet.

1. *Utchebnik tserkovnago prava*, ed. 4, Petropoli, 1912, p. 19-22, 46-50.
2. P. Lapin in suo opere : *Sobor kak vyschii organ tserkovnyi vlasti* (*Concilium, quatenus est organum ecclesiasticæ potestatis*), Kazanii, 1909, in-8, 577 p., agnoscit etiam auctoritatem Romanorum Pontificum ad orientalem Ecclesiam se extendisse a quarto sæculo ad nonum, episcopos orientales ad Romanam sedem pro omni negotio alicujus momenti recurrere consuevisse, eosdem intra concilia Papam appellasse archiepiscopum universalem, p. 97-98.
3. Ita N. Kephalas, Μελέτη ἱστορική, p. 10 : « Αἱ περὶ τοῦ πρωτείου ἀξιώσεις τῶν ἐπισκόπων Ῥώμης εἰσὶν ὁμήλικες τῇ πρεσβυγενεῖ τῶν Ῥωμαίων Ἐκκλησίᾳ. »
4. Ita I. Overbeck in suo opere : *Ecclesia catholica orthodoxa. Reclamatio adversus Ecclesiam papalem et invitatio ad Ecclesias catholicas nationales constituendas*, Petropoli, 1869, p. 8 : « Hæc theoria papalis inde a sæculo III a quibusdam Papis et theologis tanquam opinio privata in medium prolata est; quamdiu autem Ecclesia indivisa mansit, hæc doctrina nunquam ut doctrina revelata habita est. »

a sæculo IV vindicationes papales omnino manifestas esse, conceduntque Papas primatum universalem non solum in Occidentem, sed etiam in Ecclesias Orientis in quibusdam circumstantiis exseruisse [1]; immo et infallibilitatis privilegio in rebus fidei se donatos esse prædicasse [2]. Alii demum dicunt hujusmodi vindicationum vestigia non ante sæculum VII deprehendi; quæ tamen nonnisi post Ecclesiarum separationem ad effectum perductæ fuerint [3].

De hujusmodi Paparum petitionibus plerique pronuntiant eas nullo niti fundamento theologico, testimoniumque Paparum pro sua auctoritate propriisque privilegiis omni valore dogmatico carere nec recipiendum esse :

« Eximiorum Ecclesiæ doctorum, ait Nectarius Hierosolymitanus, petimus suffragia. Pro eorum uno centum Papas, qui de semetipsis leges ferunt, non recipimus... Quamvis sanctissimus fuerit et sapientissimus, undenam Leo invenit ad solam Petri cathedram (suam nimirum) cæterarum sedium sollicitudinem pertinere? Ex propria suppositione loquitur. Et nos illum per communem et antiquam traditionem rejicimus, ut qui tot Patrum non honoret constitutiones; nec nos illius verba recipimus, utpote cum solus tam multis semet opponat, maxime cum de propriis prærogativis pugnet [4]. »

Atqui sanctus Leo solus non est. Gregorius Magnus, v. g., dixit Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ esse subjectam. Quid ad hæc iterum Nectarius? : « Invenimus, inquit, sanctos ipsos humanis affectibus sæpe fuisse præoccupatos [5]. » Polemistæ nostri temporis Nectario suffragantur,

1. Ita, v. g., Alexander Lebedev (quem cum historico Alexio Petrovitch Lebedev cave ne confundas), *op. cit.*, p. 174-177; A. Pavlov, *Cursus juris canonici*, Serghiev Possad, 1902, p. 258-259; P. Lapin, *op. cit.*, p. 98-99.

2. Ita Lapin, *op. cit.*, p. 98-99; Bolotov, *op. cit.*, t. III, p. 280 sq., qui fuse exponit doctrinam S. Leonis Magni de primatu Romano. Hanc expositionem gallice redditam vide apud M. d'Herbigny, *Theologica de Ecclesia*, t. II, ed. 2, p. 138-140.

3. Ita Sylvester Malevanskii, *Theologiæ dogmaticæ tentamen*, t. IV, p. 333-339. Si Sylvestro credas, tempore Photii, Ecclesia romana sibi vindicaverit tantum primatum antiquitatis, *stareitchestvo*.

4. *Op. cit.*, p. 161, 204.

5. *Ibid.*, p. 239.

contra Romanos Pontifices multo duriora proferentes, præsertim Slavophili, qui ambitionis et superbiæ Papas arguunt, eosque spiritu Romæ paganæ, dominationem in universum orbem spirantis, statim ab initio imbutos fuisse autumant [1].

Concedere Papas ante Photium jurisdictionem in universam Ecclesiam ex jure divino palam sibi vindicasse, hanc doctrinam intra ipsa œcumenica concilia sive per suos legatos, sive per suas litteras haud semel, aliis episcopis tacentibus vel etiam diserte approbantibus, edocuisse, hoc sane graves consequentias theologicas sponte generat. Etenim si primatus a Papis expostulatus, edoctus, de facto usurpatus, est error in fide omnique fundamento in Revelationis deposito vacat, quare ab antiqua Ecclesia, a synodis œcumenicis non fuerunt ut hæretici damnati et a fidelium cœtu segregati, ut de Macedonio, Nestorio, Dioscoro, etc., actum est? Hanc tractationem utique merebantur, si primatus juris divini ab eis repetitus et ut veritas revelata propositus veri nominis sit hæresis, Ecclesiæ constitutioni, prout a Christo delineata est, directe opposita. Hanc ineluctabilem consequentiam perspexerunt sane illi primatus Romani adversarii qui contra evidentia historiæ testimonia mordicus tenent Romanos Pontifices in antiqua Ecclesia mero honoris primatu præ aliis patriarchis vel episcopis decoratos fuisse. Hæc, ut jam diximus, est thesis classica polemistarum, cui irreparabilem aperuere ruinam quotquot sive inter historicos, sive inter theologos, Romanos episcopos ante Ecclesiarum separationem, jurisdictionem in universalem Ecclesiam, ac præsertim in Orientem christianum, non solum sibi vindicasse, verum etiam de facto exercuisse fateri non dubitarunt. Unde mirum non est multos hujus positionis tenaces adhuc inveniri. Si illos audias, Romani Pontifices nonnisi inde a sæculo IX primatum universalem divini juris sibi arrogaverint; Nicolaus I hoc attentarit primum; hujusmodi usurpatio schismatis princeps causa fuerit.

1. Cf., v. g., A. Lebedev, *op. cit.*, p. 174-178, ubi fuse loquitur de superbia Romanorum, de corruptis moribus cleri Romani circa finem sæculi IV; cf. etiam dicta in t. I, p. 387-388. De Paparum superbia loqui solemne etiam habent Græci ; cf. Andrutsum, Συμβολική, p. 71; Mesoloram, *op. cit.*, t. II, p. 45.

« Per totam conciliorum œcumenicorum periodum, ait Sylvester Malevanskii, nullibi, neque in Occidente, neque in Oriente, unius præsulis exstabat suprema in universam Ecclesiam auctoritas. Hujusmodi auctoritatis nomen ipsum omnibus invisum erat; quippe quæ Ecclesiæ indoli atque constitutioni non solum Orientalibus verum etiam Romanis Pontificibus ipsis contraria videbatur [1]. »

Alexander Bielaev item contendit Papam, conciliorum œcumenicorum tempore, caput Ecclesiæ nunquam fuisse vocatum, nullibi dici eum universam Ecclesiam regere, vel Ecclesiam œcumenicam ei subjici, sed contrarium potius evinci tum ex synodorum canonibus, tum ex quotidiana praxi vitæ ecclesiasticæ; patriarchas orientales ab eo semper independentes exstitisse; quod ex eo patet, inquit, quod Romæ episcopus alios patriarchas nunquam ordinaverit; atqui ordinationis collatio præcipuum erat potestatis seu primatus præsulis superioris in suffraganeos episcopos indicium [2]. Idem auctor addit non solum orientales Ecclesias omnes a Romanis episcopis independentes omnino fuisse, verum etiam multas Occidentales diu illis non fuisse subjectas, ut Carthaginensem, Hispanicam, Gallicam et alias [3]. In eumdem fere sensum loquuntur sexcenti alii, quorum verba referre supersedemus [4].

III. — De difficultatibus ex antiqua traditione petitis, quas adversus Papæ primatum Græco-Russi movere solent.

Polemistarum antipapistarum duplex est agendi ratio in dogmate catholico de primatu Romano ex antiquæ traditionis fontibus impugnando, negativa una ac destructiva, positiva altera.

Primum quidem disertissima traditionis ecclesiasticæ

1. *Op. cit.*, t. IV, p. 332.
2. *De Ecclesiarum unione*, p. 89-90; 97-98.
3. *Ibid.*, p. 99.
4. Eamdem thesim communiter docent theologiæ dogmaticæ ac polemicæ compendia; cf., v. g., Malinovskii, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, t. II, p. 300; Truskovskii, *Theologia polemica*, p. 43-44; Ivantsov-Platonov, *op. cit.*, t. II, p. 119 sq.; vide etiam auctores supra laudatos, p. 402, n. 1.

testimonia a theologis catholicis communiter laudata, vel silentio, ut plerumque, prætereunt, vel sophisticis nugatoriisve interpretationibus rescindere, aut saltem infirmare conantur. Sic, v. g., Nectarius Hierosolymitanus ad *Epistolam Hadriani papæ I* in concilio septimo lectam, ubi Pontifex dicit Romanam Sedem in omnem terrarum orbem primatum tenere et omnium Ecclesiarum caput esse, respondet concilia, in epistolis et doctrinis episcoporum, ad solum scopum dogmatis de quo agebatur, non vero ad eorum omnia verba respexisse; nec synodum septimam debuisse propter stultas gloriationes abjicere Romanæ Sedis consensum, quæ ad Orthodoxiæ triumphum contra Iconomachos tunc valde contulit [1]. Multi negant Papam per suos legatos alicui ex conciliis œcumenicis unquam præfuisse [2]. De appellationibus quæ ex qualibet orbis christiani parte ad ipsum olim dirigebantur, dicunt eas nihil pro primatu Romanæ Sedis probare, cum et ad alios præsules litteræ appellatoriæ mitterentur [3]; vel juxta quosdam jus appellationis ex aliqua dispensatione seu *œconomia* Papis tributum fuit sed ad tempus tantum [4]. Paucis auctoribus exceptis, de quibus supra locuti sumus, sententiam polemistarum et canonistarum Medii Ævi de canonibus Sardicensibus circa jus appellationis Romano Pontifici delatum amplectuntur, dicentes hujusmodi canones solum patriarchatum Romanum, non vero Ecclesiam universam respicere [5]. Quod

1. *Op. cit.*, p. 176; cf. alia ejusdem auctoris effugia per totum ejus opus sparsa, ad evidentissima testimonia a Petro Fratrum Minorum magistro in suis de primatu Papæ thesibus prolata; item locorum patristicorum de primatu interpretationes Sylvestri Malevanskii (præsertim in notis), *op. cit.*, t. IV.
2. Ita A. Bieliaev, *op. cit.*, p. 103-104; A. Lebedev, *op. cit.*, p. 173-174; alii multi.
3. Ita Perov, *op. cit.*, p. 68, post alios.
4. Cf. Nectarium, *op. cit.*, p. 202-203 : « Quod si aliquando a Papis retractatum est judicium alicujus patriarchæ, non id fuit ex necessitate, sed secundum dispensationem æquitatis... Habuit Romanus appellationis jus potius ex dispensatione quam ex canone 3 privato, et qui fuit ad tempus, Sardicensis synodi. Ex quo autem ipse insurrexit et sceptra divisit, hæc dispensatio paulatim cessavit. ».
5. A. Lebedev, *op. cit.*, p. 158-160; S. Malevanskii, t. IV, p. 331 in nota; Lapin, *op. cit.*, p. 106-108; etc.

vero attinet ad luculenta antiquorum Patrum de primatu Romano testimonia, ista, inquiunt polemistæ, in sensu litterali accipere omnino impossibile est [1], sed ad lumen canonum ecclesiasticorum interpretari debent [2].

Auctoritatibus pro doctrina catholica facientibus ita semotis ac depulsis, quidquid in antiquæ Eccleesiæ historia in Patrum scriptis vel conciliorum actis detegere possunt quod vel tantulum primatui Romauæ Sedis adversetur, aut ei aliquid detrahere videatur, in unum congerunt et ita in medium proferunt, ut doctrinæ Patrum ac historiæ ecclesiasticæ parum peritis fucum faciant. Validiora arma sua ac munimina ex antiquo fonte canonico depromunt. Primum locum tenet canon ille 28 Chalcedonensis, in quo, si sensu obvio sumatur, principium fundamentale schismatis latere in tomo I ostendimus [3]. Deinde veniunt canones Trullani pseudo-œcumenici romanæ Ecclesiæ usus damnantes, quibus demonstrare volunt Papam et Ecclesiam romanam jurisdictioni concilii œcumenici subjacere; quod etiam ex inscriptione nominis Honorii in catalogum hæreticorum a concilio sexto factam deducunt. Magnum item momentum tribuunt illis Ecclesiæ africanæ documentis, quibus hæc Ecclesia tum sancti Cypriani tempore, in quæstione de rebaptizandis hæreticis, tum in causa Apiarii sacerdotis sub Zozimo et Bonifacio I (417-422), Romani Pontificis auctoritatem in docendo et jurisdictionem supremam in recipiendis appellationibus detrectare visa est [4].

Alia via doctrinam catholicam de primatu Romano impugnarunt quidam polemistæ et historici dissidentes, qui evo-

1. Cf. Eliam Meniatem, *op. cit.*, p. 111 : « Καὶ ἂν ἦναι καί τινας τῶν ἁγίων πατέρων γράφων πρὸς τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον, ἠθέλεσε νὰ τὸν ἐγκωμιάσῃ μεγαλύνωντάς τον ὑπὲρ τοὺς ἄλλους... τὰ ἐγκώμια πατέρων πρέπει νὰ νομίζωνται δόγματα; Ὄχι. » A. Lebedev, *op. cit.*, p. 149-150; Ivantsov-Platonov, *op. cit.*, t. II, p. 144 sq.
2. A Lebedev, *op. cit.*, p. 149-150.
3. P. 50 sq.
4. Documenta Africana hujusmodi inter fontes canonicos Ecclesiæ byzantinæ synodus Trullana retulit; quæ a canonistis sæculi XII interpretantur; (cf. *P. G.*, t. CXXXVII, col. 1095-1122; t. CXXXVIII, col. 427-450) et in collectionibus canonicis recentioribus adhuc occurrunt.

lutionem papatus, ut dicunt, narrare aggressi sunt. Ex factis enim historicis, ex temporali potestate, qua inde a sæculo VIII potiti sunt Romani Pontifices; item ex documentis apocryphis bene notis (ut *Isidorianæ Decretales*, *Donatio Constantini*), ex quibus Papæ suprema jurisdictio, ut suos limites *de facto* extenderet, aliquid commodi vel fulcimenti trahere potuit, Romani Pontificis primatui ut nunc apparet et exercetur originem mere humanam et tardiorem assignare tentarunt [1]; quibus illorum historicorum conclusiones opponere poteris, qui scripserunt jam sancti Leonis papæ I tempore, auctoritatem Romanorum Pontificum ad hos pervenisse limites, quos Medio Ævo obtinuit; ipsum vero Leonem clare, firme ac plene sibi vindicasse atque adscripsisse eas omnes prærogativas, quæ in concilio Vaticano definitæ sunt [2]. »

IV. — Rationes theologicæ Græco-Russorum contra Papæ primatum.

Miras quasdam vixque credibiles rationes theologicas adinvenerunt polemistæ anticatholici Orientis, ut primatum Romanum impugnarent; quæ omnes vel ex diversarum rerum confusione, vel ex auctorum phantasia prodeunt. Præcipuas referamus.

1° *Ratio ex titulo* : CAPUT TOTIUS ECCLESIÆ *Papæ tributo desumpta.* — Concilium Florentinum in *Decreto unionis* definivit Romanum Pontificem esse *totius Ecclesiæ caput.* Metaphora trita est, sensus obvius : Papa est caput totius Ecclesiæ militantis, sicut rex est caput regni, pater familias caput familiæ, episcopus caput suæ diœcesis. Hæc metaphora significatur Papam inter præsules primum locum tenere tum in ordine dignitatis et honoris, tum in ordine auctoritatis, et habere supremam jurisdictionis potestatem quoad

1. Cf. opera jam laudata : A. M. Ivantsov Platonov, t. II; Vladimiri Guettée, *La papauté schismatique*; A. Lebedev, p. 186-226, qui privilegiorum et jurium Romanæ Sedis prima initia repetit ex imperatoris Gratiani decreto, quo Papam ab aliis episcopis judicari non posse declaravit, p. 190.
2. Bolotov, *op. cit.*, t. III, p. 280 sq.

regimen externum et visibile totius Ecclesiæ militantis. Non ita intelligere volunt metaphoram polemistæ Orientales, sed sic argumentantur quasi Catholici docerent Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ *eodem prorsus modo* quo Christus in sacra Scriptura et Traditione dicitur caput ejusdem Ecclesiæ. Atqui inter *capitalitatem* Christi et *capitalitatem* Romani Pontificis multiplex adest differentia :

a) Quoad *extensionem* : Christus est caput Ecclesiæ universæ, quatenus Ecclesia universa complectitur tum Ecclesiam militantem, tum Ecclesiam triumphantem, tum Ecclesiam patientem; Papa vero est caput tantum Ecclesiæ militantis.

b) Quoad *munia* : Relate ad Ecclesiam militantem, Christus dicitur ejus caput *principaliter ac potissimum in ordine vitæ supernaturalis gratiæ*; in quo ordine, ut optime explicat sanctus Thomas (*Sum. theol.*, III, q. VIII, a. 1), tria capitis munia adimplet scilicet : 1) primus venit in ordine divinæ intentionis, quia omnis gratia aliis datur per respectum ad gratiam ipsius; 2) primus item exstat perfectione gratiæ suæ; 3) primas demum tenet, quia est causa gratiæ aliorum, in eos influens vitam supernaturalem. Est etiam pleno jure caput Ecclesiæ unicum in ordine regiminis visibilis. Hoc tamen regimen visibile Ecclesiæ militantis non exercet ipse immediate, sed illud delegavit Petro et apostolis, eorumque successoribus, Petro quidem ejusque in sede Romana successori *universe, plenarie* et *independenter*; apostolis universe, sed dependenter a Petro; apostolorum successoribus, id est episcopis, ex parte et dependenter a Romano Pontifice. Unde *capitalitas* Romani Pontificis attenditur tantum quantum ad regimen visibile supremum, a Christo delegatum (seu vicarium) Ecclesiæ militantis. Papa est vicarius generalis Christi ad regendum visibiliter Ecclesiam militantem, diciturque caput supremum ejusdem Ecclesiæ, sed tantum quoad hoc regimen, non vero quantum ad alia munia Christi, corporis mystici capitis. Episcopi sunt vicarii dicunturque capita visibilia subordinata unius partis Ecclesiæ militantis.

Has necessarias distinctiones missas faciunt polemistæ anticatholici Orientis. Papamque quoad omnem capitis rationem Christo æquiparantes, in hunc modum ratiocinantur [1] :

Ecclesia est corpus Christi mysticum;

Atqui uni corpori unum tantum caput congruit;

Ergo Christus est unicum Ecclesiæ caput;

Ergo Papa non potest esse Ecclesiæ alterum caput.

Si illis respondeas Papam esse caput Ecclesiæ militantis tantum, et quidem sub uno respectu supremi regiminis visibilis, sic instabunt :

Regnum Christi seu Ecclesia est regnum spirituale et immortale, secundum Christi verba : *Regnum meum non est de hoc mundo;*

Atqui regno spirituali et immortali competit caput spirituale et immortale;

Ergo Papa, qui est homo mortalis, non potest esse caput regni spiritualis et immortalis, quod est Ecclesia. Cæterum monarchia papalis, ad instar regiminis sæcularis constituta, verbis Christi adversatur dicentis : *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos* (Mat., xx, 25-26) [2].

Aliis verbis expressam invenies eamdem objectionem apud diversos auctores. Philaretus Drozdov tibi dicet : « Ecclesia Christi sub nullo respectu potest esse *corpus* episcopi Romani; ergo vicissim Romæ episcopus sub nullo respectu est caput Ecclesiæ [3]. » Eugenius Akvilonov pronuntiat caput visibile pro Ecclesia esse prorsus inutile, cum Christus sit vivens, ubique præsens, invisibiliter sacramenta perficiens et totum regens corpus mysticum [4]. Idem auctor subjicit :

1. Hoc de capite argumentum habent polemistæ et theologi dissidentes fere omnes. Est argumentum vere classicum. Illud evolvit præsertim Akvilonov, *op. cit.*, p. 121 sq., qui dicit unum de duobus Catholicis necessario eligendum esse : « Aut Ecclesia est bicephala, aut sunt duæ Ecclesiæ. » P. 128.

2. Cf. Milasch, *op. cit.*, p. 290 : « Ἡ Ἐκκλησῖα εἶναι πνευματικὴ βασιλεία· ὡς τοιαύτη δὲ δύναται ἔχειν μίαν μόνην πνευματικὴν κεφαλὴν κεκτημένην τὸ σύνολον τῆς κυβερνητικῆς ἐξουσίας. » Avdias Vostokov, *op. cit.*, t. I, p. 10 sq.

3. *Dialogi* (versio græca Valliani), p. 99 : « Ἡ Ἐκκλησία ὑπὸ οὐδεμίαν ἔννοιάν ἐστι σῶμα τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης· διὸ ἀμοιβαίως οὔτε ὁ Ῥώμης ἐπίσκοπος ὑπὸ οὐδεμίαν ἔννοιάν ἐστι κεφαλὴ τῆς Ἐκκλησίας. »

4. *Op. cit.*, p. 123. Hac ratione eliminabis etiam omnes episcopos, omnem ecclesiasticam hierarchiam.

« Si pro Ecclesia visibili necessarius est aliquis Christi vicarius, qui est Romæ episcopus, quare sensus romano-catholicus non postulat etiam quemdam vicarium Christi pro Ecclesia cælesti et triumphanti[1]? »

Sed hæc veri nominis nugæ, quæ theologos minime decent. Ipsi theologi dissidentes hoc de uno Ecclesiæ capite sophisma nobis aperte diluunt ac penitus evertunt, dum in suis scriptis episcopos passim vocant capita Ecclesiarum quibus præsunt, Confessionum fidei sæculo XVII adversus Protestantes conscriptarum doctrinam in hoc sequentes. Cum enim Cyrillus Lucaris in cap. X suæ *Confessionis fidei* dixisset :

« Credimus Ecclesiam, quæ catholica vocatur, fideles in Christo universaliter comprehendere, qui vel defuncti in patria sunt, vel adhuc in vita peregrinantur. *Cum autem hujus Ecclesiæ caput nullatenus possit esse homo mortalis, ipse Dominus noster Jesus Christus est solus caput ejus, clavum totius regiminis Ecclesiæ in manu tenens. Attamen, quoniam in via exstant particulares Ecclesiæ et unaquæque secundum ordinem habet suum præsulem, hic nequaquam proprie vocatur particularis illius Ecclesiæ caput, sed abusive et improprie, quia in ipsa est membrum præcipuum* [2]. »

Hunc articulum diserte confutarunt theologi græci et russi sæculi XVII, docentes episcopos *vere et proprie dici capita suarum Ecclesiarum* et in ipsis locum Christi tenere, *esse Christi vicarios*. Audi primum Dositheum in *Confessione fidei*, c. X :

« Hujus autem catholicæ Ecclesiæ quum universim ac perenniter caput esse mortalis homo non possit, caput est ipse Dominus noster Jesus Christus, qui clavum ipse tenens in ea regenda, *gubernat per sanctos Patres*. Unde singulis Ecclesiis... præpositos et pastores, qui *non abusive, sed proprie earum principes sunt et capita, Spiritus Sanctus posuit episcopos*... Episcopus viva Dei imago est in terris, et participatione plenissima operationis Spiritus, sacrorum auctoris,

1. *Op. cit.*, p. 128.

2. « Διάτι δ'ὅμως ἐν τῇ παροικίᾳ αἱ κατὰ μέρος ἐκκλησίαι ὁραταί εἰσι καὶ κατὰ τάξιν ἑκάστη ἔχει τὸν προϊστάμενον, αὐτὸν μὴ καλεῖσθαι κυρίως κεφαλὴν τῆς μερικῆς ἐκείνης Ἐκκλησίας, ἀλλ'ἐν καταχρήσει, ὅτι ἐν αὐτῇ μέλος ἐστὶ προηγούμενον. » Kimmel, p. 30.

omnium fons Ecclesiæ sacramentorum, per quæ salutem obtinemus. Unde ut homini respiratio et sol mundo, ita necessarius in Ecclesia nobis videtur episcopus [1]. »

Petrus Moghila item in *Confessione orthodoxa* docet episcopos singulos suæ Ecclesiæ *capita* dici, quatenus sunt in propria diœcesi *vicarii Christi* et *capita particularia Ecclesiæ* [2].

Appellationem capitis episcopis tributam non abusivam esse, sed omnino congruam fuse demonstrat Meletius Syrigus in sua *Confutatione capitum Cyrilli*. Hoc nomen, inquit, a Christo, principali capite, participant ac mutuantur Ecclesiæ præsules, quemadmodum et vocantur christi, salvatores, pastores, doctores, pontifices. An dices forsitan hanc denominationem minime eis congruere, quod habeant supra se alterum caput, scilicet Jesum? Hac ratione sane ipsi Christo appellationem denegabis, quia, ut dicit Paulus, *caput Christi Deus*. Vel analogiæ leges ita ignorare finges, ut dicas episcopos per abusum dici capita, quasi Christus solus proprie sit caput, illi vero proprie membra tantum, et non metaphorice hæc omnia usurpentur? Tunc enim Christus caput tantum habebit, aliis carens membris; membra vero Ecclesiæ non erunt homines integri, sed singuli, capite truncati, unum tantum corporis humani membrum apparebunt[3]. »

Ante Meletium Syrigum, Meletius Pigas hunc loquendi

1. « Καὶ αὐτὸς τοὺς οἴακας ἔχων ἐν τῇ τῆς Ἐκκλησίας κυβερνήσει πηδαλιουχεῖ διὰ τῶν ἁγίων πατέρων. Καὶ διὰ τοῦτο ταῖς κατὰ μέρος Ἐκκλησίαις ἡγουμένους καὶ ποιμένας, καὶ ὅλως οὐκ ἐν καταχρήσει ἀλλὰ κυρίως ἀρχὰς καὶ κεφαλὰς τοὺς ἐπισκόπους ἔθηκε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον... Αὐτὸς ὡς ἀποστολικὸς διάδοχος... ζῶσά ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. » Kimmel, p. 436-438.

2. *Confessio orthodoxa*, I p., q. LXXXV : « Διατὶ ἂν λέγωνται καὶ εἰς τὰς Ἐκκλησίας οἱ προϊστάμενοι αὐτῶν ἀρχιερεῖς κεφαλαὶ αὐτῶν, τοῦτο πρέπει νὰ γροικᾶται πῶς αὐτοὶ εἶναι τοποτηρηταὶ τοῦ Χριστοῦ εἰς τὴν ἰδίαν του καθ'ἕνας ἐπαρχίαν καὶ κεφαλαὶ μερικαί. »

3. Ἀντίρρησις κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων, p. 51-53 : « Ἂ μὴ ἂν ἴσως καὶ διατὶ ἔχουσιν αὐτοὶ κεφαλὴν ὑψηλοτέραν ἀποπάνω τους, τὸν Ἰησοῦν, λέγεις πῶς δὲν πρέπει νὰ λέγονται κεφαλή. Τὸ λοιπὸν καιρὸς εἶναι καὶ εἰς ἐσένα νὰ μὴν ὁμολογᾷς μήτε τὸν Χριστὸν αὐτὸν κεφαλήν· κεφαλὴ γὰρ Χριστοῦ ὁ Θεός, λέγει ὁ Παῦλος... Ὁ ἄνθρωπος οὗτος, καθὼς φαίνεται, ὑποκρίνεται πῶς νὰ μὴν ἠξεύρῃ τοὺς νόμους τῆς ἀναλογίας. » P. 51*b*-52*a*.

modum usurpaverat ac diserte probaverat[1]; et ante Pigam pentarchiæ tenaces fere omnes, quorum verba infra ponemus. Nostris etiam diebus, apud multos auctores, episcopus titulis *capitis* et *vicarii Christi* decoratur[2]. Ex quo clare constat maximam differentiam inter Græco-Russorum positionem et dogma catholicum existentem in hoc esse, quod Græco-Russi multa Ecclesiæ capita visibilia, sub uno invisibili capite Christo, multos in terris Christi vicarios particulares ponunt, Catholici vero unum tantum caput supremum visibile sub uno invisibili, unum tantum Christi vicarium generalem, Romanum scilicet Pontificem. Unde eorum de uno capite argumentum supra descriptum in illorum caput recidit multum aggravatum; siquidem ex ipsorum loquendi modo et sententia corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, non erit bicephalum tantum sed polycephalum[3].

Nec instes doctrinæ unius capitis visibilis specialem inesse repugnantiam; tibi enim ostendam haud paucos Ecclesiæ tuæ theologos, etiam inter eos qui primatui Romano infensissimi sunt, fatentes alicujus primatus canonici constitutionem in Ecclesia ad bonum ipsius regimen maxime optandam esse[4], et antiquam Ecclesiam ad hanc ordinatio-

1. Pigas pluries vocat episcopos *capita Ecclesiarum*; cf. 'Ορθόδοξος διδασκαλία, p. 152; *Epist.* I *ad Kiovienses, ed. cit.*, p. 3; *Epist. ad Chienses, ibid.*, p. 27, ubi hæc habet : « Ἐν ταύτῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ μιᾷ, τῇ καθολικῇ πολλὰς οἴδαμεν τὰς κεφαλὰς τῶν κατὰ μέρος μεγάλων Ἐκκλησιῶν, τοὺς πατριάρχας δηλονότι τῶν θρόνων καθολικῶν, ὧν ἕνα τὸν τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης γνωρίζομεν. » Addit tamen unum tantum esse caput universale, κεφαλὴν καθολικήν, totius Ecclesiæ, scilicet Christum.

2. Barlaam adhuc schismaticus dixerat omnes episcopos esse *Christi vicarios* et apostolorum successores, in primo tractatu contra Papæ primatum : « Φανερὸν ὡς ἔστι μὲν καὶ αὐτὸς διάδοχος τοῦ ἀποστόλου Πέτρου καὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ βικάριος, οὐ μὴν αὐτός γε μόνος, ἀλλ' ἅπαντες οἱ ἱεράρχαι, ὅσοι τε ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου Πέτρου καὶ τῶν ἄλλων ἀποστόλων ἐχειροτονήθησαν, ἰσοτίμως εἰσὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ βικάριοι καὶ τῶν ἀποστόλων πάντων διάδοχοι, τῆς ἴσης ἀξίας καὶ ἐξουσίας μετασχόντες. » *Cod. Paris. 1218*, f. 525.

3. Cf., v. g., Mesoloram, *op. cit.*, p. 41. Anthimus VII, patriarcha œcumenicus, in sua *Epist. encyclica*, anno 1895 data, § 12, hæc habet : « Πᾶς ἐπίσκοπός ἐστι κεφαλὴ καὶ πρόεδρος τῆς ἑαυτοῦ κατὰ μέρος Ἐκκλησίας. »

4. Meletius Pigas, 'Ορθόδοξος διδασκαλία, p. 159-160, pronuntiat

nem sponte tendisse[1]; immo in hujus tractatus capite proxime sequenti deprehendes hunc primatum canonicum Ecclesiam Constantinopolitanam de facto per longum tempus usurpasse; alias vero Ecclesias, inter byzantinas autocephalas, hunc honorem ob diversas rationes ambiisse ac sibi vindicasse. Atqui præsul primatu canonico jurisdictionis decoratus caput visibile est totius Ecclesiæ *eodem modo* ac Papa est hoc idem caput; tota differentia ex *parte tituli* se tenet; hinc enim habes primatem seu caput *jure divino* constitutum; illinc vero primatem seu caput *jure ecclesiastico* creatum. Papa est caput visibile ab ipso Christo positum; tuus primas fuit, vel in posterum erit caput visibile ab Ecclesia positum; utrinque vero, secundum tuam argumentationem, corpus Christi mysticum bicephalum erit[2]. Tuum ergo in primatum Romanum telum propria manu retundis et ab ipso configeris.

primatum visibilem juris ecclesiastici necessarium esse ad servandam disciplinam et ad fratres inquietos corrigendos, dicitque primatum hujusmodi episcopo Constantinopolitano a Patribus congruenter fuisse concessum, quod Constantinopolis erat imperii sedes : ita, inquit, ad potestatem civilem facilis erat recursus, ut decreta ecclesiastica imperiali auctoritate sancirentur et ad effectum perducerentur. Novissime C. Andrutsus, 'Εκκλησία καὶ πολιτεία, Athenis, 1920, p. 107, optandam declaravit pro Ecclesia orthodoxa institutionem alicujus auctoritatis centralis et communis ad instar Romani papatus. Multi dissidentes nostri ævi ejusdem sententiæ sunt, quanquam autocephalismi tenaces institutioni hujusmodi adversantur, inter quos est A. Beliaev, qui dicit, *op. cit.*, p. 100 : « Concilia œcumenica ex se excludunt ipsum conceptum unius capitis visibilis pro tota Ecclesia. »

1. Juxta Lebedev, *De primatu Papæ*, p. 172-177 et 202, Ecclesia sponte tendit ad sibi constituendum aliquem primatum canonicum seu auctoritatem centralem communem, utpote perfectissimam regiminis speciem; quam nondum assecuta est ob Romanorum Pontificum culpam et superbiam : « Quædam hujus regiminis adumbratio in primæva Ecclesia, inquit, jam inceperat, et primatus quidam episcopo Romano agnoscebatur; at Papæ historicam hujus primatus evolutionem præverterunt et anticiparunt; separatio autem Ecclesiarum accidit priusquam hujusmodi canonici primatus jura ac privilegia certis legibus definirentur. » Infelices sane illi, qui adhuc quærunt quod Christus suæ Ecclesiæ a principio dare non neglexit.

2. C. Tondini uni ex suis scriptis hunc titulum acute præfixit : *Le Pape de Rome et les Papes de l'Eglise orthodoxe d'Orient*, Parisiis, 1876. Revera systema autocephalismi in hoc totum consistit quod capita

2. *Ratio ex titulo :* VICARIUS CHRISTI *petita.* — Aliam rationeme Reformatorum promptuario primum haustam adversus papatum evolvunt polemistæ russi recentiores, ii præsertim qui Slavophilorum spiritum ebiberunt; quæ argumento præcedenti valde quidem cognata est ac vicina; ex titulo tamen *Vicarii Christi* Papæ adscripto directe peti videtur. Hac propositione concipitur tota : « Dignitas papalis summæ Christi dignitati detrahit eique gravem infert injuriam, quatenus primatum ejus universalem in obscuro ponit, a fidelium oculis et mente removet, ita ut ipsi non jam Christo capiti directe uniantur, sed Papæ vices Christi gerenti immediate conjungantur, per Papam vero quasi per mediatorem Christo religentur ac connectantur [1]. » Quam perniciosa sit hæc Papæ mediatio; quanta pariat pro Ecclesia universa detrimenta; quam damnosas pro singulis fidelibus inferat consequentias, vehementi ac copioso stylo describunt isti polemistæ; quos postquam audieris, illos somniare quominus dicas, te cohibere vix poteris.

Primum luctuosas tibi recitant consequentias quantum ad rectam veritatis apprehensionem. Systema papismi, ait Alexander Lebedev, rerum veritati cognoscendæ Catholicos reddit impares illosque facultatis recte judicandi ac ratiocinandi expertes reddit. Præjudiciis imbuti, theologi catholici partium studio ac fanatismo indulgent, dum sacras Scripturas et Patrum dicta interpretantur. Eorum de divinis scientia prorsus pharisaica est, ab extrinseco tota procedens, a sanctitate vitæ disjuncta; quam Scholasticæ nomine decorant. Scholastica est genuinus papismi fructus; siquidem secundum Papistarum doctrinam, infallibilitas pontificia a privata sanctitate Papæ est omnino independens; omnibus indulgeat ille vitiis, semper manet infallibilis. Talis scientia sophistas gignit et ad rationalismum sponte ducit [2].

Nec minus funestæ sunt, secundum eumdem auctorem,

visibilia Ecclesiæ ab invicem omnino independentia multiplicat pluresque papas constituit; sed multiplicando papas, de facto multiplicat etiam Ecclesias, et Ecclesia una evanescit.

1. Hoc argumentum fuse evolvit et in suo opere *De principatu Papæ* pluries repetit A. Lebedev; cf. p. 39-50, 118-128, 330-339.
2. Alexander Lebedev, *op. cit.*, p. 74-78, 220-227, 323-329, 353-367.

papismi consequentiæ in ordine vitæ religiosæ et moralis. Catholicus veram in Christum fidem habere non potest, quia mentis oculos non ad Christum, sed ad ejus vicarium conversos et intentos habet. Papa Christi loco ei est. Cæterum, quare ad Christum se convertat, cum Papa omnes Christi prærogativas, omnem potestatem possideat [1]?

Una cum fide in Christum, Catholicus meritum omne item amittit; fides enim ex hoc suum trahit meritum, quod in invisibilia et insensibilia feratur. Atqui Catholicus in Papam visibilem ac tangibilem Christique vices quoad omnia gerentem tantummodo credit [2].

Insuper Catholicus veram Christi similitudinem adipisci eique conformis fieri nequaquam potest, cum Christum videat et intueatur non prout in seipso est, sed prout in persona Papæ, ad quem unice respicit, repræsentatur. Atqui Papa non præ se fert formam Christi [3].

Ad vitam moralem quod spectat, duplex est papismi fructus : tyrannis nempe et spiritus servitutis, tyrannis in Papa (quanquam ipse Papa est Curiæ Romanæ servus et quasi captivus) [4], servitus in Ecclesia. Præcipua Papæ virtus non est fides, sed propriæ excellentiæ et plenitudinis potestatis, qua potitur, conscientia, Ex hac conscientia oritur ejus ad dominatum et tyrannidem propensio. Ecclesia vero est Papæ serva, cujus præcipua virtus est obedientia cæca et ad omnem Papæ voluntatem humile obsequium [5].

Hæc et ejusdem generis alia multa A. Lebedev, qui ad hanc devenit conclusionem : « Papismus latinus verbo Dei condemnatur. Catholici a Christo separati manent et a gratia Dei exciderunt [6]. » Nec solus est qui talia proferat,

1. A. Lebedev, *op. cit.*, p. 50, 111, 330-339.
2. *Ibid.*, p. 51.
3. *Ibid.*, p. 51-52.
4. Lebedev romanam Curiam comparat alveario, cujus apis regina est Papa. Hic vivit quasi in carcere detentus, a Curia arcte custoditus, cui semper timendum ne veneno inficiatur, p. 119-122, 214-218. Tria præcipua sunt papicæ unitatis fulcimenta : cælibatus ecclesiasticus, ordines religiosi, præsertim vero jesuitæ, et Curia romana, p. 119.
5. *Ibid.*, p. 52-55, 57-58.
6. *Ibid.*, p. 58.

nec primus. Ejus in papatum et Ecclesiam catholicam commenta et deliramenta in compendiis recentioribus theologiæ polemicæ ad usum seminariorum Russiæ paucis contracta invenies [1]. Nihil vero apud polemistas nostri ævi frequentius occurrit quam ambitionis et tyrannidis criminatio Romanis Pontificibus illata [2].

3° *Ratio ex defectu specialis sacramenti papatum conferentis.* — Nilum Cabasilam supra audivimus dicentem Papam non esse aliis episcopis superiorem, eo quod non recipiat ordinem simplici episcopatu majorem. Hanc rationem resumunt theologi russi recentiores, et in hunc modum evolvunt ac expoliunt :

Intelligi non potest quomodo papatus suprema potestas privilegiaque ei annexa ex apostolo Petro ab uno Papa ad alium Papam successione transmittantur. Potuerit quidem Petrus apostolus tales prærogativas a Jesu Christo utpote Petro superiore, immediate accipere; nihil vero simile deprehendimus in translatione hujusmodi privilegiorum ab uno Papa ad alterum. Ad tradenda enim extraordinaria ac summa jura papalia, necessaria esset tum auctoritas quæ Papam præcelleret, tum speciale sacramentum, per quod hujusmodi privilegia communicarentur. Atqui neutrum existit, Papa enim, juxta Catholicos, superiorem non habet nec specialem ordinationem præter episcopatum communem recipit. Ergo papatus, monarchia papalis, est

1. Cf., v. g., Perov, *Theologia polemica*, p. 109-112, qui suis *Animadversionibus de doctrina morali Ecclesiæ latinæ* hanc finem imponit : « Doctrina de principatu Papæ, commenticii vicarii Christi, non solum secum trahit longam dogmatum seriem omni fundamento in divina Revelatione carentium, sed etiam totam structuram et harmoniam vitæ moralis et spiritualis in Christum credentium pervertit, eos efficiens non membra Ecclesiæ ejus, cum eo tanquam cum unico capite se conjungere totis viribus adnitentia, sed dociles ministros studiorum hominis peccatoris, proprii commodi propriæque excellentiæ amore ducti, qui audacter ac violenter pro Deo se venditat. » P. 112.

2. Damalas, Περὶ αρχῶν, p. 104, eo usque devenit ut proferat Papam a Turcarum sultano nihil differre : « Ἡ ἐξουσία, ἣν ἀπὸ τοῦ σχίσματος αὐτοῦ καὶ τοῦ σφετερισμοῦ τῆς κοσμικῆς ἐξουσίας ἐξασκεῖ, κατ᾽οὐδὲν διαφέρει τῆς τοῦ Σουλτάνου καὶ τῶν ἄλλων πολιτικῶν καὶ θρησκευτικῶν τυράννων, ὡς πρὸς τὴν φύσιν καὶ ἀρχὴν αὐτῆς. »

mera institutio humana, a Christi proposito aliena, veræ Ecclesiæ indoli contraria [1].

Mirandum sane est quod theologi russi, postquam hæc dixerint, alteram criminationem huic primæ prorsus contrariam proferant, asserentes primatum Papæ in Ecclesia romana haberi ut verum sacramentum, ut gradum supremum sacerdotii, gratiam sanctificantem conferentem, ut unicum et solum gratiæ instrumentum pro toto corpore Ecclesiæ [2]; unde Catholicos communiter accusant quod notiones canonicas cum dogmaticis confundant ac permisceant, cum ipsi hujusmodi confusionis potius rei sint hacque culpa teneantur, dum non distinguunt in casu inter potestatem jurisdictionis et potestatem ordinis; siquidem jurisdictio ut talis absque sacramenti actione communicari potest, nec gratiam subjecto confert, sed potestatem regendi ac docendi subditos; porro primatus privilegia ad potestatem jurisdictionis pertinent, non ad potestatem ordinis. Hoc tamen non impedit quominus plena jurisdictionis potestas, qua ex jure divino gaudet successor Petri, Romanus Pontifex, ad dogma pertineat; pertinet sane, sicut etiam ad dogma pertinet potestas juridisctionis ordinaria episcoporum a Christo instituta et sub successoris Petri suprema auctoritate exercenda.

4° *Ratio ex effectibus et consequentiis primatus.* — Trita est non solum apud Orientales dissidentes, verum etiam apud omnes papatus adversarios, illa objectio, quæ ex consequentiis Romani primatus desumitur, hisque verbis concipitur : Plena jurisdictionis potestas cum privilegio infallibilitatis conjuncta, quam Catholici Papæ tribuunt, dignitatem episcopalem ad nihilum redigit. In systemate papismi, episcopi non sunt nisi Vicarii Christi humiles vicarii. Præterea, concilia œcumenica inutilia prorsus evadunt omnique momento destituuntur [3].

1. A. Lebedev, *op. cit.*, p. 28, 96-98, 137-138, 351-353; Malinovskii, p. 300; Perov, p. 61; Truskovskii, p. 47-49; Akvilonov, *op. cit.*, p. 129 sq.

2. Cf. quæ in tomo III dicta sunt, p. 391.

3. Cf., v. g., Lebedev, *op. cit.*, p. 214-218; Mesoloram, *op. cit.*, p. 54; Sakellaropulum, Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον, p. 9.

Ad hæc ad hominem respondere quis poterit : Qui Papæ obedientiam detrectat necessario Cæsari servit; vel si Cæsar abest, Ecclesia in sectas abit. Oriens christianus, ex quo a Romani Pontificis auctoritate se exemit, nullum concilium œcumenicum novit sed plura habuit concilia particularia in decretis frequenter invicem adversantia; immo, ut vidimus, secundum multos theologos græco-russos, novum concilium œcumenicum, stante schismate, amplius haberi non potest. Ecclesia græco-russica septem numerat concilia œcumenica; Ecclesia catholica, decem et novem, præter innumeras synodos particulares.

5º *Ratio sumpta ex eo quod Joannes apostolus Petro superstes fuit.* — Specialem repugnantiam et incongruentiam in doctrina de primatu Romano detegunt Nectarius, Philaretus Drozdov et alii ex eo quod Joannes apostolus, Jesu discipulus præ aliis dilectus, Petro per longum tempus supervixit. Si enim Petrus successorem in primatu jurisdictionis habuerit, Joannes hujus successoris auctoritati fuit obnoxius. Quis autem tolerare possit Joannem apostolum Lino vel Clementi fuisse subordinatum [1]?

Ad quod respondendum : Si Joanni hoc dedecori non fuit, quod Petro, apostolorum principi, submitteretur, neque eo indignum fuit quod a Petri successoris auctoritate secundum Christi ordinationem independens non fuerit, quamvis Joannes charismatibus apostolatus, quibus donatus fuerat, Lino vel Clemente in quibusdam excelluerit.

Hæ sunt rationes præcipuæ, quas contra primatum Romani Pontificis urgere solent Græco-Russi. Multa autem alia absurda vel nugatoria contra eumdem in polemistarum scriptis invenies. Unus, v. g., tibi dicet Papam « in manibus habere claves inferni, purgatorii et paradisi; per indulgentias peccatoribus supplere ipsorum defectus in bonis operibus;

1. Philaretus, *Dialogi, ed. cit.*, p. 98. Joanni addit Philaretus Simonem Zelotam, Domini cognatum, qui fuit Hierosolymorum episcopus; cf. etiam Alexandre Stourdza, *Considérations sur la doctrine et l'esprit de l'Eglise orthodoxe*, Weimar, 1816, p. 124-125. Idem argumentum maxime urget Nectarius, *op. cit.*, p. 251-252 : « Quis audiens dicentem non probris excipiat, ut scilicet discipuli apostolorum essent super apostolos ratione successionis Petri? »

tempus eorum purificationis in purgatorio abbreviare et in paradisum transmittere[1]. » Alius de Papæ omnipotentia sequentia profert : « Quandoquidem ille vocari *Deus* appetit, ergo facere potest etiam Dei operationes? Ut Romani dicunt : *Omnia potest.* Ergo jubere poterit ut producat terra novas arbores, sicut Deus? Ergo imperare valet vento et mari ut quiescant, sicut fecit Christus? Ergo quodcumque opus agere potest ut se Deum esse demonstret? Non credo[2]. » Multa etiam acerbissima in Romanos Pontifices qua reges temporales scripserunt. Hoc ipsum modicum temporale dominium, *Civitas Vaticana* nuncupatum, quod post pacta recentissima Papa sibi retinuit, apud quosdam polemistas gratiam non invenit; quod unioni in sacris inter Orientem et Occidentem procurandæ maximum pronuntiavit impedimentum unus ex Universitatis Atheniensis professoribus [3].

1. Malinovskii, *op. cit.*, p. 298.

2. Gabriel Severus, Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα, p. 27 : « Ἐπειδὴ καὶ ἐκεῖνος ἐπιθυμεῖ νὰ κάληται θεός, ἄρα δύναται νὰ κάμῃ καὶ τὰς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ; καθὼς οἱ Ῥωμαῖοι λέγουσιν· omnia potest. Ἄρα δύναται νὰ προστάξῃ τὴν γῆν νὰ γεννήσῃ καὶ νὰ ἐκβλαστήσῃ ἄλλα νέα δένδρα, καθὼς ὁ Θεός;... Ἄρα δύναται νὰ προστάξῃ τὴν θάλασσαν ἢ τὸν ἄνεμον νὰ ἡσυχάσῃ, καθὼς ὁ Χριστός;.... Οὐ νομίζω. »

3. Hamilcarus S. Alivisatos, in diario *Le Messager d'Athènes*, 19 februarii 1929 : « Il n'aurait pas fallu demander et obtenir la reconnaissance ad *majorem Dei gloriam* du pouvoir temporel et du caractère temporel du Pontife romain. Il aurait fallu les repousser au contraire pour réussir quelque chose de plus important que le rapprochement du Vatican avec le Quirinal : le rapprochement de l'Orient et de l'Occident. Peut-on nier que l'abandon de la temporalité aurait supprimé pour la Papauté la majeure partie des obstacles qu'elle porte en elle-même et qui empêchent l'entente avec l'Orient?... Après l'événement historique qu'est le traité de Saint-Jean de Latran, les deux mondes s'écartent plus définitivement l'un de l'autre. »

CAPUT QUINTUM

DE PRIMATIBUS ORIENTALIBUS

Prænotamina.

Si plerosque modernos Autocephalistas audias, ipsa notio primatus jurisdictionis unius præsulis in Ecclesiam universam constitutioni Ecclesiæ Christi repugnat, quatenus alterum caput præter Christum illi tribuit et concilium œcumenicum evacuat. Qui ita loquuntur oblivioni mandant Ecclesiæ byzantinæ historiam a sæculo IV usque ad sæculi XIX limen. Ut in tomo primo hujus operis fuse ostendimus, episcopi Constantinopolitani, inde a sæculo IV finiente, et præsertim post synodum Chalcedonensem, nihil antiquius habuerunt quam ut suam supremam jurisdictionem in totum Orientem extenderent, aliis patriarchis præminerent, et jura vere papalia obtinerent. Ut autem ad hoc pervenire possent, fundamentum dogmaticum primatus Romani Pontificis evertere necesse erat. Hoc verbotenus saltem tentarunt canonis vigesimi octavi Chalcedonensis redactores, Romanæ sedis præeminentiam non ex jure divino, sed ex civili gradu urbis deducentes. Unde honorem parem, privilegia iis, quibus gaudebat Romanus Pontifex, æqualia præsuli Novæ Romæ pro Oriente tribuere intenderunt, dum et ejus immediatæ jurisdictionis limites haud parum extenderunt, et quoddam jus appellationis pro toto Oriente ei concesserunt, hac consideratione moti, quod « civitas imperio ac senatu decorabatur ». Verum hic Novæ Romæ primatus, principio mere humano innixus, perennitatem sibi promittere non valebat. Temporum enim decursu, aliæ Romæ, alia imperii terrestris capita exorta sunt. Unde accidit, ut sedes Constantinopolitana non unam in Oriente æmulam ac primatus competitricem invenerit. Prima surrexit Mosqua, quæ postquam Constantinopolis sub Infide-

lium ditionem redacta est, tertia Roma esse voluit. Interdum etiam, etsi timidius, Jerusalem suas ad primatum petitiones venditavit, vel illius loco jura ejus alii exserere tentarunt, donec nostris diebus in autocephalismum proprie dictum delapsum est, consummato casu illius primatus sedis Constantinopolitanæ, quem super fundamenti terrestris arenam constituerat canon 28 Chalcedonensis. De hoc primatu Constantinopolitano, qui per multa sæcula duravit, necnon de aliis primatibus, qui temporum decursu vix lucem aspexere, neglecta autocephalismi expositione, quæ jam data est, in præsenti capite tractare intendimus; quod tribus articulis perficiemus, scilicet :

Articulus I : De primatu Constantinopolitanæ sedis;
Articulus II : De Mosqua, tertia Roma;
Articulus III : De primatu sedis Hierosolymitanæ.

ARTICULUS I

De primatu Constantinopolitanæ sedis.

Haud pauca de hoc primatu jam diximus tum in tomo I hujus operis, ubi ejus exordia ac continuos per sæcula V-IX progressus descripsimus, tum in hoc de Ecclesia tractatu, ubi et de illius præsenti conditione disseruimus (c. III), et ejus prærogativas primatiales enumeravimus prout tempore Photii in Basilii Macedonii *Epanagoge* delineatæ sunt (*Prænot.*, ad c. IV). Restat ut de ejus existentia, natura et exercitio per epocham byzantinam, inde a perfecto Ecclesiarum dissidio, et per epocham modernam, usque ad plenum autocephalismi triumphum, quædam subjiciamus.

I. — Natura hujus primatus.

Quidquid in contrarium dicant hodierni Autocephalistæ, primatus Constantinopolitanæ sedi olim tributus et usque ad recentiora tempora de facto etiam in alios patriarchas Orientis exercitus, non fuit meri honoris vel præcedentiæ, sed primatus jurisdictionis veri nominis. Hoc constat pri-

mum ex documentis, quibus tanquam fundamento innititur. Canonem quidem 3 concilii Constantinopolitani I de simplici honoris primatu haud ægre interpretari quis possit (τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς), quamvis historica facta, quæ concilium subsecuta sunt, huic interpretationi refragentur; canon vero 28 synodi Chalcedonensis, præterquam definit notandam patriarchatus byzantini extensionem, Novæ Romæ præsulem Romano Pontifici quadamtenus æquiparat, dum *æqualia privilegia* τὰ ἴσα πρεσβεῖα, ei tribuit. In his verbis : τὰ ἴσα πρεσβεῖα instituerunt patriarchæ Constantinopolitani, præsertim post Ecclesiarum separationem, ut omnia jura papalia, etiam illa quæ in documentis apocryphis, ut, v. g. in *Donatione Constantini*, circumferebantur, sibi vindicarent; quibus in suis commentationibus suffragati sunt canonistæ. Inter jura papalia occurrit jus recipiendi appellationes (τὰς ἐκκλήτους) ex omnibus aliis Ecclesiis; quod canones Sardicenses Romano Pontifici expresse adscripserant. Atqui canones 9 et 17 Chalcedonenses eamdem facultatem, quanquam timide, pro omnibus Ecclesiis Orientis, sedibus majoribus seu patriarchalibus non exceptis, episcopo Constantinopolitano tribuunt. Animadvertendum est item in eodem canone 28 Chalcedonensi latere principium theoriæ de translatione primatus de Vetere Roma ad Novam. Hujus principii logicam consequentiam deducere non obliti sunt præsules byzantini post schisma perfectum, ut Papæ vices in tota Ecclesia separata gererent.

Hæc prima privilegia renovavit synodus Trullana in suo canone 36. Imperatores vero nova addiderunt. Justinianus I, quanquam haud uno decreto vel documnteo primatum Romani Pontificis agnovit, Ecclesiam constantinopolitanam titulo *capitis omnium Ecclesiarum*, κεφαλὴ πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν, in *Codice*, I, 2, 24, decorat. Sæculo autem IX circa finem vergente, sedis Novæ Romæ privilegia in Basilii Macedonii *Epanagoge* recensentur : jus appellationes recipiendi, sententias ultimum recognoscendi et controversiis finem imponendi; jus stavropegii, jus inspectionis in alias sedes [1]. Hæc omnia sane plus quam merum honoris primatum

1. Cf. t. I hujus operis, p. 151-153.

significant, sed supremam jurisdictionem etiam in cæteras patriarchales sedes important [1]. Hanc supremam jurisdictionem in Ecclesiam universam, perfecto jam schismate, patriarchæ Constantinopolitani, *œcumenici* dicti, tum verbis sibi vindicarunt, tum de facto usurpaverunt; immo auctoritatem ejusmodi eis communiter tribuerunt et agnoverunt canonistæ, theologi et ipsi orientales patriarchæ antequam autocephalismi systema in Oriente dissidenti prævaleret.

II. — Patriarchæ Constantinopolitani verum jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam sibi vindicarunt.

Plurima exstant patriarchatus Constantinopolitani authentica documenta, in quibus œcumenici præsules verum jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam et magisterium universale expetiverunt. Aliquot textus inter multos ob oculos lectoris ponamus.

Isaias patriarcha (1323-1334) Armenorum Catholico, qui una cum sua Ecclesia unionem cum Ecclesia byzantina perficere volebat, anno 1330 hæc rescribebat :

1. Hoc libenter fatentur quidam docti inter dissidentes recentiores ut T. Barsov, *Konstantinopolskii patriarch i evo vlast nad Russkoiu Tserkviiu* (*Constantinopolitanus patriarcha ejusque in russicam Ecclesiam auctoritas*), Petropoli, 1878, p. 232 sq.; A. P. Lebedev, in suo opere jam laudato, *Clerus antiquæ Ecclesiæ œcumenicæ*, p. 216 sq., 243; Callistus archimandrita, in dissertatione p. 259, n. 2, supra laudata, qui hæc habet, *loc. cit.*, p. 17 : « Ὁ οἰκουμενικὸς πατριάρχης, ὡς πρῶτος πάσης τῆς χριστιανικῆς ἀνατολῆς, εἶχε τοιαῦτα προνόμια, ὧν ἐστεροῦντο οἱ λοιποὶ πατριάρχαι... Κατὰ τὰ ἰδιαίτερα προνόμια ἐξισοῦτο πρὸς τὸν πάπαν τῆς Ῥώμης ἐν τῇ δύσει, καὶ κατεῖχε τὴν αὐτὴν θέσιν καὶ σημασίαν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τῆς Ἀνατολῆς. » Item, p. 23 : « Ἡ ἐξεταζομένη ἐξουσία τοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως δέον νὰ ἀναγνωρισθῇ ὡς ἰδία ἐξουσία προεστῶτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἀνατολῇ, ἐν τοιαύτῃ ἐννοίᾳ, ὅτι ἀνυψοῦτο ὑπὲρ τοὺς λοιποὺς πατριάρχας οὐ μόνον κατὰ τὴν θέσιν καὶ τὴν τιμὴν τῆς ἕδρας αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν πραγματικὴν ἐκδήλωσιν τῆς ἀνηκούσης αὐτῷ ἐξουσίας, ἔχουσαν ὑποχρεωτικὴν δύναμιν διὰ τοὺς ἄλλους πρωθιεράρχας : Hæc, de qua nunc sermo, Constantinopolitani patriarchæ auctoritas habenda est tanquam specialis potestas primatis in toto Oriente, quatenus patriarcha œcumenicus supra cæteros patriarchas exaltabatur non tantum secundum ordinem et honorem sedis suæ, sed secundum realem manifestationem auctoritatis ipsi propriæ, vim legis habentem pro cæteris patriarchis. »

« Dominus, præ sua misericordia, vos, quos tamdiu communis hostis separaverat, *ad communem matrem Ecclesiarum* reduxit; *quandoquidem nos matris loco sumus et vobis et omnibus qui christiani esse volunt hocque nomine censeri*, sicut et vos optime scitis. Ex nobis enim sacra pietatis dogmata per universum orbem dimanant; ex nobis tanquam ex fonte et sanctorum Patrum disciplinæ et sacrorum conciliorum decreta in Ecclesiæ plenitudinem diffusa sunt [1]. »

Patriarcha Callistus (1º, 1350-1354), cum de jurisdictione in quoddam monasterium Constantinopoli situm cum patriarcha Antiocheno litigaret, huic in memoriam revocavit primatum Constantinopolitanæ sedis :

« Si hæc, inquit, Constantinopolitana sedes, utpote œcumenica, a divinis et sacris canonibus privilegium jamdudum habet investigandi et examinandi necessarias quascumque causas ecclesiasticas, quæ universi orbis Ecclesiis incidunt, quanto magis hic, in nostra hac civitate magna, ubi Dei judicio et imperiali decreto hæc patriarchalis sedes firmata est [2]. »

Idem Callistus (2º, 1355-1363) in *Epistola ad clerum Trinovii* de contumacia patriarchæ hujus civitatis, qui patriarchæ œcumenici nomen intra sacras actiones recitare omittebat, sua jura primatialia his verbis iterum declaravit :

« Si Constantinopolitana sedes cæterorum patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni et Hierosolymitani sententias retractat, componit, approbat et confirmat, sicut jubent sacri canones et ecclesiastica praxis testatur, quanto magis Bulgarorum Ecclesiæ dominabitur hæc nostra sedes, quæ

1. « Πρὸς τὴν κοινὴν μητέρα τῶν Ἐκκλησιῶν... προσδραμεῖν καθωδήγησεν, ἐπειδὴ καὶ μητρὸς λόγον ἡμεῖς ἐπέχομεν πρός τε ὑμᾶς καὶ πάντας τοὺς βουλομένους χριστιανοὺς καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, ὡς καὶ ὑμεῖς ἀκριβῶς ἴστε. Καὶ γὰρ ἐξ ἡμῶν τὰ ἱερὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα ἀνὰ πᾶσαν φοιτῶσι τὴν οἰκουμένην, ἐξ ἡμῶν αἱ διδασκαλίαι τῶν ἁγίων πατέρων ὡς ἀπὸ πηγῆς τινος εἰς τὸ τῆς Ἐκκλησίας πλήρωμα ἐξεχύθησαν. » *P. G.*, t. CLII, col. 1208 BC; cf. F. Miklosich et Muller, *Acta patriarchatus Constantinopolitani*, t. I, p. 159.

2. *P. G., ibid.*, col. 1359 A : « ἅτε δὴ οἰκουμενικὸς ὤν, προνόμιον ἔκπαλαι κέκτηται παρὰ τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων εἰς τὰς ἑκασταχοῦ τῆς οἰκουμένης Ἐκκλησίας τὰ παρεμπίπτοντα ἐν αὐταῖς ἐκκλησιαστικὰ ἀναγκαῖα ζητήματα διερευνᾶν καὶ ἐξετάζειν. »

ei concessit, ut ejus præsul nomen patriarchæ haberet [1]. »

In publicis litteris et documentis, patriarchæ œcumenici tam antiqui quam recentiores nihil solemnius habent quam ut se prædicent omnium christianorum communes patres, pastores, curatores; *omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerere se dicant*; suam sedem Constantinopolitanam Ecclesiarum *communem matrem, universale caput ac principium jactent*, quæ etiam in cæteros patriarchales thronos suam maternam extendat curam ac auctoritatem, et hoc divino jure ac nutu. Philotheus patriarcha (2º, 1364-1376), mense junio anni 1370 ad Demetrium, magnum ducem Russiæ, hæc scribebat :

« Ego sane, secundum debitum, cujus debitor sum erga christianos, qui ubique terrarum sunt, utpote *communis pater desursum a Deo constitutus*, semper sollicitus sum et angor de eorum salute [2]. »

Eadem occasione, et ad alios Russiæ principes Philotheus suum in universam Ecclesiam principatum et magisterium fusius explicabat :

« Quandoquidem Deus nostram mediocritatem constituit præpositum omnium qui in terra sunt christianorum, animarumque illorum curatorem ac tutorem, *ad me, utpote omnium patrem ac doctorem, pertinent omnes.* Unde si omnes orbis civitates ac regiones ipse peragrare possem, in eisque Dei verbum prædicare, hoc profecto acturus essem, cum hoc mihi officium; cum autem istud fieri non possit... mediocritas nostra optimos ac virtute præcellentes homines eligit, quos ordinat ac constituit pastores, doctores et episcopos, mittitque in diversas partes orbis terræ [3]. »

1. *Ibid.*, col. 1384 BC : « Ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνος καὶ τὰς τῶν ἄλλων πατριαρχῶν κρίσεις... καὶ ἐπανακρίνει καὶ διευθετεῖ καὶ ἐπιψηφίζεται καὶ τὸ κῦρος δίδωσιν, ὡς οἱ θεῖοι κανόνες διαγορεύουσι καὶ αἱ πράξεις ἐπεμαρτύρησαν. »

2. Miklosich et Müller, *op. cit.*, t. I, p. 516 : « Ἐγὼ γοῦν κατὰ τὸ χρέος, ὅπερ ὀφείλω ὡς κοινὸς πατὴρ ἄνωθεν ἀπὸ Θεοῦ καταστὰς εἰς τοὺς ἁπανταχοῦ τῆς γῆς εὑρισκομένους χριστιανούς, ἀεὶ καὶ σπουδάζω καὶ ἀγωνίζομαι ὑπὲρ τῆς σωτηρίας αὐτῶν. »

3. *Ibid.*, p. 521 : « Ἐπεὶ γὰρ ὁ Θεὸς τὴν ἡμῶν μετριότητα ἔταξεν προστάτην τῶν ἁπανταχοῦ τῆς οἰκουμένης εὑρισκομένων χριστιανῶν καὶ κηδεμόνα καὶ φροντιστὴν τῶν ψυχῶν αὐτῶν, πάντες εἰς ἐμὲ ἀνάκεινται,

Nec suæ universalis paternitatis minus conscius est patriarcha Nilus (1379-1388), qui testatur se a Deo accepisse curam ac sollicitudinem Ecclesiæ universæ[1], appellatque Magnam Constantinopolis Ecclesiam commune decus ac gloriationem omnium christianorum, pietatis radicem ac fontem[2].

Post Urbem a Turcis captam, patriarchæ œcumenici de suis petitionibus papalibus nihil remittunt, quippe qui, nedum sua priora privilegia amiserint suam auctoritatem spiritualem jurisdictione civili in christianos sub Turcarum jugo redactos ex voluntate Sultanorum cumulant. Unde Romanorum Pontificum instar, de sua sede, de suo munere frequentius ac disertius quam antea loquuntur.

Maxime notanda sunt verba Jeremiæ II in ipso synodali tomo, anno 1590, mense maio dato, quo patriarchatus Mosquensis constituebatur : Novus patriarcha Jobus jubetur habere « apostolicam sedem Constantinopolitanam *tanquam caput et principem*, sicut et eam habent alii patriarchæ[3]. Idem Jeremias, in *Responso I ad Tubingenses theologos*, c. 13, Ecclesiam Constantinopolitanam appellat *Ecclesiarum patriam*, hancque Novam Romam dicit accepisse Orthodoxiæ primatum atque inter alias Ecclesias locum capitis obtinere : πατρὶς τῶν Ἐκκλησιῶν. καὶ ἡγεμονεῖ ἐν τῇ γνώσει... τὰ πρεσβεῖα τῆς ὀρθοδοξίας εἴληφε καὶ εἰς κεφαλὴν τέτακται.

πατέρα ὄντα καὶ διδάσκαλον πάντων. Εἰ μὲν οὖν ἦν δυνατὸν ἐμὲ αὐτὴν διέρχεσθαι τὰς ἀπανταχοῦ τῆς γῆς πόλεις καὶ χώρας. καὶ διδάσκειν ἐν αὐταῖς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ἔμελλον τοῦτο ποιεῖν ἀπαραιτήτως, ἐπειδὴ τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον· ἐπεὶ δὲ ἀδύνατον..., ἐκλέγεται ἡ μετριότης ἡμῶν τοὺς κρείττονας καὶ προέχοντας ἀνθρώπους κατ'ἀρετήν, καὶ καθίστησι καὶ χειροτονεῖ ποιμένας καὶ διδασκάλους καὶ ἀρχιερεῖς, καὶ πέμπει πρὸς τὰ μέρη τῆς οἰκουμένης. »

1. *De translatione metropolitæ Cotyaei*, nov. 1382, *ibid.*, t. II, p. 45 : « Τῇ ἡμῶν μετριότητι, τὴν τῆς οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας φροντίδα καὶ μέριμναν δεξαμένῃ παρὰ Θεοῦ. »

2. *De electione metropolitæ Bidynæ, ibid.*, t. II, p. 29 : « Τὴν μεγάλην Ἐκκλησίαν, τὴν κοινὴν τῶν ἀπανταχοῦ χριστιανῶν δόξαν καὶ τὸ καύχημα καὶ αὐτὴν τὴν ῥίζαν τῆς εὐσεβείας καὶ τὴν πηγήν. »

3. Textus genuinus hujus tomi asservatur in *Archivio Mosquensi* Ministerii rerum exterarum (*Documenta græca*, n. 5), quem edidit W. Regel, *Analecta byzantino-russica*, Petropoli, p. 85-91 : « καὶ κεφαλὴν αὐτοῦ καὶ πρῶτον ἔχειν καὶ νομίζειν τὸν ἀποστολ. θρόνον Κωνστ., ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἔχουσι πατριάρχαι. »

Josepho, patriarchæ Mosquensi (1642-1653), patriarcha œcumenicus in synodali rescripto dicebat :

« Magna Dei Ecclesia constantinopolitana *a Deo accepit* potestatem aperiendi fidelibus portam cognitionis divinorum eloquiorum illosque in veræ ac rectæ Christi fidei cognitione confirmandi, eo *quod est fons ac principium omnium Ecclesiarum*, omnibus piis christianis vitam elargiens ac distribuens... Dogmata a principio accepta inviolate ac immutabiliter servat, nihil detrahens, nihil addens[1]. »

In privatis litteris ad eumdem Josephum directis, præsul byzantinus hæc addebat :

« Si Beatitudini vestræ aliud quid opus fuerit, scribat nobis Beatitudo vestra, quæstiones de reformatione ecclesiastica referens, quia Magna Christi Ecclesia per Spiritus Sancti gratiam est principium (ἀρχή, *natchalo*) aliorum Ecclesiarum, cui competit corrigere quiquid in eis a recto canonum tramite declinaverit[2]. »

Postquam Nicon, Russorum patriarcha, ut suis adversariis, qui eum sede patriarchali pellere volebant, negotium facesseret, canonibus Sardicensibus innixus, anno 1662 ad Papæ judicium appellavit[3], tsarus Alexius Mikhailovitch (1645-1676) ad quatuor patriarchas orientales litteras misit, in quibus viginti quinque quæstiones illis solvendas proponebat. Octava quæstio his concipiebatur verbis : *Estne Constantinopolitanæ sedis ceteras omnes Ecclesias judicare et cuilibet ecclesiasticæ causæ finem imponere*? Anno 1663, quatuor patriarchæ orientales hoc dederunt responsum :

« Hoc privilegium Romani papæ fuit, antequam ab uni-

1. N. Th. Kapterev, *Patriarch Nikon i evo protivniki* (*Patriarcha Nicon et ejus adversarii*), ed. 2, Serghiev Possad, 1913, p. 39-40.

2. *Ibid.*, p. 40.

3. De hac Niconis ad Papam appellatione vide W. Palmer, *The Patriarch and the Tsar*, t. III, *History of the condamnation of the patriarch Nicon*, Londini, 1873, p. XXI, XXIII, 69-73; Chrysost. Papadopulum, Οἱ πατριάρχαι Ἱεροσολύμων ὡς πνευματικοὶ χειραγωγοὶ τῆς Ῥωσσίας κατὰ τὸν ιζ'αἰῶνα, in commentario Νέα Σιών, t. IV, 1906, p. 7, 182. Historici communiter dicunt Niconem ficte tantum ac simulate, non vero sincere ad Papam appellasse. Res tamen non adeo clara est. Mirandum sane est quod tsarus de appellationibus patriarchas orientales interrogaverit.

versali Ecclesia arrogantia deliberataque malitia discederet. Cum autem jam nunc discidium perfecerit, omnes Ecclesiarum causæ ad Constantinopolitanam sedem deferuntur et ab ea judicantur, quippe quæ secundum canones iisdem ac Vetus Roma privilegiis pollet. Dicit enim quartus canon Sardicensis synodi : « Si quis episcopus, etc. Quod autem privilegium istud ad sedem œcumenicam manaverit, ex multis disces, non minus autem ex scholiis magni legum libri... Cum ergo Romanus episcopus ab universali Ecclesia sit avulsus, causæ ad solam sedem œcumenicam pertinent. *Quod si ceteri quoque patriarchæ consenserint, si forte res maximi momenti fuerit, immutabilis erit dicta sententia* [1]. »

Aliquam imminutionem ac circumscriptionem jurisdictionis patriarchæ œcumenici hæc ultima verba innuere videntur, quatenus in negotiis maximi momenti ejus sententia irreformabilis non fuerit, nisi prius accesserit ceterorum patriarcharum consensus. Verum, hujusmodi circumscriptionis mentionem alibi vix reperies; contrarium ubicumque occurrit. In casu, patriarchæ orientales ad mentem tsari, qui in Nicone deponendo quatuor patriarcharum suffragium obtinere cupiebat, responsionem dederunt. Sedis Constantinopolitanæ primatum jurisdictionis aliquo pacto circumscribi vel limitari certe non deprehendes legendo publica documenta de nominatione vel depositione ceterorum trium patriarcharum, quam per totam epocham modernam usque ad sæculi XIX initium sibi sumere consueverunt patriarchæ œcumenici. Occasione nominationis patriarchæ Alexandrini post Samuelis mortem, Neophytus VII, anno 1737, hæc scribebat :

« Communem relationem manuscriptam miserunt Alexandrini ad Magnam Dei Ecclesiam ejusque sanctissimam et

1. Delicanis, *op. cit.*, t. III, p. 102-103 : « Τὸ προνόμιον τοῦτο τῷ πάπᾳ Ῥώμης ἦν πρὸ τοῦ διαρραγῆναι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας ὑπὸ ἀλαζονείας καὶ ἐθελοκακίας· ἤδη δὲ ἐκείνου διαρραγέντος, αἱ ὑποθέσεις πᾶσαι τῶν Ἐκκλησιῶν εἰς τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως θρόνον ἀναφέρονται καὶ παρ᾽αὐτοῦ τὰς ἀποφάσεις λαμβάνουσιν, ὡς τὰ ἴσα πρεσβεῖα κατὰ τοὺς κανόνας ἔχοντος τῆς παλαιᾶς Ῥώμης... Εἰ δὲ συναινοῦσι καὶ οἱ λοιποὶ πατριάρχαι, εἰ τυχὸν εἴη μείζων ὑπόθεσις, ἀμετάβλητος ἔσται ἡ ἐξενεχθεῖσα ἀπόφασις. »

œcumenicam sedem *tanquam ad communem matrem et universalissimam auctoritatem et caput*, a qua omnes orbis Ecclesiæ et provinciæ et sedes et orthodoxorum qui in eis inveniuntur cœtus, invitante occasione ac urgente necessitate, congruum accipiunt auxilium ac subsidium [1]. »

Item, de electione Matthæi Alexandrini, sub Paisio II anno 1746 facta, ὑπόμνημα habetur his verbis incipiens :

« Sancta Christi Magna Ecclesia inter alia privilegia et hoc præcipuum habet, ut omnium Ecclesiarum curam agat, tanquam *communis ac tenera mater atque caput*, membrorum suorum ac partium necessitatibus sapienter ac diligenter consulens, non solum eorum qui prope, sed etiam qui longe sunt [2]. »

Haud pauca documenta dicunt Magnam Ecclesiam de sedibus patriarchalibus specialem sollicitudinem habere. Ita, v. g., in commentario promotionis Gerasimi Alexandrini sub Gabriele IV (1783) :

« Inde a majoribus et ab initio, patriarchalis, apostolica et œcumenica sedes hoc sui muneris esse duxit, ut non sua tantum gereret, verum etiam ea, quæ alias patriarchales et apostolicas sanctissimas sedes spectant, non negligeret, sed cum multa magnanimitate pro posse bene moderari maxime curaret et ad earum necessitates sublevandas prompto animo esset [3]. »

1. Delicanis, t. II, p. 34 : « Πεπόμφασι κοινὴν ἔγγραφον ἀναφορὰν πρὸς τὴν τοῦ Χριστοῦ μεγάλην Ἐκκλησίαν καὶ τὸν καθ᾽αὑτὴν ἁγιώτατον καὶ οἰκουμενικὸν θρόνον ὡς πρὸς τὴν κοινὴν μητέρα καὶ καθολικωτάτην ἀρχήν τε καὶ κεφαλήν, ἀφ᾽ἧς πᾶσαι αἱ ἁπανταχοῦ Ἐκκλησίαι καὶ ἐπαρχίαι καὶ θρόνοι καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς τῶν ὀρθοδόξων συστήματα, καιροῦ καλοῦντος καὶ τῆς χρείας ἀπαιτούσης, τὴν προσήκουσαν λαμβάνουσι κηδεμονίαν καὶ ἀντίληψιν. »

2. *Ibid.*, p. 39 : « Ἡ ἁγία τοῦ Χριστοῦ μεγάλη Ἐκκλησία πρὸς τοῖς ἄλλοις προνομίοις καὶ τὴν τῶν ἁπασῶν Ἐκκλησιῶν μέριμναν πρώτιστον προνόμιον ἔχουσα, οἷα κοινὴ φιλόστοργος μήτηρ καὶ κεφαλή, οὐ μόνον τῶν ἐγγύς, ἀλλὰ καὶ τῶν πόρρω μελῶν τε καὶ μερῶν αὐτῆς σοφῶς τε καὶ κηδεμονικῶς προνοουμένη, καὶ ἐπίσης πᾶσί τε καὶ πάσαις τὰς μητρικὰς αὐτῆς ἀγκάλας ἐφαπλουμένη. »

3. *Ibid.*, p. 42 : « Ἑαυτοῦ ἔργον τοῦτο νενόμικεν ἀνέκαθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ὁ πατριαρχικὸς ἀποστολικὸς καὶ οἰκουμενικὸς θρόνος, ἐν οἷς οὐκ ἀγαπᾷ καὶ μόνον τὰ καθ᾽ἑαυτὸν διοικούμενος, ἀμελείη δε τῶν ἄλλων ἁγιωτάτων πατριαρχικῶν καὶ ἀποστολικῶν θρόνων, ἀλλὰ γενναίως πάνυ

Notum est systema autocephalismi, cujus principium in canone 28 Chalcedonensi latebat, sæculo XIX inter Orientales civitatem consecutum fuisse. Patriarchæ œcumenici statim ab initio bene perspexerunt hujusmodi systema ipsorum primatui minari mortem ac brevi finem impositurum; unde totis viribus conati sunt ejus extensionem impedire, ejus consequentias logicas certis limitibus circumscribere, ut pristinæ auctoritatis primatialis vel umbra saltem illis superesset. Inde illæ repugnationes ac dilationes, quibus usi sunt, quoties aliqua Autocephalia recens nata suam autonomiam ab Ecclesia matre postulavit. Haud sane libenti ac prompto animo, sed ægre ac prorsus invita Magna Ecclesia suis filiabus in sorores mutandis autocephaliæ tomos concessit; huic vero largitioni plerumque præiverunt anathemata, excommunicationes et schismata plus minusve longa. Ita, v. g., patriarcha Callistus regem et totam gentem Serborum anno 1352 excommunicavit, quod patriarchatum autocephalum Ipekii constituerant. Item, sæculo XIX, Ecclesiæ hellenica et rumena nonnisi post haud breve schisma et longas moras suum autocephaliæ tomum adeptæ sunt.

Insuper notandum est in hujusmodi decretis, quibus Ecclesiæ filiæ in sorores convertuntur, quosdam limites earum independentiæ poni, ut subjectionis vinculum versus Ecclesiam matrem, quantum fieri potest, retineatur. Equidem Ecclesiæ libertæ haud amplius monitum accipiunt, ut olim primus patriacha Mosquensis, de sede Constantinopolitana tanquam capite ac duce semper habenda; hic enim loquendi modus non amplius tolerabilis est post autocephalismi adventum; attamen antiquarum formularum vestigia in autocephaliæ tomis adhuc deprehenduntur. Ita, in tomo Ecclesiæ hellenicæ anno 1850 concesso, hæc legimus :

« Nos, qui Dei misericordia apostolicam omnium Ecclesiarum curam suscepimus, quibusque desursum commissa est administratio dispensationis ad illas spectantis, in labiorum nostrorum apertione, vobis, qui spirituales ac carissimi filii estis, primum quidem salutationem in Spiritu damus [1]. »

καὶ ταῦτα μὲν ὡς οἷόν τε καλῶς διοικεῖσθαι φίλει, καὶ πρὸς τὰς ἐκείνων δὲ χρείας προθύμως ἔχειν εἴωθεν. » Cf. etiam ejusdem tomi p. 47-49, 50-51, 165, 348-357, 586.

In ipso autem decreto, Ecclesia hellenica sacrum chrisma a Magna Ecclesia recipere jubetur, quoties opus erit, « ut servetur unitas canonica erga Magnam Ecclesiam Constantinopolis : ἵνα ἡ κανονικὴ ἑνότης πρὸς τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει μεγάλην Εκκλησίαν διατηρῆται. » Monetur item, ut omnem majoris momenti causam ecclesiasticam, quæ communi Ecclesiæ orthodoxæ bono conferat, ad patriarcham œcumenicum ejusque synodum deferat [2]. Eadem monita occurrunt tum in tomo Ecclesiæ Serborum, anno 1879 dato, tum in tomo ad Rumenos (1885); de quibus tamen parum vel nihil in praxi curant Ecclesiæ sorores.

Identidem Ecclesia constantinopolitana veteris sui principatus memoriam renovat, illumque instaurare tentat. Ita, in quodam articulo in commentario Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, anno 1904 edito, auctor suggerebat systema autocephalismi fraternum interventum Ecclesiæ constantinopolitanæ in cæterarum Ecclesiarum negotia haud excludere, cum Ecclesia ista aliarum sit mater, spiritualibusque facultatibus abundantioribus a Deo ditata fuerit ad subveniendum sororibus in tempore opportuno [3]. Post recens

1. « Ἡμεῖς, οἱ ἐλέῳ Θεοῦ τὴν ἀποστολικὴν μέριμναν πασῶν Ἐκκλησιῶν ἀναδεδεγμένοι καὶ τῆς περὶ αὐτὰς οἰκονομίας ἄνωθεν ἐμπεπιστευμένοι τὴν διαχείρισιν. » Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, col. 461-462; cf. col. 457, ubi Typaldus, Stavropolis episcopus, dicit : « ἡ μεγάλη τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία, ἡ μήτηρ καὶ διδάσκαλος τῶν Ἐκκλησιῶν. »

2. *Ibid.*, col. 453 : « Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς συμπίπτουσιν ἐκκλησιαστικοῖς πράγμασι, τοῖς δεομένοις συσκέψεως καὶ συμπράξεως πρὸς κρείττονα οἰκονομίαν καὶ στηριγμὸν τῆς ὀρθοδόξου Ἐκκλησίας, ἤρεσεν, ἵνα ἡ μὲν ἐν Ἑλλάδι ἱερὰ σύνοδος ἀναφέρηται πρὸς τὸν οἰκουμενικὸν πατριάρχην καὶ τὴν περὶ αὐτὸν ἱερὰν σύνοδον. »

3. Ἐκκλησιαστικὰ Ἀλήθεια, t. XXIV, 1904. Auctoris dicta acerbe confutavit canonista russus N. Suvorov in suo *Enchiridio juris canonici*, ed. 4, Petropoli, 1912, p. 200-201 : « Verum est, inquit Suvorov, Ecclesiam constantinopolitanam haud raro declarasse, Romanorum Pontificum instar, se omnium Ecclesiarum curam habere; at vero historia etiam compertum est Novæ Romæ præsulem, conciliorum œcumenicorum tempore, episcoporum Veteris Romæ auxilio sæpe opus habuisse, recentiori vero ævo, ad imperatoris Russiæ tutelam confugisse. Quod autem attinet ad copiam facultatum spiritualium,

bellum item, in eodem commentario, alius auctor lamentabatur Ecclesiam græco-russicam unitate regiminis ac centro practico unitatis carere, neque cor, neque caput habere; unde concludebat constitutionem alicujus primatus et centri practici unitatis pro tota Orthodoxia omnino necessariam esse; hujus vero primatus candidatum multiplicibus rationibus tum historicis, tum geographicis, tum etiam politicis sponte designatum, ipsum esse pratriarcham œcumenicum [1]. Hujus modi consilio mox suffragatus est archimandrita Callistus in dissertatione jam laudata de privilegiis Constantinopolitanæ sedis, in commentario Alexandrino «'Εκκλησιαστικὸς Φάρος » anno 1921 publicata [2]. Vidimus autem supra [3] hodiernos autocephalistas huic proposito omnino repugnare petitionibusque papalibus patriarcharum œcumenicorum vehementer reclamare; quod jam fecerat, anno 1852, archimandrita Pharmakides in suo opere : 'Ο συνοδικὸς τόμος, ἢ περὶ ἀληθείας, adversus tomum synodalem Anthimi IV de autocephalia Ecclesiæ hellenicæ conscripto [4].

quas Deus Ecclesiæ constantinopolitanæ concesserit, hanc Ecclesiam ejusmodi copia carere omnes norunt, quotquot vitam ecclesiasticam Orientis accurate explorarunt. Historia patriarcharum byzantinorum satis superque demonstrat Novæ Romæ præsules illud sibi vindicare quod Deus eis minime largitus est. »

1. *Ibid.*, t. xi, 1920, p. 399-401 : E. Lucaras, 'Η Κωνσταντινούπολις, κέντρον ὀρθοδοξίας. In fine auctor hæc habet : « 'Ημεῖς θέλομεν εἰς τὴν ὀρθοδοξίαν νὰ εἴδωμεν βασιλεύουσαν μίαν τάξιν, μίαν ἁρμονίαν, μίαν λογικὴν καὶ σύμφωνον πρὸς τὰς περιστάσεις διοίκησιν. Τάξις δὲ καὶ ἁρμονία καὶ κανονικὴ διοίκησις δὲν δύναται νὰ ὑπάρξῃ ἄνευ κέντρου, ἄνευ κεφαλῆς· τὸ δὲ κέντρον τοῦτο δὲν εἶνε ἄλλο διὰ τοὺς προεκτεθέντας λόγους παρὰ ἡ Κωνσταντινούπολις. »

2. Cf. supra, p. 259 et p. 427.

3. P. 259.

4. Pharmakidi omnino suffragatur canonista Eutaxias, cujus sententia est jus constituendi novam Ecclesiam autocephalam non oriri ex consensu patriarchæ œcumenici, sed ex ipso facto independentiæ politicæ, quam nova natio orthodoxa consecuta fuerit; nec patriarcham œcumenicum jure posse novæ Autocephaliæ plenam autononiam quocumque pacto restringere vel limitare. In *cursu juris canonici manuscripto*, p. 299-300.

III. — Hunc jurisdictionis primatum patriarchæ œcumenici de facto exercuerunt, aliis non reclamantibus sed plerumque consentientibus.

Petitiones papales patriarcharum œcumenicorum verba vana non exstitisse, sed revera ad effectum fuisse perductas, ex quibusdam documentis supra citatis jam constat; siquidem ex eis plura occasione exercitii jurisdictionis vere primatialis scripta fuere, ut sunt textus de Ecclesiarum omnium cura patriarchæ Constantinopolitano competenti, qui ad nominationem vel depositionem cæterorum patriarcharum Orientis referuntur. Per totam enim epocham modernam, et haud semel etiam adhuc sæculo xix, patriarchæ Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, metropolitæ Cypri a patriarcha œcumenico ejusque synodo sæpe eligebantur et quandoque etiam deponebantur [1]. Ut fert tomus synodalis de patriarchatu Mosquensi constituendo, anno 1590 dato, cui subscripsere tres alii patriarchæ orientales, Constantinopolitanus præsul ab aliis patriarchis habebatur ut κεφαλὴ καὶ ἀρχή. Item ex litteris publicis in tabulario patriarchatus œcumenici asservatis, quarum multæ jam editæ sunt, apparet Magnam Ecclesiam negotiis aliarum sedium autonomarum haud semel se immiscuisse, quoddam jus supremæ inspectionis et correctionis in eas usurpasse, ab eis de variis quæstionibus sæpe fuisse consultam. Neque de jure recipiendi quascumque appellationes cum ea contenderunt alii patriarchæ [2].

Canonistæ et theologi byzantini privilegia primatialia sedis Constantinopolitanæ in suis scriptis communiter agnoverunt atque commendarunt, præsertin vero canonistæ sæculi xii, qui pro axiomate ponunt patriarchæ œcumenico ex canonibus congruere omnia privilegia, quæ episcopo

1. Delicanis, *op. cit.*, t. ii, *passim*, præsertim vero p. 33, 39-40, 42-43, 47-49, 50-51, 165, 348, 352, 362, 375. Ab anno 1645 ad annum 1845, patriarchæ Hierosolymitani a synodo patriarchali œcumenica electi sunt. Adhuc anno 1825, Chrysanthus Constantinopolitanus Theophilum Alexandrinum, qui in insulam Patmum secesserat nec suum pastorale munus amplius obilat, deposuit. Delicanis, p. 52.

2. Vide supra, p. 431.

Romano temporum decursu tributa sunt, etiam ea quæ in *Donatione Constantini* notantur. Unde Theodorus Balsamon tenet de sententia patriarchæ œcumenici appellationem non dari, etiam ad imperatorem, quia Constantinus Magnus Sylvestro papæ omnia jura imperialia concesserit; atqui sententia imperialis nunquam retractatur [1].

Inter theologos qui primatum jurisdictionis Constantinopolitanæ sedis diserte docent, venit archimandrita Nilus Doxopatrius in sua *Notitia thronorum patriarchalium*, anno 1143 scriptam. Ex canone 28 Chalcedonensi expresse colligit Veterem Romam sua privilegia amisisse, ex quo caput imperii esse desiit, eaque omnia ad Novam Romam transiise : « Quoniam Roma, inquit, proprio imperio et dignitate regia excidit, propter quam ut prima honorabatur, et Barbaris nunc subjecta est, primatum penitus amisit. Hunc primatum obtinuit sedes Constantinopolis, quæ imperio decorata est... Sicut ergo Romanus privilegium habuit appellationes adversus alios patriarchas recipiendi et accusationes examinandi, ita et Constantinopolitanus, qui Romæ privilegia adeptus est, de tribus patriarchis prædictis sententiam ferre jure potest. [2] »

Ipsi tsari Russiæ primatum Constantinopolitanum aliquando agnoverunt, qui patriarcham œcumenicum de variis quæstionibus non semel consuluerunt magnificisque appellationibus ac titulis decorare consueverunt. Ita Ivanus IV, Terribilis dictus, in litteris ad Joasaphum II anno 1557 missis, hunc vocat præfectum ac præceptorem Orthodoxiæ,

1. *In canonem 12 concilii Antiocheni*, *P. G.*, t. CXXXVII, col. 1312 : « ἐξ ἀνάγκης ἐκκλήτῳ οὐχ ὑποπεσεῖται ἡ τούτου ἀπόφασις, ὥστερ οὐδὲ ἡ βασιλικὴ ἀπόφασις ἀνάκρινεται. » Cf. *Comment. in can. 28 Chalced. et can. Sardicenses*, *ibid.*, col. 484-494, 1432-1444. In praxi tamen, ut postea ostendemus, imperatores supremam in Ecclesiam jurisdictionem sibi arrogarunt, et patriarchas invisos vel suis placitis reluctantes e sede dejecerunt.

2. *Notitia patriarchatuum*, *P. G.*, t. CXXXII, col. 1100-1101 : « Ἐπεὶ οὖν ἡ Ῥώμη ἐξέπεσε τῆς οἰκείας βασιλείας, δι' ἣν καὶ προετιμᾶτο, καὶ νῦν ὑπὸ βαρβάρους τελεῖ, ἐκπέπτωκε πάντως καὶ τῶν πρωτείων... Ὥσπερ δὲ προνόμιον εἶχεν ὁ Ῥώμης τὰς ἐκκλήτους τὰς κατὰ τῶν ἄλλων πατριαρχῶν γενομένας καὶ τὰς κατηγορίας δικάζειν, ἐπεὶ καὶ ὁ Κωνσταντινουπόλεως ἔλαβε τὰ τῆς Ῥώμης προνόμια, εἰκότως καὶ οὗτος δύναται δικάζειν τοὺς προειρημένους τρεῖς πατριάρχας. »

firmamentum omnium fidelium, columnam Orthodoxiæ, panem quo nutriuntur credentes, et calicem inexhaustum divinorum eloquiorum orbem universum potantem, divinitus inspiratum præsulem [1], etc. Inde vero a Petri Magni tempore, postquam scilicet synodus dirigens a Petro constituta ut legitima auctoritas ecclesiastica a quatuor patriarchis orientalibus probata est, Ecclesia russica a quolibet subjectionis signo erga sedem Constantinopolitanam deinceps abstinuit [2], quanquam quatuor patriarcharum orientalium auctoritas in rebus fidei inter Russos haud penitus periit, ut infra videbimus.

ARTICULUS II

De Mosqua, tertia Roma [3].

Postquam urbs Byzantina in Turcarum infidelium potestatem redacta est, opinio inter Russos percrebruit moxque invaluit patriarcham Constantinopolitanum illa privilegia canonica amisisse, quibus illum donaverant antiqua concilia, eo quod Constantinopolis caput erat imperii christiani; destructo enim imperio, jus ad hujusmodi privilegia ipso facto perierat. Porro theologis russis in mentem venit sedem Mosquensem hæreditatem spiritualem Constantinopolis jure sibi vindicare posse, quod Mosqua sola inter civitates orbis « orthodoxi » caput erat regni christiani, princeps autem Russorum legitimus successor habendus imperatoris byzantini. Inde etiam deducebant Mosquam appellationem *Tertiæ Romæ* mereri eodem prorsus jure quo Constantinopolis Novæ Romæ titulo olim decorata fuerat.

1. A. N. Muraviev, *Snoceniia Rossi s Vostokom* (*Societas Russiæ cum Oriente*), t. I, Petropoli, 1858, p. 77; cf. p. 249.

2. Imo patriarcharum nomina intra officia ecclesiastica jussu Petri tacita sunt, contra usum ab antiquo receptum. Hujus novationis defensionem conscripsit Theophanes Procopovitch; cf. t. I hujus operis, p. 592.

3. Cf. Hiidegard Schaeder, *Moskau das dritte Rom*, Hamburgi, 1929, in-4°, VIII-140 p.

Opinioni fidem simul et diffusionem conciliarunt tum fabula de insignibus imperialibus principi Vladimiro Monomacho (1113-1126) ab imperatore byzantino olim tributis, tum historici eventus. Instigante siquidem ipso Romano Pontifice, Ivanus III, Magnus dictus (1462-1505), in matrimonium duxit Sophiam Palæologinam, familiæ imperialis byzantinæ ultimam sobolem; ex quo ad Byzantium sicut ad proprium patrimonium respicere cœpit. Ejus successores, Basilius Ivanovitch (1505-1533) et Ivanus IV Terribilis (1533-1584) idem propositum in mente gesserunt; Ivanus IV vero, anno 1547, nomen *tsari* seu imperatoris (= βασιλεύς) sibi sumpsit et imperatorum chrismationem recipere voluit, ut veri nominis βασιλεύς oculis omnium appareret; quam chrismationem super eum perfecit metropolita Mosquensis Macarius. Cum autem Macarius, utpote simplex metropolita, non tantæ dignitatis erat quam patriarcha byzantinus, Ivanus, post aliquot annos, per archimandritam Suzdalensem, Theodoretum, ad patrarcham œcumenicum epistolam cum copiosis muneribuis misit, illum rogans, ut publicis litteris synodalibus cæremoniam coronationis a Macario perfectam ratam haberet, ipsum vero, Ivanum scilicet, veri nominis βασιλέα declararet, genuinum ac legitimum imperatorum byzantinorum successorem. Litteris synodalibus, mense septembri, anno 1561 datis tsaro petitum annuit Joasaphus II (1555-1565) [1].

Mosqua ergo suum βασιλέα jam habebat. Tria tamen adhuc ei deerant, ut tertiæ Romæ nomen revera mereretur,

1. Has litteras edidit W. Regel, *Analecta byzantino-russica*, Petropoli, 1891, p. 75-79. Volebat Joasaphus cæremoniam coronationis et chrismationis per suum exarchum Joasaphum, Euripi metropolitam, iterare, « quod metropolita Macarius ritum perficere non potuit, quandoquidem neque metropolita, neque alius patriarcha præter Constantinopolitanum et Romanum, βασιλέα coronare potest : καθότι οὐκ ἰσχύει ὅπερ ἐποίησεν ὁ ῥηθεὶς μητροπολίτης Μοσκοβιόυ κῦρ Μακάριος· καὶ οὐ μόνον μητροπολίτης... ἐξουσίαν ἔχει τὸ τοιοῦτον τελέσαι, ἀλλ' οὐδὲ πατριάρχης ἄλλος· μόνον γὰρ τοσοῦτον προνόμιον ὑπάρχει δυοῖν, τῷ τε Ῥώμης φημὶ καὶ τῷ Κωνσταντινουπόλεως. » Proposito autem non assensit Ivanus, cui satis fuit publicis litteris agnosci tanquam « βασιλεὺς νόμιμος καὶ εὐσεβέστατος, ἐστεμμένος καὶ παρ' ἡμῶν (= a patriarcha œcumenico) νομίμως καὶ ἐκκλησιαστικῶς· ἐπεὶ καὶ ἐκ γένους κατάγεται καὶ αἵματος βασιλικοῦ. »

scilicet privilegium et, ut ita dicam, monopolium Orthodoxiæ, dignitas patriarchalis et reliquiarum sacrarum copia. Brevi hæc omnia sibi comparavit. Primum quidem, multo ante Ivani IV coronationem, id est statim post Constantinopolim a Turcis captam, Moscovitæ de Græcorum fide sinistram opinionem acceperunt, tum quod unionem Florentinam, etsi ad horam, amplexati fuerant, tum quod in dominatum Infidelium mox inciderant; unde eos de hæresi suspectos habere inceperunt, seque solos veræ Orthodoxiæ tenaces jactarunt. Sæculis vero XVI et XVII, Græcorum fidem corruptam fuisse inde multis illuxit, quod eorum libri liturgici, Venetiis apud Latinos editi, ab exemplaribus russicis in multis discreparent. Res eo usque devenit ut Græci tanquam hæretici vitandi haud semel et habiti fuerint et tractati. Ad dignitatem autem patriarchalem quod attinet, Mosqua anno 1589 per patriarcham œcumenicum Jeremiam II eam consecuta est [1]; quam anno sequenti, mense maio, ei obfirmaverunt ac sanxerunt patriarchæ orientales cum multis aliis metropolitis in synodo Constantinopoli habita. Reliquiæ vero sanctorum ex omnibus Orientis christiani partibus ei advenerunt per manus illorum Græcorum, qui sæculis XVI et XVII Russiam peragrarunt mendicandi causa [2]. Ubi enim mendicantes ac rogatores resciverunt Moscovitas, et ipsum tsarum, sacrarum reliquiarum esse cupidos, tam facile medium liberalitatem incitandi ac gratiam Russorum sibi conciliandi haud neglexerunt [3].

Interim theologi russi doctrinam de Mosqua tertia Roma excogitabant ac expoliebant. Antequam Ivanus IV nomen tsari seu imperatoris sibi sumeret et Jobus metropolita ad dignitatem patriarchalem eveheretur, monachus Philotheus,

1. Eo tempore quo metropolitam Jobum ad dignitatem patriarchalem promovit, super eum iterans ordinationem episcopalem, Jeremias II sedem patriarchalem Constantinopolitanam, e qua anno 1585 pulsus fuerat, nondum recuperaverat, ut ostendit L. Petit in articulo : *Jérémie II Tranos*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 892.

2. Cf. A. N. Muraviev, *op. cit.*, 2 vol., Petropoli, 1858, 1860.

3. N. Kapterev, *Kharacter otnocenii Rossii k pravoslavnomu Vostoku* (*Indoles societatis Russiæ cum Oriente orthodoxo sæcul.* XVI *et* XVII), Mosquæ, 1885, p. 60-102; ed. 2, Serghiev Possad, 1914.

e monasterio Eleazarovi prope Pskovium, suas epistolas de tertia Roma jam scripserat, quibus totam novi primatus rationem explicaverat :

« Ecclesia Veteris Romæ, inquit ille, in impiam hæresim Apollinaris[1] delapsa est; Novæ Romæ vero, id est Constantinopolis, Ecclesiam tenent Agarenorum filii. Nunc exsurgit tertiæ Romæ sancta, catholica et apostolica Ecclesia, quæ usque ad fines orbis terræ rectæ christianæ fidei lumine tanquam sol resplendet... Omnia regna christiana ad finem jam properant, atque in unum nostrum imperium (russicum scilicet), secundum libros propheticos, conventura sunt. Duæ jam Romæ ceciderunt; tertia nunc stat; quarta nequaquam erit[2]. »

Circa finem sæculi XVI, hæc de tertia Roma opinio inter Russos omnino communis evaserat; cui suffragatus est Jeremias II ipse, dum Mosquæ degeret. Postquam enim Jobum metropolitam ad dignitatem patriarchalem evexit, propria manu subscripsit narrationi de constitutione patriarchatus Mosquensis nomine synodi episcoporum tum russorum tum græcorum confectæ, in qua sequentia verba tanquam ab ipso prolata ei adscribebant :

« Quandoquidem Vetus Roma in Apollinaris hæresim incidit; Nova vero Roma, Constantinopolis scilicet, sub impiorum Turcarum potestate jacet, tuum magnum russicum imperium, o piissime imperator, tanquam tertia Roma omnia præcedentia regna pietate superavit, et omnia regna pietati addicta in tuum coiverunt imperium, ita ut nunc tu

1. Propter azymorum usum; cf. t. III hujus operis, p. 244.

2. Suam de tertia Roma sententiam evolvit Philotheus tum in epistola ad Basilium III Ivanovitch, ante annum 1522, ut videtur, scriptam, tum in epistola ad Michaelem Munekhin, Pskovii principem, anno 1522 datam; de quibus vide V. Malinin, *Starets Eleazarova monastyriia Philothei i evo poslanie k tsariu i velikomu kniazu Ivanu Vassilievitschu*, in *Trudy Academiæ Kioviensis*, 1888, t. II, p. 72-126, ac præsertim ejusdem magnum volumen inscriptum : *Starets Eleazarova monastyriia Philothei i evo poslaniia* (*Monasterii Eleazarovi monachus Philotheus atque ejus epistolæ*), Kioviæ, 1901. Textum epistolarum invenies in commentario *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, Kazanii, 1861, fasc. II, p. 78-98; 1863, fasc. I, p. 337-348. Tertia Philothei epistola ad Ivanum IV Terribilem edita est in *Supplementis ad Acta historica*, t. I, n. 23.

solus sis in universo orbe qui christianus imperator audias : unde, Deo providente, sanctorum thaumaturgorum Russiæ precibus tua ad Deum petitione tuoque consilio hæc permagna res (scilicet constitutio patriarchatus) feliciter perfecta est[1]. »

Ut pro toto Oriente byzantino Mosqua revera evaderet tertia Roma, primus inter patriarchatus orientales locus illi adipiscendus erat; res sane valde ardua, ad cujus effectum nisi gradatim pervenire non poterat. Hoc bene perspexerunt Moscovitæ, qui a Jeremia II hoc tantum primum postularunt, ut Jobo tertius daretur locus, nempe ut post patriarcham œcumenicum et Alexandrinum incederet. Jeremias II promisit; at vero, Constantinopolim reversus, promisso stare non potuit præ cæterorum patriarcharum et præsulum orientalium reluctantia; qui in synodo Constantinopolitana, anno 1590, mense maio habita, ultimum locum, quintum scilicet, post Hierosolymitanum, hierarchæ Mosquensi assignarunt. Inde Moscovitarum frustratio et tsari ira maxima, qui apud Orientales vehementissime institit, ut Mosquæ tertius tribueretur gradus; nihil tamen profecit; nova enim synodus Constantinopolitana anno 1593 congregata præcedens decretum unanimiter firmavit.

Somnium de tertia Roma evanescebat. Græci præsuli Mosquensi primatum nedum concedere vellent, eum tanquam secundi subsellii patriarcham semper tenuerunt ac tractarunt, ut in articulo de tetrarchia ostendemus. In secundo vero sæculi XVII dimidio, faventibus circumstantiis, suam in rebus fidei supremam auctoritatem inter Russos callidissime ac solertissime instaurarunt. Quid interim præ injuria Russi? Ipsos quatuor patriarchas orientales ut vacuis titulis decoratos, ut patriarcharum meras umbras in partibus Infidelium spatiatas habuerunt. Tertia Roma

1. Kapterev, *op. cit.*, p. 61. Nota Boris Godunov, tsari Fedori Ivanovitch ministrum, Jeremiæ II, quando Mosquam anno 1588 primum advenit, proposuisse, ut suam sedem patriarchalem (id est, sedem œcumenicam) in civitatem Mosquensem transferret, patriarchæ Mosquæ totiusque Russiæ nomen sibi sumendo. Propositum Jeremiæ quidem arridebat, ipsius vero comitibus græcis non placuit. Kapterev, *ibid.*, p. 42 sq.; L. Petit, *art. cit.*, col. 892-893.

in ipsorum mente et æstimatione aliquandiu revera vixit ac regnavit; cujus animi haud unum exstat documentum. Ita in *Narratione de origine patriarchatus russici*, quæ Philareti Nikitisch tempore (1619-1624) jam vulgata erat, quatuor patriarchæ orientales vocantur potius meri tituli vel honoris quam veræ potestatis patriarchæ, quibus imperant Turcæ infideles; solus vero patriarcha Mosquensis habetur ut veri nominis patriarcha, qui ad hoc constitutus est, ne dignitas patriarchalis ab Ecclesia penitus tolleretur [1].

Expressius adhuc ac vehementius hanc peculiarem Russorum rationem explanavit hieromonachus Arsenius Sukhanov († 1688) in suis *Disputationibus cum Græcis de fide*, quas ille anno 1650, Tergovisti in Valachia, mensibus aprili-junio habuit [2]. In secunda disputatione (9 maii 1650), Paisio Hierosolymitano asserenti quatuor patriarchas orientales simul falli non posse, respondit Arsenius hoc vero non consonare, sed certis factis historicis illos fallibiles aliquando fuisse demonstravit; item accusavit Græcos quod « fidem e Sion egressam » non servassent, pronuntiavitque illos non esse omnibus fidei principium, cum Romani ante Græcos fidem acceperint. In quarta vero disputatione (6 junii 1650) hæc addidit :

« Eo tempore quo imperator orthodoxus sub sole unus Constantinopoli dominaretur, quatuor constituit patriarchas et Papam eorum principem. Isti patriarchæ in eodem unius imperatoris regno erant, et eo consentiente ad concilia in unum conveniebant. Nunc vero hujus imperatoris loco, Mosquæ residet piissimus dominus tsarus, qui ex omnibus qui sub sole sunt principibus orthodoxiam servat solus; cujus imperium Deus gloria circumdedit. Papæ loco patriarcham sedi Mosquensi præfecit; pro quatuor autem patriarchis quatuor constituit metropolitas. Unde sine vobis, quatuor patriarchis, divina eloquia Mosquæ servare possumus. Quemadmodum quatuor patriarchæ absque Papa in hæresim jam lapso vivunt, ita et nos sine vestris disciplinis vitam degere possumus. In vanum namque jactatis nos a vobis baptismum accepisse : ab Andrea apostolo, qui e Byzantio profectus, ad Kioviam usque et Novogrodium pervenit, baptismum accepimus [1]. »

1. Kapterev, *ibid.*, p. 59-60.

2. De Arsenio Sukhanov ejusque cum Græcis de fide disputationibus (*Preniia s Grekami o vierie*) vide opus Sergii Bielokurov, *Arsenii Sukhanov*, 2 vol., Mosquæ, 1891-1893. Arsenii disputationes invenies etiam in commentario *Khristianskoe Tchtenie*, 1883, t. III, et in *Tchteniia Societatis Mosquensis historiæ et antiquitatum*, 1894, t. II, p. 25-101. Excerpta dat Macarius, *Historia Ecclesiæ russicæ*, t. XI, ed. 2, Petropoli, 1903, p. 141-162.

Pergit Arsenius, dicens omnia Græcorum bona ac privilegia ad Russos transiisse, Mosquæ patriarcham esse sancti Sylvestri successorem; « gestat enim galerum album huic a Constantino Magno concessum »; Græcos vero ideo Infidelium jugo subjectos fuisse, quod a recta fide defecissent; nec eis utpote hæreticis amplius obediendum, sicut et ipsi Papæ non obtemperant; qui apostolicas constitutiones transgrediuntur, nec secundum regulas baptizant, et ideo jure rebaptizandi.

Arsenio Sukhanov omnino suffragabatur Simeon Polotskii, qui tsaro Alexio Mikhaïlovitch (1645-1676) libellum aliquando obtulit, ut eum moneret de quatuor sedibus patriarchalibus sub suprema Niconis patriarchæ Mosquensis Papæ vices gerentis jurisdictione in Russia constituendis [2]. In ipsa *Libri canonum* seu *Kormtchaiæ Knighæ* introductione, quem anno 1653 Nicon edidit, haud unum positum est documentum plus minusve fabulosum, eo spectans, ut doctrinæ de tertia Roma fundamenta historica suppeditaret [3]. Hujusmodi consilio ac molimini addicti remanserunt illi veteris Russiæ amatores ac studiosi, qui correctioni librorum liturgicorum ad græcorum exemplorum fidem a Nicone effectæ totis viribus adversati sunt, atque in schisma prolapsi, *Starovieri* ac *Rascolniki* ab aliis audierunt. Cæterum, inde a Synodo Dirigente constituta, Ecclesia russica Græcorum tutelam penitus excussit. Mosquæ loco, Orientis dissidentis caput revera deinceps exstitit Petro-

1. Bielokurov, t. I, p. 225 sq.

2. Cf. Suvorov, *Enchiridion juris ecclesiastici*, ed. 4, p. 99.

3. *Ibid.*, p. 181; cf. Tchebatinskii, *Genesis historica conceptus Mosquæ ut tertiæ Romæ, sæculo XV*, in commentario *Viera i Razum*, 1908, t. III, p. 289-300. Alios fontes russicos notat H. Schaeder, *op. cit.*

polis, quin tertiæ Romæ appellationem sibi præfixerit, cujus ἡγεμονία seu dominatus non quidem jurisdictionis proprie dictæ, sed intellectualis ac moralis nfluxus speciem induit, Autocephalia sslavicæ dialecti præsertim ad se trahens. Huic dominatui finem intulit nefarii Bolcevismi adventus.

ARTICULUS III

De primatu sedis Hierosolymitanæ.

Inter antiquæ litteraturæ christianæ monumenta, quædam occurrunt documenta apocrypha, in quibus Hierosolymitanæ sedis primatus super omnes alias Ecclesias subindicatur. Agitur præsertim de scriptis pseudo-clementinis, quæ *Homiliæ Clementis* et *Recognitiones* audiunt, necnon de duabus epistolis (*Petri ad Jacobum*, *Clementis ad eumdem*) iisdem præmissis. Quanquam in hujusmodi documentis primatus Petri diserte declaratur, Clemens tamen Jacobo, Hierosolymorum episcopo scribens, illum vocat « *episcopum episcoporum*, qui non solum regit Hirosolymorum sanctam christianorum Ecclesiam, verum etiam *Christi Dei nostri Ecclesias, quæ ubique Dei providentia præclare fundatæ sunt*[1]. » In *Liturgia sancti Jacobi* et apud quosdam auctores antiquos, Ecclesia Hierosolymorum appellatur *mater omnium Ecclesiarum*, μήτηρ πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν. In hujusmodi loquendi modis timidam primatus vindicationem ex parte Hierosolymitanorum episcoporum vix quis deprehendet. Nunquam enim per octo prima sæcula Hierosolymitani antistites jurisdictionem in universam Ecclesiam ex animo sibi arrogarunt, quippe qui patriarchalem dignitatem pro sua sede nonnisi sæculo v ægre obtinuerunt.

De primatu Hierosolymitano, inde a Photii ævo ad nostra usque tempora, loqui consueverunt polemistæ antilatini, non quidem ut illum revera commendarent ac stabilirent,

1. Ἰακώβῳ τῷ κυρίῳ καὶ ἐπισκόπῳ καὶ ἐπισκόπων ἐπισκόπῳ, τῷ τὴν Ἱερουσαλὴμ ἁγίαν τῶν χριστιανῶν Ἐκκλησίαν διέποντι, καὶ τὰς πανταχῇ Θεοῦ προνοίᾳ ἱδρυθείσας καλῶς Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν Ἐκκλησίας. *P. G.*, t. II, col. 469; cf. col. 32-33 et t. I, col. 463.

sed ut primatum Romanum impugnarent, huic polemicæ rationi nihil novi addentes, sed eam, prout a Photio ipso concepta fuerat, repetere satis habentes :

« Si propter Petrum Roma prima est, propter Jacobum, Domini fratrem, qui primus episcopus fuit, ab ipso Christo constitutus, et omnium primus martyrio cursum consummavit, potiori jure Jerusalem primas tenebit.

« Adhuc : Si ex personarum qualitate primatus sedibus inest, quomodo non splendide supra omnes Jerusalem imperium obtinebit? Ipse enim et Petri et omnium nostrum conditor ac Dominus, primus et magnus Pontifex, omnis vitæ fons pontificalisque origo dignitatis, ibi et natus et commoratus est, et pro mundi salute seipsum immolavit[1]. »

Hanc ratiunculam photianam quibus jucundum fuit iterare, in ipsorum detrimentum eam retorqueri posse forsan non adverterunt. Quare enim post Romam et contra Romam Constantinopolis quæsivit ac retinere vult primatum? Respondet canon 28 Chalcedonensis : *Quia fuit imperio ac senatu honorata.* Nonne Hierosolymitanus antistes validiorem ac infinite honorabiliorem jactare potuit rationem ad primatum expetendum? Præterea, nonne Petrus, apostolorum primus, Cæsare ejusque senatu multo venerabilior? Argumenti photiani vanitatem forsitan perspexerunt *Confessionis orthodoxæ* redactores, qui primatui Hierosolymitano quæstionem unam dicaverunt, ut illum diserte prædicarent ac rationibus firmarent :

« Absque controversia, inquiunt, inter particulares istas Ecclesias illa mater cæterarum dicitur, quæ prima omnium Christi præsentia ornata fuit ac salutem æternam veniamque peccatorum accepit, et ex qua exordium sumpsit Evangelii prædicatio in totum orbem terrarum... Vocatur etiam prima, quia supra reliquas omnes Ecclesias et doctrina et morum sanctimonia refulsit, et coram ea apostoli suarum actionum rationem reddiderunt (Act., XI, 2; XV, 2; XVI, 4...[2]. »

Habuit ergo Hierosolymitana sedes, juxta *Confessionis orthodoxæ* auctores, omnium prima, si non jurisdictionis,

1. Cf. t. I hujus operis, p. 132; Nicolaum Mesaritem, apud Heisenberg, *op. cit.*, t. II, p. 24.
2. I. p., q. LXXXIV, Kimmel, *op. cit.*, p. 154-156.

saltem honoris primatum, τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς. Habuit, sed non servavit. Quare? Illi respondent :

« Est igitur Ecclesia hierosolymitana omnium Ecclesiarum mater et princeps, quoniam ex illa in omnes orbis terminos diffundi cœpit Evangelium, quamvis postea imperatores honoris primatum Veteri Romæ et Novæ tribuerint propter imperii majestatem, cujus sedes erant istæ civitates, secundum canonem tertium secundi concilii œcumenici Constantinopolitani. Eadem Hierosolymorum Ecclesia facta est catholica, quatenus ejus fidem omnes gentes acceperunt [1]. »

Ergo, concludes, facta est primatus translatio de Hierolymis ad Romam et ad Constantinopolim, et hoc ex imperatorum voluntate. Præclara sane ratio theologica, qua Cæsar Christo antepositus est! Porro hæc Injuratis Anglicanis nequaquam arrisit, qui sæculo XVIII ineunte, cum Orthodoxis orientalibus concordiam inire tentarunt sub his duabus inter plures alias conditionibus :

1º « Hierosolymorum Ecclesia agnoscatur esse totius ecclesiasticæ unitatis principium et aliarum Ecclesiarum mater indubitabilis, ex qua singulæ particulares Ecclesiæ provenerunt, et cui excellens quidam honor debetur;

2º « Hierosolymorum igitur episcopo primi consessus honor (πρωτοκαθεδρία) a cæteris omnibus episcopis deferatur [2]. »

Quid ad hæc patriarchæ orientales? *Confessionis orthodoxæ* doctrinam missam facientes, hanc ordinis sedium patriarchalium immutationem tanquam intolerabilem novitatem respuerunt :

« Novitas enim non parva, inquiunt, in re inesse videtur. Nostra vero orientalis Ecclesia, immaculata Dei sponsa, nullam unquam novitatem accepit neque omnino recipit [3], præceptum illud servans : *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui.* Quænam autem causa est cur Hierosolymitanam sedem principem esse contendant? Quia, inquiunt, inde exiit evangelica gratiæ lex et veritas, juxta illud : *E Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem*; præterea, quia ibi Domini nostri passio facta est et resurrectio. Volunt igitur hujusmodi rationibus sapientiores et prudentiores videri quam illi fuerunt qui alium et non hunc sedium ordinem statuerunt, quasi inconsulte illi et inepte talia decreverint; quod ne quis dixerit. Illi enim a Deo afflati erant viri sapientes et prudentes, Christi mentem habentes, qui ita judicaverunt, ita sanxerunt, neque possumus nos illis meliores et sagaciores videri, et quæ ab illis cum meditatione et in conciliis tradita sunt, evertere, aut etiam eorum ordinem immutare, ne sanctis quoque ipsis et Deo ipsi repugnantes reperiamur [1]. »

Anglicanis tamen concesserunt patriarchæ, ut peculiarem honorem sedi Hierosolymitanæ tribuerent, ejusque jurisdictioni pro libitu se traderent, dummodo sedium ordinem immutatum relinquerent. Cæterum, res huc stetit, nec ultra progressa est. Animadvertas autem velim horum Anglicanorum propositum non adeo procax fuisse vel temerarium, sed rationi potius consentaneum. Excluso enim primatu qui divinæ sit institutionis, nulla prorsus in toto terrarum orbe exstat Ecclesia, quæ potiora jura ad honoris primatum venditare ac jactare possit quam Ecclesia sanctæ Sion, ubi præcipua redemptionis nostræ acta sunt mysteria, ubi ipsa fuere Ecclesiæ catholicæ incunabula. Et hæc quidem jura non transitoriæ sunt indolis, sed perennitati nata; dum, e contra, Constantinopolitanæ sedis primatus titulo mere laico et omnibus temporum vicibus fortunæque mutationibus obnoxio innitebatur.

1. *Ibid.*, p. 156 : « Λοιπὸν ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις Ἐκκλησία εἶναι μήτηρ πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν καὶ πρώτη, διατὶ ἀπ' εκείνην ἤρχισε νὰ ἁπλώνεται τὸ Εὐαγγέλιον εἰς ὅλα τὰ πέρατα, καλᾷ καὶ οἱ βασιλεῖς ὕστερον νὰ ἐδώκασι τὰ πρωτεῖα τῆς τιμῆς εἰς τὴν πρεσβυτέραν καὶ εἰς τὴν νέαν Ῥώμην διὰ τὸ κράτος τῆς βασιλείας, ὅπου ἦτον εἰς αὐτάς. »

2. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 384.

3 Secundum *Confessionem orthodoxam*, si Hierosolymitanæ sedi primatum honoris detulissent, vel potius restituissent, non *novitatem* utique, sed *antiquitatem* recipissent.

1. *Ibid.*, col. 406 sq.

CAPUT SEXTUM

DE PENTARCHIA ET TETRARCHIA

Prænotamina.

Inter autocephalismum proprie dictum et regimen monarchicum voce *primatus* indicatum, sive agatur de primatu juris divini (thesis catholica), sive de primatu juris ecclesiastici (antiqua thesis byzantina), medium venit regimen oligarchicum, non uni præsuli sed pluribus supremam jurisdictionem in Ecclesiam universam tribuens. Hæc regiminis ecclesiastici forma in Ecclesia byzantina dissidenti diu et a multis revera propugnata est, quæ modo *pentarchiæ*, modo *tetrarchiæ* nomen jure meruit.

Pentarchia proprie dicta, prout a cæteris regiminis ecclesiastici formis distinguitur, in hoc tota est, quod Ecclesiæ universæ regimen supremum adscribit quinque patriarchis Romano videlicet, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano; qui habentur potestate pares et ab invicem independentes; inter quos Romanus, saltem, donec orthodoxus est, honoris primatum obtinet. Quinque patriarchatuum constitutio non est quidem juris divini stricte dicti, nec ab ipsis apostolis originem duxit; est tamen juris divino-ecclesiastici, divino de Ecclesia proposito respondens et ab æterno prævisa; quæ ubi a conciliis œcumenicis decreta ac determinata fuerit, immutabiliter perseverare debet, nec unquam mutanda est, ita ut sextus veri nominis patriarcha nullatenus dari possit; si quæ vero nova Ecclesia inter nationes infideles constituta fuerit, uni e quinque sedibus patriarchalibus necessario adjungenda sit. Si patriarchæ inter se dissentiant, suffragium plurium prævalet.

Tetrarchia e pentarchia sponte orta est, postquam theologi byzantini Romanum Pontificem habuerunt ut ab uni-

versa Ecclesia penitus segregatum, ad ejus corpus non amplius pertinens. Loco quinque patriarcharum, quatuor tantum remanserunt; cætera, tetrarchiæ eadem ac pentarchiæ definitio est. Supremam in Ecclesiam universam jurisdictionem quatuor patriarchis, nempe Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano, adscribit.

Unde hujus capitis duo tantum articuli erunt, unus de pentarchia, de tetrarchia alter.

ARTICULUS I

De pentarchia.

Pentarchia prout, mox definita est, a quibusdam theologis theoretice ac speculative fuit quidem edocta ac propugnata; in rerum tamen veritate vix unquam exstitit, eo quod quinque patriarchæ de facto inter se jurisdictione ac auctoritate pares nunquam fuerunt.

Primum sane ante schisma consummatum, quædam exstitit pentarchiæ species, quæ doctrinæ catholicæ de primatu Romano directe ac per se non adversabatur, quamvis Ecclesiæ unitati grave inde periculum immineret [1]. Romanus

1. Ante hanc pentarchiæ formam, quæ Romanis Pontificibus plus minusve invisa fuit, saltem usque ad sæculum IX, *triarchia* quædam in canone sexto concilii Nicæni I adumbrata fuerat, quatenus præsulibus Alexandrino et Antiocheno quædam superior jurisdictio ob firmata fuerat ad exemplum immediatæ jurisdictionis, quam Papa in Occidente exercebat. Hæc triarchia sane primatum Romani Pontificis non excludebat, sed tacite supponebat; quam Papæ ad monarchiam haud ægre reducebant juxta hæc sancti Gregorii Magni verba ad Eulogium Alexandrinum : « Cum multi sint apostoli, pro ipso tamen principatu sola principis apostolorum sedes in auctoritate convaluit, *quæ in tribus locis unius est*. Ipse enim sublimavit sedem (Romanam) in qua etiam quiescere et præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem in quam evangelistam discipulum misit (scilicet Alexandrinam). Ipse firmavit sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit (Antiochenam). *Cum ergo unius atque una sit sedes*, cui ex auctoritate divina tres nunc episcopi præsident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. » *P. L.*, t. LXXVII, col. 899. Verum hæc ipsa triarchia omni periculo haud vacua erat, sed in ea

enim Pontifex ut patriarcha patriarcharum tunc habebatur, et ejus primatus ab aliis agnoscebatur. Huic pentarchiæ formæ monarchicæ quidam optimæ notæ theologi non solum inter Orientales, verum etiam inter Occidentales, adhærere visi sunt, inter quos nominandi sunt Maximus Confessor [1], Tarasius [2], Nicephorus [3] et ille tam præclarus Romani primatus prædicator qui nomen habet Theodorus Studita [4]. Inter Occidentales, primus omnium, ut videtur, Anastasius Bibliothecarius pentarchiam memoravit ac orthodoxe explicavit :

« Quia cum Christus, inquit, in corpore suo, quod est Ecclesia, tot patriarchales sedes quot in cujusque mortali corpore sensus locaverit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiæ, si omnes illæ sedes unius fuerint voluntatis, sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integræ communisque fuerint sanitatis; inter quas videlicet sedes quia Romana præcellit, non immerito visui comparatur qui profecto cunctis sensibus præeminet, acutior illis existens, et communionem, sicut nullus eorum, cum omnibus habens [5]. »

Hujus autem pentarchiæ origo a concilii Chalcedonensis tempore repetenda est. Inde enim quinque patriarchatus canonice existunt, et patriarchæ tanquam totius Ecclesiæ summi pastores, illam in compendio repræsentantes et quasi personam illius gerentes, in Oriente communiter habentur. Unde ad constituendum concilium vere œcumenicum, illorum præsentia requiritur, sive ipsi veniant, sive legatos mittant. Solius tamen Romani Pontificis præsentia absolute necessaria reputatur, ut synodus auctoritate œcumenica donetur [6], quod primatus Petri successoris in tuto ponit. In hac prima periodo, adhuc catholica, quinque patriarchæ latebat quoddam germen schismaticum, ut subsequentes eventus mox ostenderunt.

1. *Epist. ad Joannem Cubicularium*, *P. G.*, t. xc, col. 464; *Disputatio cum Pyrrho*, *ibid.*, t. xci, col. 352.
2. *Oratio coram populo*, Mansi, *op. cit.*, t. xii, col. 985.
3. *Apologia pro sacris imaginibus*, *P. G.*, t. c, col. 597.
4. *P. G.*, t. xcix, col. 1280, 1417, 1420.
5. *In concilium octavum præfatio*, Mansi, t. xvi, col. 7.
6. Ita synodus Nicæna II ut œcumenica recepta est, quamvis ei non interfuerint legati Alexandriæ, Antiochiæ et Hierosolymorum; cf. *Epist. Orientalium ad Tarasium patriarcham*, *P. G.*, t. xcviii, col. 1476.

quinque capita Ecclesiæ sæpius dicuntur [1]; quandoque etiam cum quinque sensibus corporis humani jam comparantur, ut apud Anastasium Bibliothecarium.

Inde a sæculo ix, tempore Photii scilicet, hujus conceptionis periculum luculente jam apparet, ut ex Actis concilii œcumenici VIII videre est [2]. Sæculis vero x et xi, pentarchia catholica ita obscuratur, ut tempore Michaelis Cærularii pentarchiæ schismaticæ apud multos in Oriente jam locum cesserit. Hanc pentarchiam schismaticam jam sufficienter delineatam invenimus in quadam epistola Petri Antiocheni ad Dominicum patriarcham Gradensem; cujus verba cum in tomo i retulerimus, hic repetere abstinemus [3]. Apud theologos autem sæculi xii, hæc jam plene evoluta est, et thesis classicæ instar communiter edocetur; cujus tamen duplex forma apud diversos auctores deprehenditur : forma scilicet oligarchica, quæ definitioni supra traditæ omnino consonat, quatenus quinque patriarchas ponit dignitate et potestate inter se perfecte pares; et forma monarchica, quæ patriarcham Constantinopolitanum cæteris præponit, utpote privilegiorum Romanæ Sedis hæredem.

Inter hos theologos, primus mentionem meretur ille Nicetas Seides, cujus mirandam de patriarchalium sedium ordine sententiam supra retulimus [4]. Hic comparationem jam tritam de quinque sensibus corporis humani ad quinque sedes patriarchales accommodatam resumens, Latinos in hunc modum alloquitur :

« Deponite, quæso, hunc nimium zelum vestrum, ut veritatem capiatis; accedite et toti catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ corpori, ex quo male vosmetipsos segregastis, probe rursus conjungamini; neque commune caput nostrum, quod est Christus, sensibus mutilum amplius efficiatis, eorum

1. Ita apud Theodorum Studitam : τὸ πεντακόρυφον σῶμα τῆς Ἐκκλησίας, *P. G.*, t. xcix, col. 1417, et in concilio œcumenico VII, Mansi, *op. cit.*, t. xvi, col. 35, 82, 344.
2. Cf. ea quæ in tomo i diximus, p. 71-73.
3. Cf. t. i, p. 280.
4. Vide p. 379 sq.

unum ei adimentes, et ita illud contristantes; siquidem, ut bene scio, non ignoratis quinque patriarchatus similitudinem præferre quinque sensuum. Jerusalem quidem visus locum tenet, quia Christum prima vidit, et qui eum viderunt omnes exinde profecti sunt. Antiochia vero odoratum sorte obtinuit, quod inde bonus odor vocationis nostræ, quæ a Christo est, tanquam unguenti pretiosi odor in omnes orbis terminos primum diffusus, omnes more apostolico dicere edocuit : *Christi bonus odor sumus;* hoc autem verissimum esse confirmat qui post Petrum Coryphæum primus ejus pastor exstitit, *Evodius* (= εὐωδία) nuncupatus. Roma, ut puto, gustus typum sortita est; in ea siquidem Petrus super fidei petram torcular (= ληνὸν) per Linum (= διὰ Λίνου) primum figens, postea et veræ vitis palmitem (= τὸ κλῆμα per Clementem (= διὰ τοῦ Κλήμεντος) plantavit; ex quo vestri proavi nigrescentes fidei racemos exprimentes, de lætitiæ vino, quo eorum corda lætificata sunt, gustaverunt; vos vero, gustatu haud contenti et ad satietatem usque illo impleti, plenitudinem fidei evomuistis. Restat ergo Alexandriam auditus vices gerere. In ea enim per magos primum auditus est Christus natus, et cum ad eam primum advenisset, omnia dæmonum simulacra ceciderunt ac confracta sunt, Christi vero nomen per universam Ægyptum auditum est. Nova vero Roma nostra tactum, utpote sensuum ultimum et universalem, clare repræsentat, quatenus non solum patriarchium œcumenicum, verum et imperium universale et est et dicitur [1]. »

Hæc Seides, qui subjicit illas quinque magnas Ecclesias secundum Dei propositum et præscientiam ad toti mundo

1. *Op. cit.*, loco supra indicato, p. 379, n. 1 : « Ἀλλὰ μετάθετε, παρακαλῶ, τὸν ἔνθεον ζῆλον ὑμῶν πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας κατάληψιν, καὶ δεῦτε συνολώθητε πάλιν καλῶς τῷ ὅλῳ σώματι τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας, ἐξ οὗ κακῶς ἀπεσχίσθητε, καὶ μὴ τὴν κοινὴν ἡμῶν κεφαλήν, ἥτις ἐστὶν ὁ Χριστός, ἐλλιπῆ τῶν αἰσθήσεων ἀπεργάζεσθε ἐπὶ πλεῖον, κολοβοῦντες τὴν μίαν καὶ λυποῦντες αὐτὸν διὰ τοῦτο. Οὐκ ἀγνοεῖτε γάρ, οἶδα, ὅτι τύπον τῶν πέντε αἰσθήσεων ἐπέχουσι τὰ πέντε πατριαρχεῖα... Ἡ δέ γε νέα Ῥώμη καὶ ἡμετέρα τὴν ἁφὴν ὡς ἐσχάτην μέν, καθολικὴν δὲ τῶν αἰσθήσεων οὖσαν, σαφῶς εἰκονίζει, καθὸ καὶ οἰκουμενικὴ οὐ μόνον πατριαρχία, ἀλλὰ καὶ αὐτοκρατορία ἐστί τε καὶ λέγεται. »

dominandum et imperandum electas fuisse, cæterarumque Ecclesiarum capita exstare [1]; ac deinde explicat quomodo omnium novissima facta sit omnium prima [2].

Archimandrita Nilus Doxopatrius, Nicetæ coævus, eodem fere modo de sedibus patriarchalibus loquitur in sua *Notitia thronorum patriarchalium*, jussu Rogerii II, Siciliæ regis, anno 1143 conscripta :

« Cum, inquit perfectum Ecclesiæ corpus esse oportebat, cujus unum caput Christus, singula vero corpora quinque sensibus gubernantur, et non quatuor, propterea ita disposuit Spiritus Sanctus, ut quinque essent patriarchatus, unum corpus unamque Ecclesiam efficientes et sensuum vicem gerentes. Quemadmodum enim corpus animantis a quinque sensibus dirigitur, et si unus ex his defecerit, corpus imperfectum est, sic et Ecclesia Christi, cum unum sit corpus universa et una in Christum Dei Filium fide firmata, a quinque patriarchis tanquam a quinque sensibus dirigitur. Quinam vero patriarchatus cujus sensus vicem sustineant, non est præsentis temporis dicere [3].»

Pentarchia autem a Nilo edocta non est mere oligarchica, sed formam monarchicam induit, quia verum jurisdictionis primatum in alios patriarchas Constantinopolitano præsul hic auctor tribuit [4].

Eodem sæculo XII, canonista Theodorus Balsamon in describenda pentarchia non semper sibi constat. Quinque enim patriarchas habet modo ut unum caput omnium Dei Ecclesiarum, unius capitis invisibilis, Christi scilicet, locum

1. *Ibid.* : « Τίνος χάριν αὗται μόναι αἱ πέντε πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν προεκρίθησαν τοῦ κόσμου παντὸς ἄρχειν τε καὶ ἡγεμονεύειν καὶ κεφαλαὶ τῶν ἄλλων ὑπάρχειν, ἢ πάντως κατὰ τὴν μεγάλην τοῦ Θεοῦ βουλήν τε καὶ πρόγνωσιν τοῦ πάντα ἐπισταμένου, πρὸ τοῦ γενέσθα ιοἰκονομηθέντος καὶ τούτου; »

2. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 380 sq.

3. *Notitia patriarchatuum*, *P. G.*, t. CXXXII, col. 1097 : « Ὅτι ἔδει τέλειον εἶναι τὸ σῶμα τῆς Ἐκκλησίας..., διὰ τοῦτο ᾠκονόμησε τὸ ἅγιον Πνεῦμα πέντε γενέσθαι τὰ πατριαρχεῖα, ἅτινα εἰσὶν ἓν σῶμα καὶ μία Ἐκκλησία, αἰσθήσεων λόγον ἐπεχόντων τῶν πέντε πατριαρχείων. » Cf. G. Parthey, *Hieroclis synecdemus et Notitiæ græcæ episcopatuum*, Berolini, 1866, p. 286.

4. Cf. p. 438.

tenens [1], modo ut quinque capita [2], modo demun ut corporis Christi mystici sensus quinque [3]. Item, postquam patriarchas posuit omnino inter se æquales et in regimine propriæ provinciæ ab invicem independentes [4], verum primatum vel Romano Pontifici, vel patriarchæ œcumenico tribuit [5]. Nunc tenet Papam, etsi in schisma delapsum, a pentarchia non penitus excludi, cujus communioni et concordiæ tanquam quercui hederam se inhærere dicit, et ob separationem illius animo lacerari quotidieque bonam ejus conversionem exspectare [6]; nunc autem ut omnino ab Ecclesia universali separatum illum habere videtur, cujus abscissio bonum Ecclesiarum ordinem minime destruxerit [7].

Sæculo XIII ineunte, Joannes Camaterus, in sua jam citata epistola ad Innocentium papam III [8], pentarchiam oligarchicam primatui Romano opponit et patriarchas comparat tum quinque corporis sensibus, tum lyræ chordis, eosque vult omnino inter se pares, solo enumerationis ordine invicem præstantes; quod in ore patriarchæ œcumenici satis mirum videri potest :

« Cum sint, ait ille, quinque magnæ Ecclesiæ, quæ patriarchali dignitate gloriantur, Ecclesia romana ordine prima venit ut soror inter sorores æquo honore donatas... Quemadmodum quinque sensuum nullus dici potest cæteros sensus in se continere, sed singuli suum proprium officium adimplent,

1. Μελέτη ἤγουν ἀπόκρισις χάριν τῶν πατριαρχικῶν προνομίων, *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 1020 : « Τοὺς ἁγιωτάτους πέντε πατριάρχας μίαν οἴδαμεν κεφαλὴν τοῦ σώματος πασῶν τῶν Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ. » — « Οἱ πέντε πατριάρχαι ἐπέχουσι τόπον τῆς μιᾶς κεφαλῆς τοῦ σώματος. » Col. 1025.

2. *Ibid.*, col. 1016 C. : « κάραι τῶν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἁγίων Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ δικαίως καλούμενοι. »

3. *Ibid.* : « ὡς αἰσθήσεις πέντε μιᾶς κεφαλῆς ἀριθμούμεναι. »

4. *Ibid.*, col. 1016 et 1024 : « Ἰσοτιμίαν ἐν ἅπασιν ἔχουσι... Ἕκαστος τὴν ἀπονεμηθεῖσαν αὐτῷ διοίκησιν ἐνεργήσει μονοειδῶς. »

5. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 437.

6. *Op. cit.*, col. 1020 : « Καὶ ἔτι γὰρ ὡς κισσὸς δρυός, τῆς ὁμονοίας τοῦ πάπα Ῥώμης ἐξέχομαι καὶ τῷ χωρισμῷ τούτου τὴν καρδίαν σπαράττομαι, καὶ τὴν καλὴν ἐπιστροφὴν καθ' ἑκάστην καραδοκῶ. »

7. *Ibid.*, col. 1016 B : « Τοῦ πάπα τῆς παλαιᾶς Ῥώμης ἡ δικαία ἐκ τῶν Ἐκκλησιῶν ἐκκοπὴ τὴν κανονικὴν εὐταξίαν οὐκ ἐλυμήνατο. »

8. Vide supra, p. 341.

quin unus alterius auxilio ad hoc egeat; neque enim oculus imperat auditui, neque odoratui, neque gustui, neque sane tactui...; ita de his quoque magnis sedibus cogitandum [1]. »

Paulo post, Germanus II de pentarchia polemice loquebatur in secunda ad Cyprios epistola :

« Novimus cuncti qui christiano intincti sumus baptismo unum esse magistrum nostrum, Christum scilicet, qui est caput omnium qui per orbem sunt christianorum; quotquot autem pontificali dignitate honorati sumus, fratres sumus et corporis Christi membra ... Fastus autem italicus id non vult, neque sustinet Christum caput esse et vocari; sed ab hoc ordine eum expellens, senioris Romæ pontifici hanc dignitatem largitur; tum quinque patriarchatus reconflare ac unum ex eis conficere tentans, illius thronum super nubes ponere eumque Altissimo assimilare non dubitat. Nubes autem dico ego præeminentes atque excelsas episcopales sedes in patriarchatus ordinatas [2]. »

Mentio pentarchiæ haud raro occurrit apud theologos sæculi XIV et sæculi XV [3]. Ad hanc regiminis ecclesiastici formam confugere solebant, quotiescumque de unione cum Latinis instauranda sermo erat, primatusque patriarchæ œcumenici penitus obliti, eam opponebant primatui Romani Pontificis, quem ut e patriarchis unum, ordine et consessu, non jurisdictione principem habere volebant. Ita de primatu Romano sentiebant græci præsules in concilio Florentino, ut ex Actis elucet. Paucis enim diebus antequam pangeretur unio, de privilegiis Papæ et patriarcharum acriter discepta-

1. *Cod. citato* supra, p. 341, n. 1 : « Πέντε τυγχανουσῶν τῶν μεγάλων Ἐκκλησιῶν, αἳ καὶ πατριαρχικοῖς σεμνύνονται ἀξιώμασι, (Ῥώμην) πρώτην ὡς ἐν ἀδελφαῖς τυγχάνειν ὁμοτίμοις αὐτῇ. »

2. *Epist. II ad Cyprios, P. G.*, t. CXL, col. 616-617 : « Ἀναχωνεύειν ἐπιχειρεῖ τὰ πενταδικῶς ἀριθμούμενα πατριαρχεῖα, καὶ ἓν ἐκ τούτων ἀποτελεῖν, καὶ τιθέναι τὸν θρόνον αὐτοῦ ἐπὶ τῶν νεφελῶν ἀποθρασύνεται, καὶ τῷ Ὑψίστῳ ἀφομοιοῦν· νεφέλας δ' ἐγώ φημι τοὺς ὑπερέχοντας ἀρχιερατικοὺς θρόνους καὶ ὑψηλοὺς καὶ ἀποτεταγμένους εἰς πατριαρχεῖα. »

3. Cf. Nilum patriarcham, qui dicit Ecclesiam εἰς πέντε τμήματα esse devisam, apud Miklosich-Müller, *Acta pat. Const.*, t. II, p. 40; item Nilum Cabasilam, *De causis schismatis, P. G.*, t. CXLIX, col. 696 : « Πέντε τῶν καθολικῶν Ἐκκλησιῶν οὐσῶν, ἡ μία ταῖς λοιπαῖς ἀντιλέγει. » Macarium Ancyranum, *op. cit.*, p. 3-4, 41.

tum est, parumque abfuit quin hæc quæstio synodi felicem exitum impediret; nec prius unionis decreto Græci subscripserunt quam ei inseretur sequens caput, quo pentarchia, jam catholice accepta propter præcedentem Romani primatus declarationem, iterum quodammodo dedicatur ac instauratur :

« Renovantes insuper ordinem in canonibus traditum cæterorum venerabilium patriarcharum : ut patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus et quintus Hierosolymitanus, *salvis profecto privilegiis omnibus et juribus eorum* [1]. »

In periodo moderna, pentarchia in quorumdam theologorum scriptis adhuc superest usque ad sæculum XVIII, quanquam tetrarchia frequentius memoratur. Illam invenies sæculo XVI apud Meletium Pigam [2], sæculo XVII apud Nectarium Hierosolymitanum, cujus verba referre liceat :

« Ecclesia dicitur quinque patriarcharum in unum conventus, in quibus omnia alia hierarchia ad unam unionem et mutuam inter se indissolutam communionem continetur, tam quoad fidem, confessionem, sacramenta et spiritualia officia quam quoad mores et regendi formam, quantum fieri potest. De illa dicitur : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et hæc proprie dicitur *Ecclesia catholica*, cujus caput Christus solus [3] — Cum universalis Ecclesia ad quinque capita assur-

1. «᾽Ανανεοῦντες ἔτι καὶ τὴν ἐν τοῖς κανόσι παραδεδομένην τάξιν τῶν λοιπῶν σεβασμίων πατριαρχῶν, ὥστε τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχην δεύτερον εἶναι μετὰ τὸν ἁγιώτατον πάπαν τῆς Ῥώμης... σῳζομένων δηλαδὴ καὶ τῶν προνομίων ἁπάντων καὶ τῶν δικαίων αὐτῶν.» Postularunt Græci, ut in decreto scriberetur : salvis *omnibus* privilegiis eorum, dum Latini *omnibus* expungere volebant. Græci item jurisdictionem Papæ circumscribere volebant, videlicet : 1° ne convocare posset synodum œcumenicam sine imperatore et patriarchis; 2° ne patriarchae a Papa immediate judicarentur in casu appellationis ab eorum sententia, sed per inquisitores a Papa missos; cf. *Sanctum Florentinum universæ Ecclesiæ concilium editum a monacho benedictino*, ed. græca, Romæ, 1864, p. 308-316; ed. latina, Romæ, 1865, p. 257-264.

2. Cf. p. 415 sq.

3. *De principatu Papæ* (versio Allixii), p. 213, 214.

gat sub Christo capite, Ecclesia latina unum habet Papam solum, orientalis autem Ecclesia habet quatuor patriarchas, et alia etiam minora capita, sed non ideo minus capita, et sedes autocephalas dictas, quales Cypri antiquissima et ab ipsis apostolis sedes, Bulgariæ a Justiniano Magno, Iberiæ, Moscoviæ sedes, quæ non modo ut archiepiscopatus, verum ut patriarchatus paucos ante annos honoratur et dicitur [1]. »

Ex his constat Nectarium inter patriarchas adhuc computasse Romanum Pontificem, patriarcham vero Mosquensem nuper constitutum inter *capita minora* retulisse [2]. Porro eorum qui e patriarcharum collegio Papam jam expellebant, tetrarchiæ sectatores facti, quosdam forsan reperies qui resurrectionem pentarchiæ cecinerint, quando novus patriarcha in Septentrione exortus est; cui sæculo XVIII ineunte cum juribus æqualibus successit Synodus Dirigens a Petro Magno instituta. Pauci vero inter Græcos hoc fecere, dum Moscovitæ, ut supra vidimus, de constituenda nova pentarchia in uno Russorum imperio sub Niconis papali jurisdictione cogitarunt.

Inde a sæculo XVIII, de pentarchia raro sermonem fecerunt theologi græco-russi, quandoquidem hæc præteriti jamdudum elapsi nonnisi platonicum monumentum erat; sæculo vero XIX, ab Autocephalistis acriter impetita est, utpote systemati de Ecclesiis nationalibus autocephalis contraria. Ad quinque enim coarctat Ecclesiarum autocephalarum numerum, dum autocephalismus eas multiplicat pro nationum independentia politica potitarum numero, qui ex se incertus est et secundum nationum fata diversa variare potest. Inter pentarchiæ adversarios emicuerunt independentiæ Ecclesiæ hellenicæ defensores, qui anno 1833 Othoni regi longam relationem de Ecclesiæ græcæ

1. *Ibid.*, p. 66-67; cf. p. 191.

2. Notanda est opinio quorumdam canonistarum dicentium numerum patriarcharum augeri non posse nisi per decretum concilii œcumenici; unde patriarchia inde ab anno 787 constituta esse anticanonica, donec decreto œcumenico approbata fuerint. Ita A. Schaguna, *Compendium des kanonischen Rechtes* (ed. germanica Aloisii Senk), Hermannstadt, 1868, p. 224.

statu in melius mutando obtulerunt. Recitatis enim antiquis canonibus de Ecclesiæ Constantinopolitanæ privilegiis, haud ægre demonstrarunt hujusmodi privilegia meris politicis rationibus inniti [1], pentarchiamque ecclesiasticam, prout sæculo v constituta est, pronuntiarunt spiritui et litteræ Novi Testamenti contrariam fuisse, immo nunquam revera exstitisse, quandoquidem, historia teste, præter magna quinque illa patriarchia, semper fuerunt aliæ quædam Ecclesiæ autonomæ et autocephalæ [2]. In suo autem percelebri opere, inscripto : Ὁ συνοδικὸς τόμος, Athenis 1852, archimandrita Pharmakides sententiam asserentium antiquos patriarchatus a Spiritu Sancto fuisse constitutos blasphemiæ nota inurit. Nuperrime vero Nectarius Kephalas de pentarchia hæc scribere non dubitabat :

« Pentarchia conciliorum œcumenicorum decretis adversatur... Est principium anticanonicum et erroneum, quatenus alias Ecclesias privat jure de propriis negotiis ecclesiasticis inquirendi. Hujusmodi principium a principio papalis infallibilitatis haud differt, nisi quod loco unius, quinque ponuntur infallibiles [3]. »

Pentarchiæ tamen memoriam nostris etiam diebus non penitus periisse, sed Græco-Russorum animis latenter adhuc insidere ex hoc quis colligere possit, quod supra retulimus, scilicet theologos dissidentes haud paucos nunc exstare qui opinantur Ecclesiam græco-russicam per se solam non cons-

1. *De præsenti Ecclesiæ græcæ statu*, apud Mansi-Petit, t. XL, col. 191 : «Ὅλοι οἱ λόγοι οὗτοι εἶναι λόγοι ἀνθρώπινοι, λόγοι κοσμικοὶ καὶ πολιτικοί, λόγοι οἱ ὁποῖοι δὲν ὑποχρεόνουσιν ἔθνη πολιτικῶς ἐλεύθερα καὶ ἀνεξάρτητα εἰς ἐκκλησιαστικὴν ἐξαρτησίαν ἀπ' ἄλλης Ἐκκλησίας ἄλλου ἔθνους.»

2. *Ibid.* : « Ἀλλὰ κατ' αὐτὴν τὴν ἐναντίαν καὶ τοῦ πνεύματος καὶ τοῦ γράμματος τῆς καινῆς διαθήκης καὶ τῆς ἀρχαιοτάτης συνηθείας γενομένην διαίρεσιν, πολλαὶ Ἐκκλησίαι ἔμειναν διόλου ἀνεξάρτητοι ἀπὸ τὴν εἰρημένην, ἢ αὐτοκέφαλοι. »

3. « Πενταρχία εἶναι ἐναντία πρὸς τὰ περὶ οἰκουμενικῶν συνόδων δεδογμένα... Ἡ ἀρχὴ αὕτη εἶναι ἀντικανονικὴ καὶ πεπλασμένη, διότι ἀφαιρεῖ ἀπὸ τὰς λοιπὰς Ἐκκλησίας τὸ δικαίωμα τοῦ συζητεῖν περὶ ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων. Ἡ ἀρχὴ αὕτη εἶναι ὁμοία τῇ περὶ ἀλαθήτου τοῦ πάπα, μὲ μόνην τὴν διαφορὰν, ὅτι εἰσὶ πέντε ἀλάθητοι ἀνθ' ἑνός. » Μελέτη ἱστορικὴ περὶ τῶν αἰτίων τοῦ σχίσματος, t. I, Athenis, 1911, p. 269. De pentarchia quædam habet P. Lapin. *op. cit.*, p. 172-176. Dicit eam historicis eventibus convulsam fuisse.

tituere Ecclesiam universam, præsentiam vero patriarchæ Occidentis, Papæ scilicet, ad concilium œcumenicum veri nominis efficiendum omnino requiri pronuntiant [1].

ARTICULUS II

De tetrarchia.

De tetrarchia pauca tantum dicere habemus. De ea enim eadem ratio est ac de pentarchia. Illi theologi qui Romanum Pontificem ab Ecclesia universali penitus excluserunt tanquam veri nominis hæreticum, in tetrarchiam necessario devenerunt; cujus, sicut et pentarchiæ, duplex forma distinguenda est : monarchica una, quæ primatus jurisdictionis patriarchæ Constantinopolitani, utpote hæredis privilegiorum Romani Pontificis, rationem habet; oligarchica altera, quæ quatuor patriarcharum orientalium æqualitatem in omnibus propugnat.

Jam ante Constantinopolim a Turcis captam, quidam theologi byzantini de quatuor tantum patriarchis, Papa omisso, loqui consueverunt. Ita patriarcha Callistus in *Epistola ad clerum Trinoviensem* :

« Principio, inquit, ab Ecclesia catholica et apostolica constituti sunt quinque patriarchæ, donec papa Romæ nobiscum convenit; inde vero usque nunc inter se uniti permanent alii quatuor, communionem indissolubilem servantes [2]. »

Tetrarchia autem posita, comparationi de quinque sensibus corporis necessario valedicendum erat. In ejus locum quidam suffecerunt comparationem de quatuor columnis

1. Nota hodie in Ecclesia græco-russica inveniri octo patriarchas, quatuor scilicet orientales antiquos, ac Rumenum, Serbicum, Russicum et Ibericum. Notum est tamen Tichonis patriarchæ Russorum, anno 1925 vita functi, successorem adhuc desiderari.

2. « Ἐπειδὴ πέντε πατριάρχαι ἐτάχθησαν τὸ κατ' ἀρχὰς παρὰ τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας Χριστοῦ, μέχρις ἂν συνῆν ἡμῖν καὶ ὁ πάππας Ῥώμης, ἔκτοτε δὲ μέχρι τοῦ νῦν εἰσιν ἡνωμένοι οἱ τέσσαρες, οἵτινες κοινωνίαν ἔχοντες ἀδιασπάστως, μνημονεύονται παρ' ἀλλήλων. » *P. G.*, t. CLII, col. 1383 D; cf. Miklosich-Müller, *op. cit.*, I, 438.

templi mystici quod est Ecclesia. Ita Constantinopolitani unionis Florentinæ adversarii in professione fidei Constantino Plastri, Hussitarum calixtinorum sectatori, anno 1452 oblata :

« Hæc est Orientalis Ecclesia quatuor fulta columnis, nempe sedibus patriarchalibus, quibus præest Constantinopolitanus patriarcha, non arrogantia neque dominatu neque sæculari fastu præcellens, sed antiqua dignitate ad convenientem Ecclesiæ ordinem per canones constituta necnon doctrinæ sanæ prædicatione [1]. »

Habes hic signatam tetrarchiam monarchicam. Oligarchicam vero edocet Metrophanes Critopulus in sua *Confessione fidei*, c. XXII :

« Est inter quatuor patriarchas æqualitas, quæ christianos pastores quam maxime decet. Eorum enim nullus præ cæteris extollitur, neque profecto quisquam eorum se dignum esse censet qui orientalis Ecclesiæ caput appelletur. Nunquam enim in Ecclesia catholica auditum fuit hominem mortalem et quamplurimis obnoxium peccatis caput Ecclesiæ vocari... Ipsi omnino in pari dignitate singuli vivunt, neque ullum præter sessionem inter illos discrimen intercedit [2]. »

Hæc scribit Metrophanes nulla ratione habita tum patriarchatus Mosquensis a non paucis jam annis constituti, tum

1. « Αὕτη δέ ἐστιν ἡ Ἀνατολικὴ Ἐκκλησία τέτταρσι στύλοις τοῖς πατριαρχικοῖς θρόνοις ἐρειδομένη, ὧν ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ὑπερκάθηται οὐ τύφῳ οὐδὲ δεσποτείᾳ οὐδὲ ταῖς κοσμιγαῖς φαντασίαις προέχων, ἀλλὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐταξίας ἀρχαίῳ καὶ κεκανονισμένῳ ἀξιώματι καὶ τῇ τοῦ ὀρθοῦ λόγου διδασκαλίᾳ. » Apud Dositheum, Τόμος ἀγάπης, p. 331. *Epistola Ecclesiæ Constantinopolitanæ ad Bohemos*, eadem occasione missa, his incipit verbis, quæ primatum patriarchatus œcumenici aperte declarant : « Ἡ ἱεροαγία τῆς Κωνσταντινουπόλεως Ἐκκλησία, ἡ μήτηρ πάντων τῶν ὀρθοδόξων καὶ διδάσκαλος, πᾶσι καὶ ἑκάστοις τοῖς ἐνδόξοις ἀδελφοῖς καὶ υἱοῖς ἐν Χριστῷ ἀγαπητοῖς τῶν Ποεμίων. » Cf. X. A. Siderides, Ἡ πρὸς Βοεμοὺς ἐπιστολὴ τῆς Ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως κατὰ τὸ ἔτος 1452, in commentario Νέος Ποιμήν, 1923, p. 100.

2. Kimmel, *op. cit.*, t. II, p. 209, 210 : « Ἔστι δὲ καὶ ἰσότης μεταξὺ τῶν τεσσάρων πατριάρχων ὡς ἀληθῶς χριστιανικοῖς ποιμέσι προσήκουσα. Οὐδεὶς γὰρ τούτων κατεπαίρεται τῶν ἄλλων... Αὐτοὶ δὲ ὁμοτίμως διάγουσι καθ᾽ἑαυτοὺς ἐν πᾶσι. Πλὴν γὰρ τῆς καθέδρας, οὐδεμία τις ἄλλη διαφορά ἐστι μεταξὺ τούτων. »

supremæ jurisdictionis Constantinopolitanæ sedis, quæ tunc in alios patriarchas haud raro exercebatur. Negligunt item communiter patriarchæ orientales patriarcham Russorum in publicis documentis, forsan ut quatuor columnas servare possint. Ita in *Responso ad Injuratos Anglicanos* :

« Nostra Christi sancta Ecclesia, quatuor nunc fulta columnis, nempe quatuor patriarchis, immota manet et inconcussa, primum ordine habens patriarcham Constantinopolis, secundum, Alexandriæ papam, tertium, Antiochenum et quartum, Hierosolymitanum. Componunt autem et sustinent eam cum his etiam archiepiscopi autocephali, scilicet Moscoviæ archiepiscopus, qui et totius Russiæ patriarcha, et duo archiepiscopi Iberiæ et Achridensis [1], etc. »

Sæculo XIX ineunte, tetrarchiæ adhuc mentionem facit Athanasius Pariensis in suo *Compendio divinorum dogmatum* : « Universalis Ecclesia, inquit, dividitur in Ecclesias particulares, quæ sub auctoritate sedium conspicuarum ac maximarum civitatum visibiliter ordinantur; quae olim quidem quinque, nunc vero quatuor tantum exstant; quos patriarchia appellare consueverunt [2]. » Ex quo autem autocephalismus proprie dictus invaluit, tetrarchia, sicut et pentarchia, inter rationes jam antiquatas et scruta byzantina relegata est. Cæterum, ad regimen ecclesiasticum quod attinet, hæc tetrarchia meræ speculationis ac historicæ fictionis limites vix prætergressa est. Ad magisterium vero quod spectat, quatuor patriarcharum Orientis auctoritas magni semper facta est, præsertim apud Russos, nec defuerunt theologi qui documenta ab eis subsignata ut infallibilia habuerint; de quibus infra loquemur [3].

1. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 408 : « Ἡ καθ᾽ἡμᾶς τοῦ Χριστοῦ εὐσεβὴς Ἐκκλησία ἐπὶ τέσσαρσιν νῦν ἐρείδεται στύλοις, τοῖς τέσσαρσι δηλαδὴ πατριάρχαις. »

2. Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, Lipsiæ, 1806, p. 39-40 : « Διαιρεῖται δὲ ἡ καθόλου Ἐκκλησία εἰς μερικωτέρας, τὰς ὑπὸ τῶν ἐγκρίτων καὶ μεγίστων πόλεων τοῦ κόσμου ἐμφαινομένας, πάλαι μὲν πέντε ἀριθμουμένων, ἤδη δὲ τεσσάρων μόνων, ἃ δὴ πατριαρχεῖα καλεῖν σύνηθες. »

3. Vide p. 494 sq.

CAPUT SEPTIMUM

DE ECCLESIÆ INFALLIBILI MAGISTERIO SECUNDUM DOCTRINAM GRÆCO-RUSSORUM

Prænotamina.

Absoluta expositione variarum opinionum Græco-Russorum de forma regiminis ecclesiastici, quid de Ecclesiæ infallibili magisterio sentiant, nunc nobis dicendum. Ecclesiam infallibilitatis dote a Christo fuisse præditam uno ore omnes *hodie* docent, quamvis sæculo XVIII theologi russi, Theophane Procopovitch præeunte, non maximam sed relativam tantum auctoritatem conciliis œcumenicis tribuerint, ut in tractatu de fontibus Revelationis dictum est [1]. Multum tamen abest, ut tum cum Catholicis, tum inter se conveniant de singulis doctrinæ capitibus, quæ circa infallibile Ecclesiæ magisterium moveri solent. Eos siquidem et nobiscum et inter se discrepantes invenimus : 1º circa naturam et conditionem infallibilitatis Ecclesiæ; 2º circa munus et objectum magisterii ecclesiastici; 3º circa subjectum infallibilitatis; 4º circa diversos modos, quibus exerceri potest infallibile Ecclesiæ magisterium. Ut illorum varias sententias de singulis capitibus ordine ac dilucide referamus, præsenti capiti non minus quam duodecim articulos dicamus. Loquemur :

1º De natura et conditione infallibilitatis magisterii ecclesiastici;

2º De munere magisterii ecclesiastici in servando et explicando deposito revelato. De progressu dogmatico;

3º De objecto secundario magisterii ecclesiastici;

4º De subjecto infallibilitatis in communi;

5º De infallibilitate Romani Pontificis;

1. Cf. t. I, p. 644-652.

6º De magisterio patriarchæ Constantinopolitani;

7º De dogmatica auctoritate quatuor patriarcharum orientalium;

8º De concilio œcumenico ejusque variis conditionibus et possibilitate.

9º De modis supplendi concilium œcumenicum;

10º De conciliis particularibus;

11º De magisterio ordinario proprie dicto;

12º Utrum in Ecclesia græco-russica revera existat magisterium infallibile.

ARTICULUS I

De natura et conditione infallibilitatis magisterii ecclesiastici.

Accuratam notionem infallibilitatis Ecclesiæ, prout hæc tum a revelatione proprie dicta, tum ab inspiratione distinguitur, apud antiquos theologos byzantinos necnon apud plerosque modernos non invenies; qui haud semel loquuntur de sanctis Patribus *a Deo inspiratis* (οἱ θεόπνευστοι πατέρες) vel de conciliorum œcumenicorum decretis ex divina inspiratione prolatis. Ipsa Dosithei *Confessio fidei* nullam ponere videtur differentiam inter infallibilitatem seu *inerrantiam* sacrorum Librorum et infallibilitatem pastorum Ecclesiæ :

« Non minorem esse, ait in c. II, Ecclesiæ catholicæ auctoritatem credimus quam sacræ Scripturæ. Cum enim utriusque auctor sit Spiritus Sanctus, perinde est catholicam Ecclesiam audieris ac sacram Scripturam. Homo, quisquis ille sit, a seipso loquens, errare et falli, immo et fallere potest; Ecclesia vero catholica, utpote nunquam ex seipsa locuta aut loquens, *sed ex Dei Spiritu, quem perpetuum ac continuun doctorem habet,* nequaquam errare, aut falli, aut fallere potest, sed perinde ac sacra Scriptura infallibilem habet firmitatem et auctoritatem [1]. »

1. Kimmel, p. 427 : « ἀλλ᾽ἐκ τοῦ Πνεύματος τοῦ Θεοῦ, ὃ καὶ διδάσκαλον ἀδιαλείπτως πλουτεῖ εἰς τὸν αἰῶνα, ἀδύνατον πάντη ἁμαρτῆσαι ἢ ὅλως ἀπατῆσαι καὶ ἀπατηθῆναι. »

Item in capite XII :

« Credimus Ecclesiam catholicam a Spiritu Sancto doceri... Quemadmodum omnis Scriptura est et dicitur verbum Spiritus Sancti, non quod ab ipso immediate sed per apostolos et prophetas fuerit enuntiata, ita et a vivifico Spiritu docetur quidem Ecclesia, sed per sanctos Patres et doctores... per quos ab ea removet quemcumque errorem [1]. »

Hæc verba tamen, ut videtur, pressius sumenda non sunt. Assistentia enim Spiritus Sancti, qua Ecclesia ab omni errore in docendo præservatur, inspiratio dici potest in sensu lato. Recentiores autem compendiorum theologicorum auctores, nostrorum theologorum more, inter assistentiam, qua Ecclesiæ infallibilitas in tuto ponitur, inspirationem sacræ Scripturæ et revelationem proprie dictam, probe distinguere noverunt, inter quos nominare sufficiat Macarium Bulgakov [2], Andrutsum [3], Zikum Rhosim [4].

In ipsa ergo infallibilitatis Ecclesiæ notione, nulla deprehenditur vera differentia inter theologiam Græco-Russorum et doctrinam catholicam. Discrepantia vero in eo adest quod docent multi theologi russi inter recentiores, scilicet infallibilitatem Ecclesiæ ab ejus sanctitate pendere ac promanare. Agitur de sanctitate subjectiva membrorum Ecclesiæ, quam isti theologi habent ut conditionem sine qua non infallibilitatis ejus. Hujus doctrinæ prima vestigia jam invenimus apud Nilum Cabasilam, qui ideo negat Papam esse infallibilem, quod non sit impeccabilis [5]. Eadem polemica ratione ductus, Alexius Stepanovitch Khomiakov suum de Ecclesiæ sanctitate et infallibilitate conceptum elaboravit,

1. *Ibid.*, p. 444-445. : « οὕτω καὶ ἡ Ἐκκλησία διδάσκεται μὲν ὑπὸ τοῦ ζωαρχικοῦ Πνεύματος, ἀλλὰ διὰ μέσου τῶν ἁγίων πατέρων καὶ διδασκάλων. »
2. *Introductio in theologiam orthodoxam*, § 137, ed. 5, Petropoli, 1884, p. 376, ubi *assistentia* (= *soprissustvie*) distinguit a *revelatione* (= *otkrovenie*) et ab *inspiratione* (= *bogodukhnovennost*).
3. Δογματική, p. 290-291 : « Ἡ δ'ἐν ταῖς οἰκουμενικαῖς συνόδοις παρουσία τοῦ ἁγίου Πνευματος δὲν εἶνε ἔμπνευσις καὶ ἀποκάλυψις νέων δογμάτων, ἀλλ' ἐπιστασία ἤτοι φωτισμὸς προφυλάσσων τοὺς συνοδικοὺς ἀπὸ τῆς πλάνης ἐν ταῖς ἀποφάσεσιν αὐτῶν. »
4. Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολιςῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1903, p. 109, in nota.
5. Cf. p. 395.

cujus verba supra retulimus [1] : Ecclesia infallibilis est, quia sancta. Huic errori alter subjacet, de quo mox loquemur, scilicet non Ecclesiæ pastores, sed potius totum corpus Ecclesiæ esse verum infallibilitatis subjectum. A Khomiakovo theologi de quibus agimus hanc sententiam acceperunt, quæ non solum scriptis polemicis adversus Papæ primatum et infallibilitatem, verum etiam ipsis theologiæ dogmaticæ et polemicæ enchiridiis irrepsit. Illam fuse evolvit et sæpe repetit Alexander Lebedev in suo pluries jam memorato tractatu polemico de principatu Papæ, cujus effata sequentia exscribimus :

« Infallibilitas Ecclesiæ consistit in ejus sanctitate. Ecclesia ideo infallibilis, quia sancta [2]. — Sicut sanctitas est virtus liberæ voluntatis, ita infallibilitas in doctrina est virtus liberæ rationis [3]. — Ecclesia orientalis semper agnovit et confessa est intimum nexum existentem inter cognitionem conservationemque veritatis christianæ et credentium moralem puritatem. Sine morum integritate, veritatem apprehendere et custodire impossibile est [4]. — Quamdiu exstant justi, existit Ecclesia, et conservatur infallibilis doctrina fidei [5]. »

Hac imbutus doctrina, Lebedev acriter invehitur in Catholicos asserentes Papam, etiam peccatorem, esse infallibilem et definitiones ex cathedra edere posse. Hæc infallibilitas ab extrinseco, a privata sanctitate Romani Pontificis omnino independens et separabilis, illi est aliquid maxime incongruum ac monstruosum; unde eam vocat infallibilitatem mechanicam.

Lebedevo suffragantur multi Russi coævi, inter quos Malinovski in suo *Compendio theologiæ dogmaticæ* ad usum seminariorum : « Infallibilitas Ecclesiæ, inquit, in ejus sanctitate residet. Ecclesia infallibilis, quia sancta... Doctrina de rebus divinis ab incredulo moraliter ægrotante, cæco et surdo spiritu, comprehendi non potest. Hoc extra dubium est, ad scriptores biblicos quod attinet. Hoc ita esse

1. Cf. p. 285.
2. *Op. cit.*, p. 73.
3. *Ibid.*, p. 287.
4. *Ibid.*, p. 325.
5. *Ibid.*, p. 73.

debet et revera est in Ecclesia Christi, cujus infallibilitas in ejus sanctitate posita est. Conceptu impossibile est Spiritum Sanctum ab extrinseco tantum in homine operari [1]. » Eadem habet Truskovskii in sua *Theologia polemica* [2].

Nemo non videt hujusmodi doctrinam omnino reprobandam esse. Charisma enim infallibilitatis est gratia gratis data, quæ per se abstrahit a privata sanctitate vel virtute cujusque membri Ecclesiæ docentis vel discentis. Potest enim quis verum scire et prædicare, etiamsi peccator sit. Nonne in Scriptura videmus quosdam peccatores sub motione divina veras prophetias protulisse, ut Balaam et Caiphas? Nonne Jesus Christus de Scribis et Pharisæis dixit : « Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere? » (Matth., 23, 2-3.) Præterea, cum privata sanctitas cujuslibet credentis sit soli Deo nota, quomodo scire possemus episcopos in concilium œcumenicum adunatos ea sanctitate præditos esse, quæ necessaria sit ad condendas definitiones infallibiles, siquidem omnes plus minusve peccatores sumus? Collectio autem peccatorum non poterit efficere conventum infallibilem. Lebedevo aliisque Khomiakovi discipulis hoc tantum concedendum, scilicet sanctitatem interiorem conservandæ fidei in cujusque credentis anima necnon veritatibus revelatis aliquatenus intelligendis valde conducere, quamvis ipsam fidei virtutem retinere quis possit, postquam charitatem amiserit.

ARTICULUS II

De magisterii ecclesiastici munere erga depositum Revelationis. De progressu dogmatico.

Prænotamina.

Infallibilitatis Ecclesiæ duplex est objectum : objectum scilicet *primarium*, constans omnibus veritatibus *formaliter*

1. *Op. cit.*, t. II, p. 224, 227, 304; cf. t. III *Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ* ejusdem.
2. *Op. cit.*, p. 46.

revelatis, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur; et objectum *indirectum* seu *secundarium*, illas complectens veritates, quæ cum revelatis ita intime connectuntur, ut sine illis depositum revelatum stricte sumptum aut non possit, aut minus bene possit integre custodiri, explicari atque defendi. In præsenti articulo, de objecto primario agimus, et quærimus quodnam sit, juxta doctrinam Græco-Russorum, magisterii ecclesiastici munus erga depositum Revelationis stricte sumptum. Secundum doctrinam catholicam, « fidei doctrina tanquam divinum depositum Ecclesiæ, Christi sponsæ, a Deo tradita est, *fideliter custodienda* et *infallibiliter declaranda* ». (Concilium Vaticanum, *De fide*, c. IV.) Depositum *custodire*, depositum *declarare* seu *explicare*: en duplex magisterii ecclesiastici munus. Porro de munere *fideliter custodiendi* inter Catholicos et Græco-Russos nulla adest difficultas; circa munus vero *infallibiliter declarandi et explicandi*, consensio inter eosdem haud ita clara; siquidem in munere declarandi seu explicandi depositum revelatum implicatur quæstio dicta de *progressu dogmatico*.

Duplicem progressum dogmaticum distinguunt theologi : progressum scilicet *objectivum* seu absolutum, et progressum *subjectivum* seu *relativum*. Prior adest, quando novæ veritates a Deo revelantur; et ita in se crescit ipsum fidei depositum. Alter consistit in explicatione et clariori manifestatione veritatis jam a Deo revelatæ. Huic explicationi ansam præbere solent errores et controversiæ, quæ intra Ecclesiam oriuntur, vel infidelium impugnationes. Harum controversiarum et disceptationum occasione, Ecclesia clarius et explicatius quasdam veritates revelatas exprimit fidelibusque credendas explicite proponit, quæ antea nonnisi implicite a multis vel pluribus credebantur. Hujusmodi autem explicatio ad depositum revelatum nihil novi addit, nihil ex eo detrahit. Totus progressus ex parte subjecti se tenet : est ad credentes relativus. Unde vocatur progressus *subjectivus* et *relativus*. Hic progressus haud una efficitur via. Quandoque adest transitus de minori claritate ad majorem, sive quantum ad sententias, sive quantum ad verba; quandoque vero transitus fit de implicito ad explicitum per analysim, deductionem vel synthesim; ut, v. g.,

quando ex una generali propositione educuntur propositiones particulares in ea contentæ.

Jam vero inter Catholicos et Græco-Russos consensio perfecta omnino est quantum ad *progressum objectivum*; siquidem unanimiter docent omnes, ex quo apostolorum ultimus in terra superstes vita functus est, articulos fidei non crevisse *objective*, neque ullam novam revelationem publicam a Deo inde expectandam esse. Depositum revelationis ex hoc tempore omnino absolutum fuit ac completum, cui nihil amplius addendum, e quo nihil detrahendum. Ecclesia nova condere dogmata non potest, quæ in hoc deposito non contineantur; sed ejus est officii ea fideliter custodire et infallibiliter declarare.

Depositum *declarare* et *explicare* : hæc verba ipsum indicant progressum subjectivum, de quo non una est Græco-Russorum sententia. Ut eorum de hoc capite variæ opiniones dilucide exponantur, et appareat in quibus a doctrina catholica recedant, in quibus cum ea conveniant, sermonem faciemus : 1° de existentia progressus dogmatici subjectivi in Ecclesia græco-russica, inde a perfecto schismate; 2° de theologis qui progressum dogmaticum admittunt quidem, sed pro certo tempore tantum, ad sæculum IX illum sistentes; 3° de theologis qui omni progressui adversantur; 4° de eorum doctrina qui cum Catholicis verbis saltem sentire videntur; 5° de theologis qui Modernistarum placitis adhærent.

I. — De existentia progressus dogmatici in Ecclesia græco-russica.

Ecclesiam græco-russicam, inde a perfecto schismate, omnem progressum in re dogmatica vel theologica prorsus ignorasse, atque cadaveris instar, in traditionalismo inerti perseverasse commune est Occidentalium effatum. Numquid criminatio rerum veritati respondet?

Ut in tomo I hujus operis innuimus[1], extra controversiam est theologiam byzantinam ad rigidum traditionalismum et conservatismum innatam propensionem semper

1. P. 396.

habuisse, de investigatione theologica proprie dicta parum curasse, antiquorum dicta repetere plerumque satis habuisse. Hoc tamen non impedit quominus in antiqua Ecclesia byzantina aliquis progressus fuerit in declaranda et explicanda doctrina de credendis. Byzantii siquidem, errores nascentes — vel quæ pro errore aut hæresi habentur — cito damnantur; novæ fidei professiones contra novas hæreses promulgantur; nova etiam dogmata ab omnibus credenda proponuntur; quod ex decretis et canonibus synodorum, quæ per totum Medium Ævum Constantinopoli vel alibi habitæ sunt, clarissime constat. Hic in memoriam revocanda sunt quæ sæculo XII, Comnenis imperantibus, de diversis quæstionibus controversis synodaliter acta sunt; hic etiam venit historia palamiticæ contentionis, quæ tot genuit synodos, tot dogmaticos peperit tomos, quorum summam *Synodico* Dominicæ de *Orthodoxia* dictæ a patriarcha Philotheo insertam, in Græcorum *Triodio* adhuc invenies. Has de doctrina palamitica definitiones « tanquam divini symboli et sacrorum evangeliorum *explicationem atque interpretationem* » explicite protulit synodus Constantinopolitana anno 1368 adversus Prochorum Cydonium congregata[1].

Item in periodo moderna, ut ex tota nostra theologiæ græco-russicæ expositione luculente apparet, explicite credendorum summa Græco-Russis haud parum crevit ex tot mutuationibus, quæ ex theologia catholica factæ sunt, præsertim sæculo XVII, quo fidei Confessiones ad protestanticas hæreses refellendas conscriptæ sunt ac fidelibus publice propositæ. Hujusmodi Confessiones vel alios catechismos apud dissidentes hodie usu receptos cum opere sancti Joannis Damasceni inscripto : *De fide orthodoxa* si contuleris, non pauca sane doctrinæ capita in illis expressa reperies quæ in hoc desiderantur, ut, v. g., omnia fere quæ de septem sacramentis in modernis compendiis continentur.

1. « Αὐτὸν μέντοι τὸν ἱερὸν συνοδικὸν τόμον (agitur de definitione synodi palamiticæ anni 1351)... στήλην ὀρθοδοξίας ἔχομεν, καὶ κανόνα ἄπταιστον τῶν ὑγιῶν τῆς ἱερᾶς ἡμῶν πίστεως δογμάτων, καὶ τῶν ἱερῶν εὐαγγελίων καὶ τοῦ θείου συμβόλου ἀνάπτυξιν καὶ ἐξήγησιν. » *P. G.*, t. CLI. col. 714 C; cf. col. 702 D.

Alia explicationis doctrinalis causa apud Græco-Russos exstitit ipsa in aliquot Ecclesiæ catholicæ dogmata polemica insectatio; unde accidit ut quædam novæ sententiæ tanquam dogmata Ecclesiæ dissidentis sectatoribus profitenda temporum decursu fuerint propositæ, ut, v. g., doctrina de processione Spiritus Sancti a *Patre solo*, negatio primatus jurisdictionis et infallibilitatis Romani Pontificis, etc.

Demum in theologia dogmatica Græco-Russorum nostri ævi, vel in ipsis eorum fidei Confessionibus et catechismis, quædam occurrunt, quæ sunt in fide novitates apud antiquos prorsus inauditæ, ut, v. g., iteratio Confirmationis super apostatas, negatio cujuslibet pœnæ temporalis post mortem subeundæ, doctrina de chrismatione imperatorum pro gradu superiori sacramenti Confirmationis habita, etc.

Fuit ergo apud Græco-Russos, post byzantinum schisma, manifestus quidam de credendis progressus subjectivus; immo vero exstitit etiam aliquis *progressus objectivus*, quem *regressum* rectius vocabis, quatenus scilicet tanquam veritates revelatæ et dogmata credenda ab Ecclesia græco-russica quædam declarata sunt, quæ veri nominis errores et hæreses dicenda sunt, ut est, v. g., negatio primatus jurisdictionis Romani Pontificis, quem adhuc Photii ævo doctores et patriarchas byzantinos, immo et Photium ipsum, diserte confessos fuisse in tomo I hujus operis certis testimoniis demonstravimus.

Sub aliquo tamen respectu, jure negare quis potest verum progressum dogmaticum in Ecclesia græco-russica post separationem unquam exstitisse, si progressum dogmaticum intelligas de novis fidei definitionibus quæ auctoritate infallibili donentur et ab omnibus habeantur ac retineantur tanquam omnino certæ, in perpetuum stabiles ac prorsus irreformabiles. Hoc colligitur ex multorum theologorum dissidentium doctrina in sequentibus articulis fuse declaranda, qua tenent : 1° solum concilium œcumenicum proprie dictum infallibilitatis privilegio gaudere et infallibiles definitiones edere posse; 2° nullum concilium œcumenicum post Nicænum II (anno 787) in Ecclesia revera exstitisse. Totus ergo progressus dogmaticus qui in Ecclesia græco-russica inde a separatione consummata factus est, *caducus* dicendus est, quatenus infallibili fundamento nullatenus inniti potest. Illum vocabis *theologicum* potius quam *dogmaticum*, quatenus respicit tantum τὰ θεολογούμενα seu opiniones theologicas. Theologicarum opinionum campus in Ecclesia græco-russica revera extensus est sub duplici influxu theologiæ catholicæ et theologiæ protestanticæ; nullum autem lucrum vere dogmaticum exinde fecit illa Ecclesia, quippe quæ novæ fidei definitioni edendæ impar semper exstitit semperque remanet, quamdiu schisma perdurat, ob magisterii infallibilis defectum. Magisterio enim infallibili, ut dictum est, solum donatur œcumenicum concilium. Atqui, juxta multos theologos, verum concilium œcumenicum absque Romani Pontificis participatione haberi nequit.

II. — De theologis qui progressum dogmaticum ultra sæculum IX non protrahunt.

Ex quo quaestio de progressu dogmatico in Occidente ex professo agitari cœpit, id est inde a sæculo XIX mediante, Græco-russorum non una fuit de ea opinandi ratio. Quidam enim non negarunt, conciliorum œcumenicorum tempore, aliquem verum progressum in veritatibus revelatis declarandis et explicandis de facto perfectum fuisse; eum vero sæculo IX, post septimam synodum œcumenicam et Orthodoxiæ festum, fere absolutum fuisse contenderunt. His quidam antiqui præiverant, qui de septem synodis œcumenicis ita cogitarunt ac locuti sunt, sicut nos de septenario sacramentali sentimus ac loquimur : Septem sunt synodi œcumenicæ, sicut septem sunt sacramenta, nec plura nec pauciora. Ipsa synodi octavæ possibilitas excluditur. Hanc sententiam post synodum Florentinam, quam Orientales uniti *octavam* appellabant, quidam Russi revera tenuerunt; inter quos Macarius Bulgakov [1] memorat Jonam, metropolitam Mosquensem (1453-1462). Hic peccatum mortale reputabat ipsam cogitationem de possibilitate novi concilii

1. *Historia Ecclesiæ russicæ*, t. VI, p. 361; cf. Pierling, *La Russie et le Saint-Siège*, t. I, p. 104.

œcumenici, hancque sententiam publice prædicabat. Non sane eo usque deveniunt theologi recentiores de quibus loquimur. Dicunt tamen novo concilio œcumenico ad novas definitiones dogmaticas proferendas Ecclesiæ opus non esse, quod septem concilia œcumenica omnia necessaria explicaverint communique christianorum fidei proposuerint. Ita sæculo XVII sentiebat Nectarius Hierosolymitanus :

« Numero septimo, aiebat, qui est magis mysticus, per septem sanctas synodos œcumenicas omnis quidem hæresis annihilata est, universa autem orthodoxa fides resplenduit, neque ex eo tempore aliquid necesse fuit addere, neque detrahere possibile [1]. »

Sæculo sequenti, patriarcha œcumenicus Paisius II (1752) eamdem sententiam adhuc apertius exprimebat :

« Ad summum tum pervecta est sacra fides nostra, cum septima convenit synodus universalis, neque ulla amplius obscuritate ambiguitateve laborant quæcumque ad sacram nostram pertinent religionem, nec in dogmatibus, nec in sacramentis, nec in traditionibus, nec in ulla morali aut ecclesiastica disciplina quæ ad fidei perfectionem spiritualemque orthodoxorum christianorum salutem attineat [2]. »

Item quatuor patriarchæ orientales, in *Epistola encyclica ad omnes orthodoxos* anno 1848 data, omnem progressum dogmaticum septem concilia subsequentem repudiare videntur, dum adversus Catholicos hæc proferunt :

« Fides nostra non ex hominibus est neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi, quam divi apostoli prædicarunt, firmarunt œcumenicæ synodi, successione tradiderunt maximi et sapientes orbis terrarum doctores, et per proprii sanguinis effusionem corroboraverunt sancti

1. *Op. cit.*, p. 208.

2. « Καὶ οὕτως ἔλαβε τὸ τέλειον ἡ ἱερὰ ἡμῶν πίστις μέχρι τῆς οἰκουμενικῆς ζ'συνόδου, καὶ δὲν ἔμεινε πλέον ἐν οὐδενὶ ζητήματι καὶ προβλήματι, ὅσα εἰς τὸ ἱερὸς ἡμῶν ἀνήκουσι σέβας, οὐδεμία ἀσάφεια καὶ ἀμφιβολία οὔτε εἰς τὰ δόγματα, οὔτε εἰς τὰ μυστήρια, οὔτε εἰς τὰς παραδόσεις οὔτε εἰς καμμίαν ἠθικὴν καὶ ἐκκλησιαστικὴν διδασκαλίαν εἰς τὸ τῆς πίστεως τέλειον καὶ τὴν ψυχικὴν σωτηρίαν τῆς ὀρθοδόξων χριστιανῶν ἀφορῶσαν. » *Decretum contra Auxentium*, Mansi-Petit, t. XXXVIII, col. 588.

martyres... *Hæc plenitudinem adepta jam obsignata est*; quæ neque diminutionem, neque augmentum, neque ullam patitur mutationem. Qui vero tale quidpiam aut facere, aut consulere, aut cogitare non dubitaverit, fidem Christi jam negavit [1]. »

Juxta A. Lebedev, « progressus dogmaticus a scientia orthodoxa rejicitur. » Munus magisterii ecclesiastici est immutabiliter servare quæ in antiquis conciliis et symbolis definita sunt [2]. I. Soloviev vero pronuntiat « sæculo IX absolutam fuisse confirmationem totius doctrinæ ab apostolis acceptæ per vocem infallibilem Ecclesiæ universalis [3]. » Eidem sententiæ indirecte adhæret Antonius Amphiteatrov, dum contra Papæ primatum urget silentium synodorum œcumenicarum (quod omnino mirum est) : « In synodis, inquit, Ecclesia antiqua, apostolorum vestigia premens, decrevit quæcumque Ecclesiam universam spectant, dogmata scilicet et quæ bonum ordinem communem respiciunt [4]. »

Haud paucos inter recentiores invenies qui libenter fatentur septem concilia œcumenica pauca tantum definivisse, multaque definienda reliquisse, qui tamen de facto sistunt progressum dogmaticum ad sæculum IX, quatenus docent vocem infallibilem Ecclesiæ, inde a septima synodo œcumenica, non fuisse amplius auditam. Ita theologi scholæ liberalis, qui unionem Græco-Russorum cum Veteribus Catholicis nuper commendabant Unus ex illis, dux A. A. Kireev, alicubi scripsit : « Nihil præster septem concilia œcumenica vim habet obligantem. Dogmatum satis [5]! » Cui suffragatur Græcus Diomedes Kyriakos : « A conciliis œcumenicis vel a Patribus definitis nihil unquam addidit Ecclesia orthodoxa; in eis nihil unquam immutavit. Ecclesiæ

1. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, col. 411 B : « Ἀλλ'αὕτη πεπληρωμένη ἤδη ἐσφράγισται, μὴ ἐπιδεχομένη μήτε μείωσιν μήτε αὔξησιν μήτε ἀλλοίωσιν ἡντιναοῦν. »

2. *Op. cit.*, p. 66.

3. In dissertatione : *Doctrina Ecclesiæ orthodoxæ de sacra traditione*, edita in commentario *Viera i razum*, 1906, t. II, p. 141; cf. A. Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. I, p. 64, in nota.

4. *Op. cit.*, § 270 : « Ὥρισε τὰ τὴν οικουμενικὴν Ἐκκλησίαν ἀφορῶντα, ἤτοι τὰ δόγματα καὶ τὰ τῆς κοινῆς εὐταξίας. »

5. Cf. *Revue internationale de théologie*, 1904, p. 600-601.

nostræ doctrina prisca illa est religio christiana, quæ, cooperante doctorum græcorum sapientia, primis sæculis sese explicavit [1]. » Qui ita loquuntur negant, ut patet, existentiam alicujus magisterii ordinarii, quod infallibilitate insigniretur: unde de eis infra iterum sermo erit.

III. — De theologis qui omnem progressum dogmaticum veri nominis rejiciunt.

Ipsam notionem progressus dogmatici subjectivi, prout a theologis catholicis traditur, pauci inter Græco-Russos expresse rejiciunt. Impugnant præsertim quæ de fide implicita et explicita nostri docent. Si illos audias, Ecclesiæ non est veritates revelatas explicare et quasi evolvere, illas de stadio cognitionis obscuræ et implicitæ ad cognitionem claram et explicitam educere ac promovere, sed ejus muneris est tantum eas integras servare ac custodire. Quæ ad fidem pertinent in Ecclesia explicite semper credita sunt. Solemnes conciliorum definitiones clariorem vel intentiorem dogmatis cognitionem non effecerunt, sed ad veritatem definitam fidelium cogitationem et attentionem converterunt.

Inter progressus dogmatici adversarios notandi sunt : 1º Nicanor, archiepiscopus Odessæ, qui asserere non dubitat « Ecclesiam orthodoxam theoriam progressus seu evolutionis dogmatum prorsus repellere [2] ; » 2º Alexander Bieliaev in suo opere : *De ecclesiarum unione* [3]; 3º P. I. Leporskii qui docet omnia dogmata statim ab initio in conscientia christiana sub forma explicita exstitisse, quamvis non tam clare quam postea cognita fuerint [4]. Progressus totus

1. Ἀντιπαπικά, Athenis, 1893, p. 28 : « Ἡ διδασκαλία τῆς ἡμετέρας Ἐκκλησίας εἶναι ὁ ἀρχέγονος χριστανισμός, ὅποιος ἀνεπτύχθη κατὰ τοὺς πρώτους αἰῶνας. »

2. In dissertatione : *Utrum aliquid hæreticum reperiatur in Ecclesia latina*, in commentario *Tserkovnyia Viedomosti*, 1888, n. 24, p. 636-637.

3. *Op. cit.*, p. 81-82.

4. Ex his patet Leporskii aliquam progressus speciem admittere; immo quædam dogmata olim implicite tantum fuisse credita, revera docere videtur, quamvis verbis contrarium asserat. Dicit enim fideles primævæ Ecclesiæ ad quasdam veritates revelatas animum non attendisse, quas de facto tenebant, sicut contingit hominem aerem ducere, quin animadvertat se respirare; cf. A. Palmieri, p. 80, in nota.

se tenet ex parte locutionum ac formularum, quibus dogma exprimitur. Ipsum dogma humanæ rationi omnino est impervium [1] »; 4º Nuperrime theologus serbus, Milasch Parenta nuncupatus, de *Epistola encyclica Mortalium animos,* » Pii papæ XI, anno 1928, die 11 januarii data, disserens, Catholicis exprobrat doctrinam de cognitione implicita et explicita veritatis a Deo revelatæ :

« Le Pape, ait ille, manifeste ou explicite ce qui, avant lui, était inclus ou implicite dans le dépôt de la Révélation. Ainsi la porte est largement ouverte à toutes les élucubrations, qui devront être regardées comme des enseignements et des définitions ayant Dieu pour auteur. La théorie de l'explicite et de l'implicite prouve non seulement que l'Église catholique a falsifié la vérité révélée, mais encore qu'elle a conscience de sa falsification, car elle s'accroche à cette théorie comme le noyé à un fétu de paille... Le Pape reproche à l'Église orthodoxe ses innovations et ses errements; dans une autre occasion, lui et ses théologiens, ayant devant les yeux leurs nouveautés doctrinales et leurs erreurs, qu'ils dissimulent et abritent sous le couvert de la théorie de l'explicite et de l'implicite, lui ont reproché sa stagnation doctrinale [2]. »

IV. — De theologis qui circa progressum dogmaticum subjectivum cum Catholicis speculative saltem conveniunt.

Græco-Russorum recentiorum major pars progressus dogmatici subjectivi notionem, prout a theologis catholicis declaratur, libenter amplectuntur. Hunc progressum recte

1. De sententia Leporskii aliorumque Russorum coætaneorum vide dissertationem V. V. Uspenskii in *Lectione christiana*, 1904, t. II, p. 597-612; 757-786, inscripta : *Quæstio de progressu dogmatico in congressibus religioso-philosophicis Petropolitanis*; item *Acta* horum congressuum, anno 1906, Petropoli separatim edita (*Zapiski Peterburgskikh religiosno-philosofskikh sobranii*).

2. In commentario *Glasnik*, 15 aprilis 1928; cf. R. Janin, *Les Orthodoxes et l'Encyclique « Mortalium animos »*, in *Echos d'Orient*, t. XXVIII, 1929, p. 322.

describunt ac definiunt, quanquam terminis minus propriis quandoque utuntur; immo non pauci dicunt hujusmodi progressum in Ecclesia græco-russica semper exstitisse et semper adesse, quatenus per magisterii ordinarii exercitium seu per doctrinam pastorum dispersorum veritas revelata contra insurgentes errores defenditur, explicatur vel etiam solemni judicio definitur; ut factum est, inquiunt, in Confessionibus fidei sæculo XVII contra Protestantes conscriptis ac publice probatis. Qui ita loquuntur infallibilitatem tribuunt tum collegio episcoporum per orbem dispersorum, tum Confessionibus fidei Petri Moghilæ et Dosithei; de quibus in tomo I jam egimus [1], et infra iterum dicturi sumus in articulo *De magisterio ordinario* [2].

Iidem theologi utilitatem, imo moralem necessitatem novorum conciliorum œcumenicorum valde commendant ad solvendas tot quæstiones et controversias, quæ post Ecclesiarum schisma, et nostris præsertim diebus, enatæ sunt. Ex illis unus nuper scribebat :

« Novæ quæstiones, multæ quæstiones ortæ sunt, quæ authenticam postulent explicationem. Ecclesia vero tacet; vel, quod pejus est, temporis præsentis studiis ac quæsitis respondet remittendo interrogantes ad antiquam septem conciliorum epocham. Dogmaticus Ecclesiæ progressus absolutus non est; doctrina ejus nondum perfecta. Synodalem solutionem requirunt imprimis omnes controversæ quæstiones, quæ polemicis insectationibus inter varias Confessiones christianas materiam præbent... Novum, octavum concilium œcumenicum omnino necessarium est [3]. »

Novi concilii œcumenici necessitatem Græco-Russi fere omnes, post recentes perturbationes magnum bellum subsecutas, clare perspiciunt. Unde, ut supra diximus [4], de convocanda adunatione hujusmodi haud semel quidam cogitarunt; quorum tentamina præ variis ac insuperabilibus obstaculis vana evasere.

1. P. 671 sq.
2. Cf. p. 522 sq.
3. Svietlov, *Khristianskoe Vieroutchenie* (*Doctrina christianæ fidei*), ed. 3, Kioviæ, 1910, p. 319-320.
4. P. 263 sq,

Qui novum concilium œcumenicum tam ardenter exoptant non negant sane progressus dogmatici possibilitatem vel legitimitatem. Valde tamen mirandum est quod eorum plerique, quotiescumque de veritatibus revelatis inde a tempore Photii in Ecclesia catholica definitis sermonem habent, hanc de progressu dogmatico doctrinam missam faciant, illisque tunc assentiant, qui aut nullum progressum admittunt, aut eum intra periodum septem conciliorum œcumenicorum sistunt et coarctant, ad hoc Vincentii Lirinensis effatum tanquam ad unicum veritatis revelatæ criterium confugientes : *In ipsa Ecclesia catholica magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est* [1]. Hujusmodi effatum primum quidem de solis veritatibus semper et ab omnibus *explicite* creditis interpretantur; deinde significationem *negativam* et *exclusivam* ei præfigunt, ita ut sensus sit illas *solas* veritates inter dogmata referendas esse, quæ ubique, semper et ab omnibus *fide explicita* credita fuerint. Hac via illis haud difficile est quasdam definitiones dogmaticas ab Ecclesia catholica post schisma editas tanquam meras adinventiones et in fide novitates repræsentare et impetere; verum, hoc pacto et secum pugnant et veram Vincentii Lirinensis mentem pervertunt. Hic enim, in eodem suo *Commonitorio* ubi prædicta regula legitur, tum progressus subjectivi indolem, prout a theologis catholicis edocetur, recte describit, tum aliam fidei regulam tradit retinendam ac usurpandam, quoties Ecclesiae Patres vel doctores circa aliquam quæstionem non inveniuntur unanimes et consentientes. Hæc autem regula altera est *recursus ad Apostolicam Petri Sedem* : « ut omnes, inquit, luce clarius videant beatorum apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ simul religionis integritatem [2]. » Unde constat Vincentii effatum

1. *Commonitorium*, 2, *P. L.*, t. L, col. 640.
2. *Ibid.*, 6, col. 645. De vero sensu effati Vincentii necnon de ejus interpretatione et auctoritate apud Græco-Russos fuse agit A. Palmieri, *op. cit.*, t. I, p. 80-87, et in opere : *Il progresso dommatico*, Florentiæ, 1910, c. VII, p. 255-274. Auctoritatem Vincentii Lirinensis ejusque *canonem* seu regulam fidei maxime extulerunt et inter Græco

seu fidei canonem, quem polemistæ anticatholici tantopere jactant : 1° non esse unicam fidei regulam, ipso teste Vincentio; 2° esse verum fidei criterium, *si sumatur sensu simpliciter affirmativo*, non autem sensu *negativo* et *exclusivo*. Verum est enim ad depositum fidei pertinere quidquid ubique, semper et ab omnibus *explicite* creditum est; et hic est sensus quem intendit Vincentius, ut ex contextu patet; 3° in regulam generalem ac sufficientem posse converti et ad totum depositum revelatum referri, si tum de *fide explicita*, tum de *fide implicita* intelligatur. Verum est enim id esse tenendum quod ubique, semper et ab omnibus sive fide explicita, sive fide implicita creditum est. Semper Ecclesia tenuit, credidit et credendum omnibus proposuit totum depositum revelatum; at vero *non semper fide explicita credidit et fide explicita credendas* fidelibus proposuit omnes veritates in deposito revelato contentas.

V. — De iis qui progressum dogmaticum in sensu Modernistarum explicant.

Sub operum Leonis Tolstoi influxu, qui sæpe sæpius dictitare consuevit dogmata fidei christianæ ab scriptoribus sæculi IV fuisse excogitata, nostris vero temporibus non esse amplius accommodata atque homines ab amore Christi removere [1], modernismus theologicus ante magnum bellum haud paucos habebat in Russia sectatores, præsertim inter laicos doctos, quos nomine *Intelligentiæ* designabant ; nec ab ista contagione omnino immunis erat clericorum ordo, ut videre est tum ex quibusdam dissertationibus et articulis in commentariis theologicis Academiarum ecclesiasticarum editis, tum ex *Actis congressuum religioso-philosophicorum Petropolitanorum* qui, præsenti sæculo

Russos pervulgarunt Scholæ liberalis theologi, Veterum Catholicorum amici, necnon quotquot progressum dogmaticum intra periodum septem conciliorum œcumenicorum de facto coarctant ac limitant, pro doctrina infallibiliter vera et definita illud tantum habentes quod hæc septem concilia solemni sententia decreverunt.

1. De Toltoi ejusque doctrina philosophica et religiosa multa scripserunt Russi; de quibus vide longam notam bibliographicam A. Palmieri, *op. cit.*, p. 92-93.

ineunte, habiti sunt [1]. In adunationibus decima octava, decima nona et vigesima (anno 1903-1904), de progressu dogmatico dissertum est. Sermonem habuerunt episcopi, ut Sergius et Antoninus; presbyteri, ut S. A. Sollertinskii; litterarum periti conspicui, ut D. C. Meregkovskii, V. V. Rozanov, N. M. Minskii. Ibi P. I. Leporskii suam sententiam supra relatam exposuit; cui suffragati sunt presbyteri Vl, Ia. Kalatchov, Temnomierov, A. A. Dernov. Dum episcopus Antoninus veri progressus subjectivi existentiam admittere visus est, dicens in cælo Revelationis christianae novas stellas adhuc detegi posse [2], archipresbyter Sollertinskii progressum dogmaticum intellexit de solvendis quæstionibus ad morum doctrinam pertinentibus; siquidem tres periodos in historia christianismi distinxit ille : 1° periodum martyrum seu *sensus*; 2° *periodum rationis*, ubi de dogmatibus fidei theologi disseruerunt; 3° periodum ethicam seu *voluntatis*, quæ nunc est, ubi quæstiones morales nostri temporis solvendæ sunt [3].

Meregkovskii vero progressum indefinitum tuitus est : Veniet dies, inquit ille, quo omnia mysteria erunt clara, et omnibus patebunt. Tunc nova exorietur Ecclesia quæ vere universalis erit, Ecclesia non Petri, sed Johannis. Ecclesia amoris, Ecclesia libertatis, Ecclesia secundi Christi adventus, in qua tres christianismi formæ nunc existentes, scilicet catholicismus, Orthodoxia orientalis et protestantismus, in perfectam unitatem coibunt. Ecclesia johannina est nunc in fieri. Apocalypsis Johannis cum omnibus christianis dogmatibus nexum habet [4].

Sententiæ Meregkovskii contradixit N. M. Minskii : « Futuræ religionis organum, ait ille, non erit Ecclesia universa, sed philosophica ratio, *ratio mysticæ revelationis*. Christiana dogmata veritates opacæ nobis sunt. Revera Christi Ecclesia jamdiu vixit. Veritas religiosa rationi mysticæ nunc revelatur [5].

1. Cf. supra, p. 477, n. 1.
2. V. V. Uspenskii, *art. cit.*, in *Lectione christiana*, p. 609.
3. *Ibid.*, p. 777.
4. *Ibid.*, p. 765-767; Cf. A. Palmieri, *op. cit.*, p. 90-91. Huic theoriæ, ait Uspenskii, multi ex circumstantibus reclamarunt.
5. *Ibid.*, p. 769. Dictis Minskii nemo respondit. Ea carpit Uspenskii,

A Minskio haud longe distat V. V. Rozanov, *adogmatista* veri nominis, cui progressus idem est ac creatio indefinita. Nullum patitur dogma; omnem excutit veritatem definitam ac permanentem : « Dogmatismus : en intellectus humani inimicus; qui ab Evangelio omnino alienus est, et ipsa in Spiritum Sanctum blasphemia dicendus. Humanitati cruciatæ religio Christi non dedit neque nunc affert liberationem ac quietem [1]. » Talia effutientem haud immerito appellabis nefandorum Bolcevistarum præcursorem.

Sententiæ Meregkovskii propre accessit princeps Gregorius Trubetzkoi, dum scripsit Ecclesias nunc existentes habendas esse tanquam Christi carceres, christianismi formas humanas in vincula Spiritum conjicientes; quas in veram Christi religionem immutandas esse pronuntiat [2].

ibid. Patet Minskium sectatorem esse Kantii, quem intellectus humani liberatorem prædicat, *ibid.*, p. 770.

1. *Ibid.*, p. 782. Suum adogmatismum fusius et explicitius declarat Rozanov in suo opere : *Okolo tserkovnykh stien* (*Circa muros Ecclesiæ*, t. II, Petropoli, 1906, p. 456 sq.) Nota hunc librum fidei christianæ fundamenta penitus evertentem in commentario Academiæ Mosquensis *Bogoslovskii Viestnik* a Tareev fuisse laudatum, 1905, t. III, p. 543-547; cf. A. Palmieri, *op. cit.*, p. 92.

2. Vide ejus dissertationem inscriptam : *Problema fundamentale Russiæ*, in commentario *Moskovskii Egenedielnik*, 1907, t. II, n. 50, p. 38 sq. De progressu dogmatico apud Russos consuli possunt, præter scripta jam laudata : 1° A. Schostin, *Fontes et objectum theologiæ dogmaticæ juxta doctrinam theologorum catholicorum ultimi dimidii sæculi XIX*, Kharkovii, 1889; 2° V. S. Soloviev, *Progressus dogmaticus ejusque momentum ad unionem Ecclesiarum quod attinet*, in commentario *Pravoslavnoe Obozrienie*, 1885, t. III, p. 727-798, et opus gallice conscriptum : *La Russie et l'Eglise universelle*, Parisiis, 1889. V. Soloviev doctrinam catholicam de progressu tenet, quanquam aliquando minus proprie loquitur; 3° Stoianov, *Nostri novi philosophi et theologi* (plures articuli), in commentario *Viera i razum*, an. 1886-1887; 4° Kireev articulus in *Tchteniakh Societatis amatorum religiosæ culturæ*, 1886, n. 2-3; 5° Nicanor, archiepiscopus, sermo, in commentario *Tserkovnya Viedomosti*, 1888, n. 24; 6° E. L., *Utrum Ecclesia progrediatur in sensu dogmatum*, in *Strannik*, 1889, t. II, p. 20; auctor V. Solovievi sententiam impugnat; 7° Ambrosius, archiepiscopus, sermo, in *Tserkovnykh Viedomostiakh*, 1890, n. 36; 8° Petruchevskii, *Doctrina Vincentii Lirinensis de traditione*, Kioviæ, 1896.

ARTICULUS III

De objecto secundario magisterii ecclesiastici.

De eo quod theologi catholici vocant objectum indirectum seu secundarium infallibilitatis Ecclesiæ vix aliquid habent compendiorum theologicorum auctores apud Græco-Russos. Quidam objectum hujusmodi excludere videntur. Ita Macarius Bulgakov, qui hæc habet :

« Ab Ecclesiæ infallibilitate immerito quis speraret illas omnes veritates, quæ nullum habent fundamentum sive in sacra Scriptura, sive in sancta Traditione nec ad fidei christianæ essentiam pertinent, ut, v. g., veritates philosophicas, historicas, et generatim quascumque firmare non potest divina Revelatio [1]. »

Hæc verba quadam ambiguitate laborant, quanquam sensu orthodoxo accipi possunt. Suspectior est hæc Malinovskii assertio : « Secundum doctrinam orthodoxam, objectum infallibilitatis Ecclesiæ constat tantum veritatibus divinitus revelatis [2]. »

Multo plures autem invenies qui infallibilitatis objectum plus æquo extendant, nedum illud nimis coarctent, quatenus scilicet inter dogmata referunt ritus sacros vel antiquos canones, præsertim illos qui sub apostolorum nomine circumferuntur. Inde ortæ sunt, jam ab schismatis initio, tot criminationes et polemici impetus in usus et ritus Latinorum, quasi ritus et canones ad ipsum Revelationis depositum necessario pertinerent, et perinde ac dogmaticæ veritates omnino immutabiles essent. Hic fuit præsertim antiquorum Byzantinorum sensus, quem Russis eo usque instillarunt, ut hi pro dogmatibus habuerint meros ritus exteriores, puta modum efformandi signum crucis. Hujusmodi formalismus schisma russicum seu *rascolnismum* sæculo XVII peperit [3].

1. *Introductio in theologiam orthodoxam*, § 137, *ed. cit.*, p. 376.

2. *Op. cit.*, t. II, p. 226.

3. Russus J. Filevskii, in suo opere, *Ucenie pravoslavnoi Tserkvi o sviachtchennom predanii* (*Doctrina Ecclesiæ orthodoxæ de sacra Tradi-

Cæterum, circa omnia illa quæ sub generico nomine objecti indirecti infallibilitatis comprehenduntur, Ecclesia russica decreta edere in praxi bene novit; siquidem facta quædam dogmatica, v. g., septem concilia œcumenica, omnino retinenda docet; libros periculosos proscribit; aliquos in album sanctorum refert, etc.

ARTICULUS IV

De subjecto infallibilitatis in communi.

Prænotamina.

Theologi catholici duplicem infallibilitatem distinguere solent, infallibilitatem scilicet *in credendo* seu *passivam*, cujus subjectum est Ecclesia universa prout comprehendit tum fideles tum pastores; et infallibilitatem *in docendo* seu *activam*, cujus subjectum duplex est, nempe Romanus Pontifex, Petri successor, seorsim spectatus, quando *ex cathedra* loquitur secundum definitionem concilii Vaticani; et episcoporum collegium, sive in concilium œcumenicum adunatum, sive per orbem dispersum, sed in utroque casu semper cum suo capite, id est cum Papa conjunctum. Hæc duo subjecta, quæ separari nequeunt nec adæquate distinguuntur, vocantur *Ecclesia docens*, dum fidelium cœtus appellatur *Ecclesia discens* seu *edocta*. Ecclesia discens seorsum considerata dici potest infallibilis, sed infallibilitate *passiva* et *causata*; quæ infallibilitas vocari solet *sensus fidelium*. Patet hunc *sensum fidelium* re non posse sejungi a fide Ecclesiæ docentis, nec ab ea esse diversam, vel ei oppositam, cum sit magisterii pastorum effectus.

Græco-Russi omnes, *hodie saltem*, admittunt infallibilitatem in credendo seu passivam, ut jam diximus. Plerique probant, imo expresse usurpant distinctionem inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem, habentque collegium episcoporum tanquam proprium infallibilitatis activæ subjectum, saltem quando episcopi in concilium œcumenicum adunantur; de infallibilitate enim corporis pastorum per orbem dispersorum, seu de infallibilitate magisterii ordinarii, inter se non conveniunt. Multi tamen inter recentiores distinctionem inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem rejiciunt; quibus verum infallibilitatis activæ subjectum est totum Ecclesiæ corpus, eodem prorsus modo ac idem corpus est infallibilitatis passivæ subjectum; imo vero ex illis quidam fidelium sensui præ episcoporum doctrina primatum tribuunt. Ad infallibilitatem autem personalem Romani Pontificis quod attinet, omnes illam negant ac vehementer impugnant. Oblivioni vero tradendum non est patriarchas Constantinopolitanos sicut et jurisdictionis primatum, ita et infallibilitatis privilegium aliquatenus sibi vindicasse; item de quatuor patriarcharum Orientis infallibilitate haud raro inter Græco-Russos mentionem factam fuisse. In præsenti articulo de infallibilitatis subjecto in communi, quatenus vel totam Ecclesiam, vel collegium episcoporum, vel fidelium cœtum respicit, tantum agimus, alias quæstiones hic indicatas in sequentibus articulis tractaturi.

tione), Kharkovii, 1902, Catholicis crimini vertit quod rebus tantum fidei et morum significationem dogmaticam tribuant, neglecta traditione rituali et liturgica. Docet siquidem ille omnem traditionem apostolicam, etsi mere ritualem, habere valorem dogmaticum. Exinde Catholici vocabuntur hæretici, eo quod suffocata vel sanguinem non abhorreant, vel quod versus Orientem haud semper orent.

I. — De subjecto infallibilitatis sententia communior apud Græco-Russos.

Collegium episcoporum, saltem quando in concilium œcumenicum adunantur, esse verum et proprium infallibilitatis activæ subjectum, seu magisterium infallibile ex divina institutione tenere, communius adhuc docent Græco-Russi. Hæc est thesis classica in præcipuis theologiæ dogmaticæ compendiis tum apud Russos, tum apud Græcos tradita et in Confessionibus fidei Petri Moghilæ ac Dosithei contra Protestantes edocta. In *Confessione orthodoxa* Petri Moghilæ, expresse dicitur illos solos in Ecclesia munere docendi fungi qui per sacram ordinationem successores facti sunt

apostolorum [1]. Dositheus vero docet Spiritum Sanctum Ecclesiam illuminare non immediate, sed per sanctos Patres et Ecclesiæ præpositos, atque per eosdem omnem errorem ab ea removere [2]. Eamdem doctrinam sæculis XVI et XVII tuiti sunt quotquot adversus Reformatos decertarunt, inter quos emicuit Meletius Syrigus in sua Ἀντιρρήσει *contra calviniana capita* [3].

Inter compendiorum auctores qui infallibilitatem in docendo solis episcopis vindicant, veniunt : 1° Philaretus Gumilevskii, cujus sententia est Deum reddere infallibilem solam Ecclesiam docentem; unde quodque Ecclesiæ membrum proprium sensum probare debere ad normam doctrinæ Ecclesiæ docentis [4] ; 2° Antonius Amphiteatrov, qui sacræ hierarchiæ privilegia disertis verbis effert [5]; 3° Macarius Bulgakov, cujus verba referre juvat :

« Ecclesia est societas credentium in Jesum Christum. In hac definitione conveniunt omnes. Ex christianis vero quidam docent Ecclesiam esse societatem, in qua duplex membrorum classis invenitur, scilicet : 1° hierarchia divinitus instituta sive classis pastorum, quibus divini verbi custodiam Dominus ipse commisit, quibusque jus dedit illud explicandi aliisque prædicandi; 2° classis ovium, quæ hanc facultatem non habent, sed a suis pastoribus fidem discere tenentur et sub eorum ductu divina fruuntur revelatione. Alii, e contra, contendunt hanc membrorum divisionem in Ecclesia exstare non debere, hierarchiam divinitus constitutam revera non esse, sed omnes credentes inter se æquales esse, omnes eumdem docendi munus habere, omnes posse immediate, absque ullo alieno ductu, Dei verbo frui illudque secundum proprium captum explicare, et hoc pacto propriam fidem salutemque ædificare atque operari. Nos, ut Ecclesiæ orthodoxæ filii, primam sententiam retinemus;

1. I p., q. CIX, Kimmel, t. I, p. 187.
2. C. XII, *ibid.*, p. 444-445 : « Διὰ πιστῶς διακονούντων πατέρων καὶ καθηγεμόνων πάσης ὁποιασοῦν πλάνης τὴν Ἐκκλησίαν ἀπαλλάττει. » Cf., c. X, p. 436-443.
3. *Op. cit.*, p. 60 *b* : « Τὸ ἔργον τῆς διδασκαλίας εἶναι ἴδιον τῶν ποιμένων. »
4. *Op. cit.*, t. II, p. 254-255.
5. *Op. cit.*, § 264-269, ed. g., p. 310-317.

unde quando dicimus Ecclesiam divinæ Revelationis custodem et interpretem constitutam fuisse, nomine Ecclesiæ proprie intelligimus solam Ecclesiam docentem seu sacram hierarchiam [1] »;

4° Androutsus, qui docet hierarchiam, id est episcopos, repræsentare Ecclesiam in conciliis œcumenicis non ut fidelium mandatariam, sed *jure divino*, secundum divinam ejus vocationem; « quæ, dum decernit fidem ab omni Ecclesia tenendam, a Spiritu Sancto, qui Ecclesiam dirigit, suam trahit auctoritatem [2] »; 5° Mesoloras, qui tenet infallibilitatis Ecclesiæ causam efficientem esse Salvatorem et Spiritum Sanctum, subjectum vero apostolos eorumque genuinos successores [3].

II. — De subjecto infallibilitatis altera sententia in dies invalescens.

Inde a sæculo XVIII, quidam theologi græco-russi de subjecto infallibilitatis idem fere sentire inceperunt quod Edmundus Richerius et synodus Pistoriensis, docentes subjectum hujusmodi esse totam Ecclesiam seu universitatem fidelium, cujus episcopi in synodum adunati non sint nisi legati vel mandatarii. Unus ex Theophanis Procopovitch discipulis, scilicet Theophylactus Gorskii, in suo compendio classico, in seminariis Russiæ diu et adhuc post annum 1831 recepto, hæc habet :

« In conciliis congregantur doctores et delegati Ecclesiæ, *quibus a tota credentium communione commissa est potestas cognoscendi et judicandi de publica interpretatione* doctrinæ in capitibus dubiis et controversis, de cæremoniis ad bonum ordinem in Ecclesia facientibus, ut et de potestate corrigendi publica delicta [4]. »

1. *Introductio in theol. orth.*, § 135, ed. cit., p. 364.
2. Συμβολική, p. 69 : « Ἡ ἱεραρχία ἐκπροσωπεῖ τὴν Ἐκκλησίαν ἐν ταῖς οἰκουμενικαῖς συνόδοις οὐχι ὡς ἐντολοδόχος τῶν πιστῶν, ἀλλὰ jure divino, συμφώνως πρὸς τὴν θεόθεν κλῆσιν αὐτῆς· ὁριζομένη δὲ τὴν πίστιν, ἣν δέον νὰ δοξάζῃ σύνολος ἡ Ἐκκλησία, ἀντλεῖ τὸ κῦρος αὐτῆς ἀπὸ τὴν Ἐκκλησίαν, ὁδηγοῦντος ἁγίου Πνεύματος. »
3. Συμβολική, t. II², p. 21 : « Τοῦ ἀλαθήτου τῆς Ἐκκλησίας ὑποκείμενον οἱ θεῖοι ἀπόστολοι καὶ οἱ τούτων γνήσιοι διάδοχοι. »
4. *Orientalis Ecclesiæ dogmata seu doctrina christiana de credendis*, Mosquæ, 1831, p. 277; in editione Petropolitana anni 1818, p. 341.

Hujusmodi doctrina protestantismum omnino redolens e classica theologia Russorum expulsa quidem fuit per Protasovi reformationem; verum, quis rem credat? Anno 1848, quatuor patriarchæ orientales eam expressis verbis tuiti sunt in *Epistola encyclica ad omnes Orthodoxos* :

« Apud nos, inquiunt, neque patriarchæ neque synodi novitates unquam introducere potuere, eo quod religionis defensor est ipsum corpus Ecclesiæ, id est ipse populus, qui vult suam fidem in æternum servari immutabilem consonamque fidei patrum suorum; quod revera experti sunt multi papæ et patriarchæ *latinophrones* post schisma, qui nihil profecerunt [1]. »

Ergo juxta quatuor patriarchas orientales, ipse populus christianus seorsim spectatus, quem *corpus Ecclesiæ* vocant, est verum infallibilitatis subjectum. Patriarchæ, episcopi, et forsan clerici omnes, errare possunt; solus populus seu laici sunt orthodoxiæ defensores ac custodes. Ad hanc stupendam doctrinam rationibus polemicis adducti sunt, nimirum ut explicarent quare Ecclesia græca concilium Florentinum respuerit unionique in eo pactæ totque præsulum subscriptione firmatæ non steterit. Unde, ut videbimus infra, theologi recentes sat multi post patriarchas tenent consensum populi christiani, synodum exterius œcumenicam subsequentem, omnino necessarium esse, ut synodus vera œcumenicitate donetur et œcumenica habeatur; hujusmodi autem consensu deficiente, synodum œcumenicitate et infallibilitate privari [2].

Hujus sententiæ altera forma paulum diversa apud quosdam occurrit, qui nomine *corporis Ecclesiæ* non populum tantum seu laicos, sed etiam clericos, id est omnia Ecclesiæ membra intelligunt. Haud raro autem accidit, ut idem theologus modo unam, modo alteram hujus doctrinæ

1. « Ἔπειτα παρ' ἡμῖν οὔτε πατριάρχαι, οὔτε σύνοδοι ἐδυνήθησάν ποτε εἰσαγαγεῖν νέα, διότι ὁ ὑπερασπιστὴς τῆς θρησκείας ἐστὶν αὐτὸ τὸ σῶμα τῆς Ἐκκλησίας, ἤτοι αὐτὸς ὁ λαός, ὅστις ἐθέλει τὸ θρήσκευμα αὐτοῦ αἰωνίως ἀμετάβλητον καὶ ὁμοειδὲς τῷ τῶν πατέρων αὐτοῦ, ὡς ἔργῳ ἐπειράθησαν καὶ πολλοὶ τῶν ἀπὸ τοῦ σχίσματος παπῶν τε καὶ πατριαρχῶν λατινοφρόνων, μηδὲν ἀνύσαντες. » Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, col. 407.

2. Cf. infra, p. 511 sq.

formam amplectatur ac proferat. Ita Alexius S. Khomiakov, cujus verba supra retulimus [1]. Post Khomiakovum multi theologi russi eamdem sententiam propugnarunt, inter quos nominandi sunt I. Ossinin [2], Alexander Lebedev [3], P. Svietlov [4]; immo compendiis dogmaticis et polemicis hæc jam irrepsit; siquidem eam invenies in *Theologia polemica* Truskovskii [5] necnon in *Theologia dogmatica orthodoxa* Malinovskii [6]. Hi omnes distinctionem inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem post Khomiakovum expresse repudiant, quam Macarius Bulgakov et alii ut veritatem orthodoxam omnino retinendam tam aperte prædicant. Notandum est tamen Malinovskii sibi haud obscure contradicere. In uno enim sui operis loco, prædictam distinctionem inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem reprobat asseritque depositi revelati custodiam ad totum Ecclesiæ corpus pertinere, Ecclesiam universam esse doctrinæ christianæ custodem infallibilem, cujus episcopi organa sint ac instrumenta; paulo post vero thesi classicæ clare suffragatur docendo triplicem potestatem docendi, sanctificandi et regendi non toti communitati fidelium, sed solis apostolis eorumque successoribus, episcopis scilicet, a Christo fuisse traditam; sacram autem hierarchiam non esse ecclesiasticæ repræsentationis organum, ut tenent Protestantes, quippe quæ divinitus instituta fuerit [7].

1. P. 285 et 286, n. 1 et 2.

2. *De proprietatibus essentialibus necnon de generali momento Ecclesiæ Christi*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1862, t. I, p. 520-521.

3. *Op. cit.*, p. 37, 69-72. Lebedev expresse dicit infallibilitatem tam in laicis quam in clericis residere, episcoposque vocat Ecclesiæ legatos ac mandatarios, quorum munus sit declarare ea, quorum Ecclesia universa semper sibi est conscia.

4. *Op. cit.*, p. 196-198, 200-203.

5. *Op. cit.*, p. 46.

6. *Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ specimen*, t. II, p. 226 et 239.

7. *Ibid.*, p. 232-235. In eamdem, in quam Malinovskii, contradictionem incidit N. Milasch, *Jus canonicum*, ed. gr., p. 308-310 et 409, dum ex una parte laudat et probat verba quatuor patriarcharum Orientis, habetque ut signum œcumenicitatis alicujus synodi quod hæc a clero et populo accipiatur; ex alia vero docet thesim classicam de divina institutione hierarchiæ necnon de triplici potestate solis episcopis collata : « Οἱ ἐπίσκοποι εἶναι οἱ μόνοι φορεῖς τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἐξουσίας. »

ARTICULUS V

De Romani Pontificis infallibilitate secundum doctrinam Græco-Russorum.

Romanum Pontificem et ipsam totam Ecclesiam catholicam, quam latinam vel occidentalem appellare consueverunt, infallibilitate carere implicite vel explicite ab ipso schismatis exordio semper tenuere Byzantini et post eos moderni Græco-Russi, quippe qui suum ab Ecclesia romana discidium ac recessum excusare soliti sunt, quod illa multas novitates ac errores in fide perpetrarit ac docuerit. Hanc viam, ut vidimus, iniverant schismatis primi fautores, Photius et Michael Cærularius. Nostris autem diebus, polemistæ antilatini in definitionem concilii Vaticani de infallibilitate Papæ acriter invehuntur tum in tractatibus de primatu, quorum haud paucos jam memoravimus, tum in dissertationibus specialibus de ipsa personali infallibilitate Romani Pontificis [1]. Quidquid contra hoc dogma tum apud Protestantes, tum etiam apud Catholicos, ante definitionem scriptum est, generatim bene norunt isti polemistæ ac repetere solent, e proprio penu quædam aliquando subjicientes. Eorum præcipuas objectiones breviter notare satis habebimus :

1º Definitio Vaticana, inquiunt, obscuritate laborat; est ambigua et æquivoca fallaciaque plena; siquidem ex ea scire impossibile est quandonam Papa *ex cathedra* locutus fuerit, quandonam non. Quoties Papa in errorem lapsus esse deprehenditur, theologi catholici dicunt illum tunc ex cathedra non fuisse locutum [2].

2º Catholicum dogma Ecclesiam universam spoliavit pretiosissima dote qua Christus, ejus sponsus, illam ornaverat,

1. Ex his dissertationibus notamus opellam A. A. Kirieevi, *O papskoi nepogriechimosti* (*De papali infallibilitate*), Mosquæ, 1892; ed. 2, Petropoli, 1905, cujus versio græca Athenis edita est, anno 1896; articulos de eodem argumento in *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, ann. 1878-1881.

2. Ita A. Lebedev, *op. cit.*, p. 79-80; Malinovskii, t. II, p. 305-306; Perov, *op. cit.*, p. 72-73.

nempe infallibilitatis dono, ut ea Papam ditaret. Supposita enim Papæ personali infallibilitate, synodi œcumenicæ inutiles ac superfluæ jam evadunt. Ecclesia in servitutem redigitur spiritualique libertate privatur; est corpus sine voce [1].

3º Idem dogma mortalem hominem deificat; unde tum rationi, tum christianæ religioni adversatur estque petra scandali pro quocumque christiano veri nominis [2]. In se continet absolutam negationem notionis Ecclesiæ, prout eam sibi fingebant tum Occidens tum Oriens ante separationem. Unioni Ecclesiarum instaurandæ maximum exstat obstaculum, habendumque est tanquam *romanismi* summa, ejusque logica consequentia ac ultima explicatio [3].

4º Si quibusdam recentibus theologis russis aurem præbeas, hujusmodi doctrina scandalum parit, quatenus supponit infallibilitatem in eodem homine coexistere posse cum defectu sanctitatis et peccato; siquidem, juxta hos theologos, quorum sententiam supra exposuimus [4], sanctitas ab infallibilitate separari nequit, estque ejus conditio sine qua non [5].

5º Græcus Nectarius Kephalas contendit infallibilitatem papalem rationalismo et libero examini favere. Ex eo enim, inquit, quod infallibilitas uni personæ tribuitur, quilibet

1. Ita inter alios, N. Kephalas, Αἱ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, Athenis, 1892, p. 22-28 : « Τὸ ἀλάθητον καταργεῖ τὰς συνόδους, ἀφαιρεῖ ἀπ' αὐτῶν τὴν σημασίαν, τὴν σπουδαιότητα καὶ τὸ κῦρος... Ἡ δυτικὴ Ἐκκλησία διὰ τῆς ἀφαιρέσεως τοῦ ἀλαθήτου ἀπώλεσε τὴν φωνὴν καὶ τὴν ζωήν. » Concilia œcumenica valde esse utilia, etiam posita infallibilitate Papæ, paucis ostendit J. V. Bainvel, *De Ecclesia Christi*, Parisiis, 1925, p. 223-224 : « Major est concilii auctoritas *extrinseca* et *humana* ob sollemnitatem judicii hominumque omnium intentos animos, major vis contra errores et fulgor veritatis, clarior decretorum promulgatio legumque latarum augustior reverentia. Fulget splendidius crescitque ac fovetur Ecclesiæ unitas fidei et charitatis, vivax sanctitatis et veritatis spiritus, remediorum aptorum inquisitio diligens et efficax usus. Ipsi episcopi melius postea docebunt diligentiusque exsequentur, cum ipsi decretis cooperati sint. »

2. Ita Mesoloras, *op. cit.*, p. 22-24 : « Θεοποιήσαντες ἄνθρωπον θνητόν, ἀποδόντες αὐτῷ τὸ τῇ θεότητι καὶ τῇ οἰκουμενικῇ Ἐκκλησίᾳ τῇ καθοδηγουμένῃ ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἁρμόζον ἐπίθετον. » P. 22.

3. Ita Kireev, *op. cit.*, p. 13 et 107.

4. Cf. p. 466 sq.

5. Ita Khomiakov, A. Lebedev et alii jam notati.

homo ad hoc inducitur, ut idem privilegium sibi vindicet; unde mirandum non est quod protestantismus ex latinismo logice ortum duxerit. Ecclesia occidentalis dogma infallibilitatis papalis excogitavit, ut unitati et omnium in unum conglobationi consuleret; verum, contrarium prorsus accidit; dogma enim infallibilitatis personalis est principium divisionis et dispersionis, non adunans, sed a centro removens [1].

6° Quidam, ut Alexander Lebedev [2], addunt consensum moraliter unanimem episcoporum cum Papa non obviam ire periculis et incommodis ex infallibilitate Papæ dimanantibus, quod episcopi latini non sint nisi Papæ dociles et humiles vicarii.

7° Contra dogma catholicum proferunt prætensos lapsus quorumdam Paparum in hæresim, v. g., Liberii, Vigilii, Honorii, etc... Insuper Romanos Pontifices accusant de omnibus in fide, disciplina ac ritu novitatibus quas ipsi nobis objiciunt.

8° Non raro doctrinam catholicam perperam intelligunt et exponunt. Secundum quosdam, concilium Vaticanum docuerit Papam esse impeccabilem, illum pro libitu definitiones ex cathedra edere posse necnon sub divina inspiratione facere sermonem, quoties loquitur [3].

Ad historiam autem dogmatis catholici quod attinet, alii alia opinantur. Plerique docent hanc doctrinam nonnisi post schisma in Ecclesia occidentali radices egisse. Quidam tamen historici concedunt jam conciliorum œcumenicorum tempore quosdam Papas tanquam infallibilitatis privilegio donatos res fidei tractasse et sibi adscripsisse quidquid in synodo Vaticana definitum est [4]. Juxta quosdam, Gregorius papa VII infallibilitatem primus sibi vindicaverit [1]. Generatim in hoc insistunt, quod hoc caput in Occidente diu impugnatum fuit ac controversum et nonnisi anno 1870 definitum; quod veritati hujus doctrinæ maximo detrimento esse illis videtur.

1. « *Op. cit.*, p. 25-28 : « Ἡ δυτικὴ Ἐκκλησία εἰσήγαγε διὰ τοῦ ἀλαθήτου ἐν ἑαυτῇ τὰ σπέρματα τῆς ἀποκεντρώσεως (= décentralisation), διότι ἐδίδαξεν ἕκαστον ἀποδέχεσθαι τὴν γνώμην ἑνὸς προσώπου. » Addit Kephalas occidentalem Ecclesiam ex papali infallibilitate protestantismo inferiorem ac pejorem evadere, quatenus protestantismus intellectus humani libertatem tuitus sit, catholicismus vero humanam mentem in servitutem redigat. Eadem fere habet Mesoloras, *op. cit.*, p. 25.

2. *Op. cit.*, p. 93.

3. Cf. quæ in tomo I hujus operis dicta sunt, p. 30-31.

4. Ita sentit Bolotov de sancto Leone Magno, *op. cit.*, t. III, p. 285; Lapin, *op. cit.*, p. 98-99, de quibusdam aliis.

ARTICULUS VI

De magisterio patriarchæ Constantinopolitani.

Ostendimus supra patriarchas Constantinopolitanos verum jurisdictionis primatum in universam Ecclesiam olim ad nostra usque fere tempora sibi vindicasse. Utrum autem et infallibilitatis prærogativam expetiverint, nobis quærendum est. Brevis erit responsio.

Primum quidem infallibilitatem personalem proprie dictam non videntur unquam sibi adscripsisse; quod sane certis historiæ factis apertius contradixisset, ex quibus compertum est multos Constantinopolitanos præsules in hæresim lapsos fuisse, et ut tales in primis conciliis œcumenicis damnatos atque depositos [2]. Quamdam vero infallibilitatem Constantinopolitanæ sedi ut tali et ipsi et alii tribuere non semel visi sunt. Audivimus enim supra Isaiam patriarcham (1323-1334) Catholico Armenorum dicentem : « Ex nobis sacra pietatis dogmata per universum orbem dimanant; ex nobis tanquam ex fonte et sanctorum Patrum doctrina et sacrorum conciliorum decreta in Ecclesiæ plenitudinem diffusa sunt [3]. » Item patriarcha œcumenicus Josepho patriarchæ Mosquensi aliquando scripsit « Magnam Dei Ecclesiam *a Deo accepisse potestatem aperiendi fidelibus portam cognitionis eloquiorum divinorum eosque in veræ ac rectæ Christi fidei cognitione confirmandi, eam dogmata a principio accepta inviolate ac immutabiliter custodire* absque detractione vel additione [4]. »

1. Ita Perov, *Theologia polemica*, p. 70.

2. Patriarcha Philotheus tamen *patrem ac doctorem omnium* aliquando se dixit, πατέρα καὶ διδάσκαλον πάντων; cf. supra, p. 429.

3. P. 428.

4. Cf. supra, p. 430.

Sicut Papæ per litteras decretales, bullas vel rescripta quæstiones ad se directas solvere ac dirimere consueverunt, ita et patriarchæ œcumenici per totam periodum byzantinam et ad recens usque tempus decreta et responsa dederunt, quæ maximam nacta sunt auctoritatem inter Græco-Russos tum in canonica disciplina, tum in theologica doctrina : « Decreta Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ait russus canonista M. A. Ostroumov, dogmaticam materiam, vel canonicam, vel ritualem spectantia ab aliis Ecclesiis autocephalis communiter recipiuntur hocque pacto in tota Ecclesia catholica orientali generalem auctoritatem adipiscuntur [1] »; quod non tam pro præsenti quam pro præterito tempore rerum veritati consonat, ut jure notat N. Milasch [2]. Ergo, etiam in hac parte, Novæ Romæ præsules Romanorum Pontificum vestigia, quantum illis pervium fuit, premere satis egerunt.

ARTICULUS VII

De quatuor patriarcharum Orientis dogmatica auctoritate.

Majorem auctoritatem et jam ipsam infallibilitatem quatuor patriarchis orientalibus multi theologi ad recens usque tempus tribuerunt. Hæc opinio ex theoria de tetrarchia sponte fluit. Cum enim, secundum hunc Ecclesiæ conceptum, quatuor patriarchæ Ecclesiam universam repræsentent illiusque inconcussæ columnæ habeantur, si quid in re dogmatica concorditer decreverint, illud pro infallibili definitione logice recipiendum erit.

Quatuor patriarcharum dogmaticam auctoritatem magni fecerunt Russi inde a Nicone usque ad Petrum Magnum,

1. *Wedenie v pravoslavnoe tserkovnoe pravo* (*Introductio in jus ecclesiasticum orthodoxum*), Kharkovii, 1883, t. I, p. 448.

2. *Op. cit.*, p. I, § 3, ed. gr., p. 156-157 : « Αἱ ὁδηγίαι αὗται εἶχον κῦρος καὶ ἰσχὺν ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας τῆς αἰτησαμένης αὐτάς· ἐπειδὴ δὲ ἐστηρίζοντο ἐπὶ τῶν θεμελιωδῶν ἐκκλησιαστικῶν θεσμῶν, προσεκτῶντο καθολικὸν κῦρος καὶ ἀπετέλουν ὡσαύτως κανόνα καὶ μέτρον ἐν τῇ καθόλου Ἐκκλησίᾳ. »

qui et ipse illos haud semel consuluit, et Synodi Dirigentis in patriarchatus Mosquensis locum a se constitutæ approbationem ab eis postulavit et obtinuit. Adhuc in secundo dimidio sæculi XVIII, Plato Levkhin Ecclesiam russicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam hoc argumento ostendebat :

« Nostra Ecclesia eadem est a constitutione mundi, quia *consentit cum Ecclesia græca; Ecclesia autem græca ab antiqua Ecclesia apostolica nunquam discessit;* apostolica vero Ecclesia eadem erat ac Ecclesia judaica Veteris Testamenti quantum ad fidei essentiam; porro Ecclesia Veteris Testamenti super veritatem redemptionis generis humani fundatur [1]. »

His verbis Plato infallibilitatem quatuor patriarcharum Orientis, qui Ecclesiæ græcæ præsunt, implicite asserit. Idem subindicare videtur Philaretus Drozdov in suo *Catechismo majori*, ubi *Ecclesiæ* orientalis appellationem explicans, ait :

« Usque ad hodiernam diem, fides orthodoxa catholica universalis, a septem conciliis confirmata, in sua primæva integritate immutabiliter servatur apud antiquas Ecclesias Orientis necnon apud eas Ecclesias quæ Orientalibus uniuntur, inter quas Deo favente eminet omnium Russiarum Ecclesia [2]. »

Ex his verbis logice quis inferet conjunctionem in eadem fide cum Ecclesiis orientalibus, id est, certe cum quatuor Ecclesiis patriarchalibus, esse orthodoxiæ signum et criterium; has autem Ecclesias non posse a recta fide recedere, id est, eas infallibiles esse. Revera quidam theologi, etiam inter recentiores, infallibiles habuerunt litteras dogmaticas a quatuor patriarchis publice subsignatas. Ita Alexander Lebedev, acerrimus ille papalis infallibilitatis adversarius, ad epistolam encyclicam quatuor patriarcharum anno 1848 datam tanquam ad infallibile documentum et Ecclesiæ universalis libellum symbolicum bis provocat [3].

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, II p., § 28 (in versione græca Corai, Athenis, 1836, p. 130).
2. I p. ad art. IX *Symboli*.
3. *Op. cit.*, p. 345, 356-357.

Quatuor patriarchas infallibiles esse nequaquam sane credebant illi Russi qui inde a concilio Florentino usque ad Niconis tempus omnes Græcos de hæresi suspectos habebant, de quibus in articulo *De Mosqua, tertia Roma* locuti sumus [1]. Nostris vero diebus, Autocephalistæ quatuor patriarchis omnem specialem prærogativam sive in regendo sive in docendo expresse denegant, quemdam honoris primatum inter alios præsules propter antiquitatis venerationem patriarchalemque dignitatem illis tantum agnoscentes [2].

ARTICULUS VIII

De concilio œcumenico ejusque variis conditionibus et possibilitate.

Prænotamina.

Absoluta quæstione de subjecto infallibilitatis sive in communi sive in particulari, de ipso exercitio infallibilitatis seu de variis modis quibus magisterium infallibile Ecclesiæ suum munus adimplet, tractandum venit.

Secundum doctrinam catholicam, magisterium Ecclesiæ infallibile duplici modo exercetur : 1º *modo solemni et extraordinario* per definitiones conciliorum œcumenicorum vel Papæ ex cathedra loquentis; 2º *modo ordinario* per consensum moraliter universalem episcopatus dispersi et cum Romano Pontifice uniti in eamdem doctrinam, quæ absolute imponitur. Apud theologos græco-russos mentio etiam occurrit de duplici magisterio, videlicet de concilio œcumenico, quod est magisterium solemne et extraordinarium, necnon de magisterio consentienti episcoporum per orbem dispersorum, quod est magisterium ordinarium. Magnam

1. Vide p. 441 sq., ac præsertim verba Arsenii Sukhanov de patriarcharum fallibilitate.

2. Cf. Andrutsum, Συμβολική, p. 71 : « Ἡ διάκρισις τῶν τεσσάρων πατριαρχῶν τῆς Ἀνατολῆς οὐδεμίαν ἐμφαίνει ἱεραρχικῶν δικαιωμάτων διάκρισιν ἢ οὐσιώδη ὑπεροχήν, ὡς φαντάζονταί τινες τῶν Διαμαρτορομένων. »

autem opinionum varietatem circa quæstiones particulares ad hoc duplex magisterium spectantes apud eos deprehendimus; quas ut dilucide exponamus, agemus :

1º De concilio œcumenico proprie dicto;

2º De modis, quibus concilium œcumenicum suppleri potest;

3º De infallibilitate conciliorum particularium;

4º De magisterio ordinario proprie dicto.

Præsens articulus erit de concilio œcumenico proprie dicto, de quo multæ quæstiones proponi solent. Harum quæstionum quasdam jam solvimus; siquidem in fine tomi primi de auctoritate conciliorum œcumenicorum necnon de eorum numero apud Græco-Russos locuti sumus. In præcedenti autem articulo, inscripto *De progressu dogmatico*, necnon in capite III hujus tractatus, quæstiones de *possibilitate juris* novi concilii œcumenici et de ejus necessitate ac utilitate jam tetigimus. Unde naturam ipsius concilii œcumenici in genere hic potissimum investigabimus, de *possibilitate* novi concilii pro Græco-Russis quædam addentes.

Diversæ conditiones quarum concursus necessarius est, ut synodus œcumenica dici possit doctrinæ revelatæ authentica et infallibilis interpres, hujusmodi synodi essentiam seu naturam constituunt. Porro hæ conditiones duplicis sunt generis. Quædam enim respiciunt ipsam constitutionem cœtus ecclesiastici ut corporis moralis de se apti ad legitime deliberandum de quæstionibus propositis; quæ dici possunt conditiones externæ. Aliæ vero spectant tum ad modum agendi Patrum intra sessiones, tum ad materiam deliberationum et definitionum, tum demum ad promulgationem et confirmationem decretorum; quas conditiones internas jure vocabis. Quid de utrisque doceant theologi græco-russi, nobis dicendum est.

Mirandum est autem quod compendiorum classicorum auctores de hujusmodi conditionibus vel omnino taceant vel admodum pauca habeant, quamvis concilium œcumenicum pro Græco-Russis summi sit momenti. Hoc sane provenit ex defectu cujuscumque auctoritatis infallibilis, quæ certo decernere possit quænam requirantur ad cons-

tituendum concilium œcumenicum veri nominis. Juxta eorum de Ecclesia conceptum, concilium œcumenicum solum de conditionibus concilii œcumenici infallibiliter statuere posset. Atqui nullum ex septem conciliis œcumenicis hoc fecit, et octavum semper desideratur. Unde canonista N. Suvorov fatetur « in litteratura ecclesiastica orthodoxa doctrinam de novis conciliis œcumenicis constituendis ad definiendas veritates christianæ disciplinæ non fuisse determinatam [1]. »

De conditionibus synodi œcumenicæ per transennam locuti sunt quidam polemistæ eo animo, ut Romani Pontificis prærogativa labefactarent. Ita Macarius Ancyranus, in suo opere : *Contra novitates Latinorum*, quamdam adumbrationem habet tractatus de concilio œcumenico, ubi omnia jura, quæ Catholici Papæ tribuunt, imperatori byzantino adscribit [2]. Inter recentiores, pauci speciales monographias de concilio œcumenico scripserunt; qui tamen magis de antiquis conciliis historice loquuntur quam de conditionibus futurorum theologice disserunt, ut Nectarius Kephalas [3], P. Lapin [4], K. Zaprudskii [5]. De proposita materia quædam item invenies in *Enchiridiis juris ecclesiastici* necnon in *Commentariis canonum* [6].

1. *Kurs tserkovnago prava* (*Cursus juris ecclesiastici*), t. II, Jaroslaviæ, 1890, p. 113.
2. Cap. CII-CXII, in Τόμῳ καταλλαγῆς, Dosithei, p. 187-195. Doctrina Macarii omnino imbuti erant Græci qui concilio Florentino interfuerunt, ut ex Actis clare constat.
3. Αἱ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, ed. 2, Athenis, 1892.
4. *Sobor kakh vyschii organ tserkovnyi vlasti*, Kazanii, 1909, 577 p. Hoc opus eo potissimum spectat, ut ostendat principium synodale seu *sobornost* in Ecclesia semper viguisse et adhuc sub variis formis vigere.
5. *Vselenskii sobor*, Mosquæ, 1906, 91 p. Auctor potius tractat de septem conciliis œcumenicis quam de concilio œcumenico in genere. Inde a p. 39 ad p. 74, datur russica versio Actorum sextæ synodi.
6. Cf. Πηδάλιον Græcorum (Citamus editionem Atheniensem anni 1908); N. Milasch, *Pravila pravoslavnoi Tserkvi s tolkovaniami* (*Canones Ecclesiæ orthodoxæ cum commentariis*), 2 vol., Petropoli, 1911; ejusdem *Jus ecclesiasticum*.

I. — De conditionibus externis concilii œcumenici.

Conditiones externæ concilii œcumenici referuntur ad ejus convocationem ac præsidentiam necnon ad qualitatem et numerum convocandorum.

A. De convocatione. — Thesis communissima antiquorum Byzantinorum necnon majoris partis modernorum de concilii convocatione hæc est : *Jus convocandi pertinet ad potestatem civilem*, seu, ut plerique dicunt, *ad imperatorem*. Cum enim septem prima concilia œcumenica imperatores *de facto* convocaverint, quanquam haud absque participatione Ecclesiæ (vel etiam Romani Pontificis, pro pluribus), plerique Græco-Russi *de facto ad jus* concluserunt, ad hoc sæpe adducti, ut jus convocaiotnis Papæ denegarent, cujus primatum polemice impetebant.

Jam tempore Photii, cæsaropapismus Byzantii eo usque invaluerat, ut quidam contenderent qualemcumque synodum absque imperatoris præsentia celebrari non posse; quos redarguit concilium oecumenicum octavum in suo canone 17 [1]. Post schisma vero, doctrina imperatori tribuens jus convocandi concilia omnino communis evasit, quippe quæ cum suprema ejusdem imperatoris auctoritate in Ecclesiam resque ecclesiasticas prorsus congruebat. Unde in polemistarum scriptis illam invenimus. Ita Nilus Cabasilas, in suo libello *De primatu Papæ*, expresse docet convocationem œcumenici concilii non ad episcopos, neque ad Papam, sed ad imperatores pertinere; quod ex Actis conciliorum probare tentat [2]. Macarius Ancyranus vero, verus ille cæsaropapismi doctor, hæc habet :

« Convocare synodum œcumenicam vel localem, etiamsi

1. « Ἦλθεν εἰς τὰς ἡμῶν ἀκοὰς τὸ μὴ δύνασθαι ἄνευ ἀρχοντικῆς παρουσίας σύνοδον γενέσθαι. Οὐδαμοῦ δὲ οἱ θεῖοι κανόνες συνέρχεσθαι τοὺς κοσμικοὺς ἄρχοντας ἐν ταῖς συνόδοις νομοθετοῦσιν, ἀλλὰ μόνους τοὺς ἐπισκόπους· ὅθεν οὐδὲ πλὴν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων τὴν παρουσίαν αὐτῶν γεγενημένην εὑρίσκομεν. » Mansi, t. XVI, col. 405; cf. col. 171. Concilium directe agit de synodo patriarchali, testatur principes sæculares interfuisse *de facto* conciliis œcumenicis; bene vero cavet ne hoc factum in jus convertat.
2. *P. G.*, t. CXLIX, col. 724, 725.

in ipsa Italia congregetur localis synodus, non ad episcopum Romæ, sed ad imperatorem pertinet... Solus imperator Romanorum seu Novæ Romæ, Constantinopolis, civitatis imperio donatæ, hanc potestatem habet; solus enim est imperator seu βασιλεὺς veri nominis... cui Deus non solum imperii, verum etiam Ecclesiæ gubernacula commisit [1]. »

In concilio Florentino, Græci, ac præsertim imperator Joannes VII Palæologus, eamdem sententiam tenebant. Die enim 21 junii (1439), paulo antequam unionis decretum subscriberetur, privilegia Papæ admiserunt præter duo, quorum primum erat « ne convocaret synodum œcumenicam sine imperatore et patriarchis [2]. » Cum autem Papa eis morem gerere renuisset, imperator vehementer institit ut in ipsa decreti unionis inscriptione post verba : *Eugenius, episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam*, hæc adderentur : *consensu serenissimi imperatoris et patriarchae Constantinopolitani ceterorumque patriarcharum*, quæ sane ex mente imperatoris eo spectabant, ut prætensi juris ejus in convocandum concilium aliquod leve vestigium remaneret [3].

Etiam post Constantinopolim a Turcis captam, cum non amplius esset imperator christianus, theologi græci convocationem concilii œcumenici imperatori vindicare non destiterunt. Unde Dositheus Hierosolymitanus [4], et post

1. « Τὸ συναθροίζειν σύνοδον οἰκουμενικὴν ἢ τοπικὴν κἀν ἐν αὐτῇ εἴη τῇ Ἰταλίᾳ ἡ τοπική, οὐ τοῦ Ῥώμης, ἀλλὰ τοῦ βασιλέως ἐστίν... Μόνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ῥωμαίων ἔχει ἐπ᾽ἀδείας καὶ τὴν κατὰ καιρὸν μέλλουσαν συγκροτεῖσθαι σύνοδον, ἅτε μὴ μόνον τοὺς τῆς βασιλείας πρὸς Θεοῦ ἐγκεχειρισμένος οἴακας, ἀλλὰ καὶ τοὺς τῆς Ἐκκλησίας. » *Op. cit.*, c. XXIV et CIII, p. 49 et 189.

2. *Sanctum concilium Florentinum editum a monacho benedictino*, Romæ, 1865, p. 260.

3. *Ibid.*, p. 262. Hæc verba ultimo in sequentia mutata sunt, quæ Papæ auctoritatem nullo modo lædunt : *consentiente ad infra scripta carissimo in Christo filio nostro Joanne Palæologo, Romanorum imperatore. Ibid.*, p. 265.

4. Δωδεκάβιβλος (= *Historia patriarcharum Hierosolymitanorum*), Jacovitsæ, 1715, p. 1018 : « Πρῶτον ἰδίωμα ὅλων τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων εἶναι τὸ νὰ συναθροίζωνται διὰ προσταγῶν οὐχὶ τοῦ πάπα, ἢ τοῦ δεινὸς πατριάρχου, ἀλλὰ διὰ προσταγῶν βασιλικῶν. »

eum *Pidalii* auctores [1] necnon recentissime Nectarius Kephalas [2], dicunt :

« Prima proprietas omnium conciliorum œcumenicorum in eo est quod non jussu Papæ aut cujuslibet alius patriarchæ, sed imperiali mandato convocantur. »

Cum autem sint nunc plures imperatores seu reges, seu potestates civiles, quotquot hanc sententiam cæsaropapisticam retinere volunt, rerum veritati eam accommodant in hunc modum :

« S'il s'agissait de la réunion des Églises, ait Alexander Sturdza, le droit de convoquer pour cette fin un concile universel ne saurait appartenir à un siège quelconque, attendu qu'il est absurde que l'une des parties exerce en même temps les fonctions de la présidence et celles de la plaidoirie. Ce serait un renversement des principes les plus invariables. *Il est donc évident que ce n'est que de l'accord entre les principaux monarques de la chrétienté que peut résulter un concile vraiment œcuménique* [3]. »

Alii, ante bellum recens, jus convocandi concilium ad tsarum Russorum, utpote τοῦ βασιλέως byzantini successorem, deferendum esse timide suggerebant [4].

Fuerunt tamen theologi et canonistæ qui huic thesi cæsaropapisticæ suffragari recusarunt, docentes jus convocationis pertinere non ad potestatem civilem, sed ad ipsam Ecclesiam. Jam Simeon Thessalonicensis dicit imperatorem convocare synodum non ex propria auctoritate, sed ex delegatione Ecclesiæ cujus est defensor [5]. Sæculo XVIII, Theophilus Papaphilus haud optandam habet imperatorum participationem ad concilium œcumenicum, provocatque

1. *Op. cit.*, p. 125.

2. *Op. cit.*, p. 19; cf. Athanasium Pariensem, *op. cit.*, p. 42, qui simpliciter dicit : « Œcumenicam synodum convocat imperialis potestas. »

3. *Considérations sur la doctrine et l'esprit de l'Eglise orthodoxe*, Weimar, 1816, p. 115-116.

4. Cf. N. Suvorov, *op. cit.*, t. I, p. 7, n. 15; t. II, p. 17, n. 26.

5. *Opera*, ed. Vindobon., p. 212 : « Ὁ βασιλεὺς μόνος ὡς ἔκδικος τῆς Ἐκκλησίας ἔχει ἄνωθεν ἀπὸ τῶν θείων πατέρων τὴν ἄδειαν συναθροίζειν σύνοδον. » Cf. *De sacra liturgia*, c. XCIII, *P. G.*, t. CLV, col. 277 D; *De sacris ordinationibus*, c. CCXIX-CCXXI, *ibid.*, col. 432-433; c. CXXVII-CXXIX, col. 440-444.

ad verba sancti Maximi Confessoris dicentis : « Synodos firmat pia fides, non vero imperatorum mandatum[1]. » Quidam autem inter recentes affirmare non dubitant antiquos imperatores, convocando concilia œcumenica, jus sibi minime proprium usurpasse; hanc usurpationem vero ex rerum adjunctis fuisse quasi necessariam atque in Ecclesiæ commodum cessisse, quatenus nullum tunc fuerit Ecclesiæ visibile caput, quod omnibus ecclesiasticæ vitæ ac doctrinæ manifestationibus præesse potuerit; neque Papa ipse qui, quamvis quibusdam privilegiis ditatus fuerit, præses tantum Ecclesiæ, non vero ejus supremum caput exstiterit, cujus vox, tantum collegæ vox, cujus sententia consilium tantum fuerit[2]; sed neque patriarcharum collegium synodo convocandæ par fuerit ob diversas circumstantias, præsertim postquam Romanum imperium in duas partes divisum est[3].

Alii quasi viam mediam tenent inter thesim cæsaropapisticam et doctrinam tuentem perfectam Ecclesiæ independentiam, necessariam habentes utriusque potestatis, Ecclesiæ nempe et Status participationem ad convocationem. Ita canonista N. Milasch :

« Synodi œcumenicæ convocandæ necessitatem, inquit, ostendunt episcopi, declarantes talem quæstionem in ea esse solvendam; deinde, civilis potestas, examinata propositione, episcopos convocat ad certum conventus locum, ea omnia suppeditans, quæ tum ad synodi constitutionem, tum ad expeditum ejus potestatis exercitium necessaria sunt[4]. »

1. Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, Athenis, 1908, p. 116-117.
2. Ita K. Zaprudskii, *op. cit.*, p. 27.
3. *Ibid.*
4. *Op. cit.*, p. II, § 80, ed. græca, p. 410 : « Τὴν μὲν ἀνάγκην τῆς συγκλήσεως οἰκουμενικῆς συνόδου, ὅπως γνωματεύσῃ αὕτη ἐπὶ ὡρισμένου ζητήματος ἐκκλησιαστικοῦ, καταδεικνύουσιν οἱ ἐπίσκοποι, εἶτα δὲ ἡ πολιτικὴ ἐξουσία, ἐγκρίνασα τὴν σχετικὴν πρότασιν, συγκαλεῖ τοὺς ἐπισκόπους εἰς ὡρισμένον τόπον συνελεύσεως, χορηγοῦσα πάντα τὰ πρὸς σύστασιν τῆς συνόδου καὶ ἀνενόχλητον ἐξάσκησιν τῆς σχετικῆς ἐνεργείας αὐτῆς ἀναγκαῖα μέσα. » Paulo ante auctor scripsit, p. 409 : « καὶ σήμερον δὲ συγκαλουμένης τυχὸν οἰκουμενικῆς συνόδου, ἡ πολιτεία δύναται καὶ ὀφείλει συμμετασχεῖν τῆς συγκλήσεως αὐτῆς. »

Eadem fere habet Russus P. Lapin, ubi factum convocationis septem conciliorum œcumenicorum ex parte imperatorum explicare quærit : Pastorum Ecclesiæ conscientia pronuntiavit synodum esse necessariam; imperatores vero Ecclesiæ desiderium ac votum expleverunt, synodum positive convocando[1].

Hæc quidem speculative. In praxi vero, cum in præsenti rerum statu nemo videat quomodo civilis potestas ad synodum œcumenicam convocandam concurrere possit, patriarcha Constantinopolitanus haud semel, nuperrime etiam alii patriarchæ, synodum hujusmodi convocare tentarunt, at incassum, ut supra diximus[2].

B. De præsidentia. — De concilii œcumenici præsidentia admodum pauci locuti sunt. Recentiores fere omnes de hac quæstione altum servant silentium, quod Papa per suos legatos antiquis conciliis plerumque præfuit, negare vel in dubium vocare satis habentes. Sæculo autem XV ineunte, Macarius Ancyranus præsentem quæstionem fuse tractavit, cujus doctrina hæc est :

Summa auctoritas in concilium, in ejus membra necnon in materiam ipsumque ordinem ac cursum deliberationum ad imperatorem pertinet; qui, si concilio ipse adfuerit, verus erit præses, in celsiori throno sedens, patriarchas habens a dextris et a sinistris, sedentes in subselliis æqualibus ac prorsus similibus in inferiori parte positis[3]. Si vero synodo non interfuerit, tunc suos mittet magistratus (ἄρχοντας), qui suum obtinebunt locum, summa auctoritate donati, omnibus deliberationibus ac controversiis cum voce deliberativa se immiscentes[4] : « Quod si accidat ut episcopi contra canones vel leges opinentur, magistratuum prævalet sententia, utpote legitima ac canonica; finita vero discussione

1. *Op. cit.*, p. 112-114.
2. Cf. p. 263 sq.
3. *Op. cit.*, c. CVII, p. 193 : « Ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καθήμενος καὶ βασιλικῶς δορυφορούμενος, ἐκ πλαγίων δὲ αὐτοῦ κάθηνται οἱ μεγιστάνες οἵ τε μεγαλοπρεπέστατοι ἄρχοντες καὶ ἡ ἱερὰ σύγκλητος· ὁ δὲ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης.... κάθηνται κατωτέρω ἐπὶ σκιμπόδων ἴσων καὶ ὁμοίων. »
4. *Ibid.*, c. CIX, p. 193-194 : « Οἱ μὲν παρὰ τοῦ βασιλέως ἀπεσταλμένοι ἄρχοντες... τὸ πρωτεῖον καὶ τὴν αὐθεντίαν τῆς συνόδου ἔχουσιν, λαβόντες αὐτὴν παρὰ τοῦ βασιλέως. »

secundum canones et leges, magistratus absolutam proferunt sententiam, quam synodus confirmat [1]. »

Potest autem et imperator præsidentiam et supremam potestatem directivam uni ex primis episcopis, ei nempe quem voluerit, concedere; ille vero, quicumque sit, a dextris supra omnes patriarchas sedebit. Si autem hoc suo jure imperator non usus fuerit, tunc præsidentiam (τὴν πρωτοκαθεδρίαν) obtinebit patriarcha œcumenicus Novæ Romæ; legati Papae vero a sinistris sedebunt, et ipsi supra alios [2].

Cum imperator verus sit concilii præses, in rebus controversis ac discussis primus, si adsit, fert sententiam; primus decretis subscribit [3]. Si synodus canones tantum edit, hoc jussu imperiali etiam fit. « In omnibus suffragiis et constitutionibus et judiciis et actionibus episcoporum, clericorum vel monachorum, partem habet necnon auctoritatem imperator, unaque excepta sacrificii oblatione, episcopis in omnibus æquiparatur, utpote unctus Domini et pontifex et sacerdos et doctor, secundum Acta quartæ synodi [4]. »

Hæc Macarius Ancyranus, qui hanc concilii œcumenici adumbrationem eo scopo scripsit, ut Græci in futura synodo de Ecclesiarum unione, quæ tunc prospectabatur, certas

1. *Ibid.*, p. 194 : « Οἱ δὲ ἐπίσκοποι γνωμοδοτοῦσι· καὶ εἴ πως γνῶμαι αὐτῶν οὐ κατὰ τοὺς κανόνας καὶ τοὺς νόμους, κρατεῖ ἡ τῶν ἀρχόντων γνώμη, νόμιμος οὖσα καὶ κανονική, καὶ τέλος τῆς ὑποθέσεως λαβούσης κατὰ τοὺς κανόνας καὶ τοὺς νόμους, οὕτως ἡ καθόλου ἀπόφασις διαλαλεῖται πρὸς τῶν ἀρχόντων, ἐπικυρούσης αὐτὴν τῆς συνόδου. »

2. *Ibid.*, c. cv-cvi, p. 190 : « Παρέχει δὲ ὁ βασλεὺς καὶ ᾧ βούλεται τῶν πρώτων ἐπισκόπων τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν αὐθεντίαν τῆς ουνόδου, κἀκεῖνος, ὅστις ἂν εἴη, κάθηται ἐν τοῖς δεξιοῖς ἐπάνω πάντων... Αὐτὸς ὁ τῆς νέας Ῥώμης οἰκουμενικὸς πατριάρχης τὴν πρωτοκαθεδρίαν πλουτεῖν εἴθισται τῆς συνόδου, οἱ δὲ τοποτηρηταὶ τοῦ πάπα ἐξ εὐωνύμων, ἐπάνω καὶ αὐτοὶ πάντων. » Ergo Macarius patriarchæ œcumenico præ Romano Pontifice τὴν πρωτοκαθεδρίαν adscribit.

3. *Ibid.*, c. cviii, p. 193 : « Πρῶτος ὁ βασιλεύς, εἴπερ παρέστι, θεσπίζει τὴν ἀπόφασιν. » — C. cix, p. 194 : « Καὶ τὰ ὡρισμένα γράμμασιν ἐγχαραχθέντα ὑπογράφει ταῦτα πρώτως ὁ βασιλεύς. »

4. C. cx, p. 194-195 : « Ἐν πάσαις ψήφοις καὶ καταστάσεσι καὶ δίκαις καὶ εὐθύναις ἐπισκόπων καὶ κληρικῶν καὶ μοναχῶν καὶ ἐν ὅλοις τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς τὴν μετοχὴν καὶ τὸ κράτος ἔχει ὁ βασιλεὺς καὶ τοῖς ἐπισκόποις παρεικάζεται, πλὴν μόνου τοῦ ἱερουργεῖν, ἅτε χριστὸς Κυρίου καὶ ἀρχιερεὺς δὲ καὶ ἱερεὺς καὶ διδάσκαλος, κατὰ τὰ πρακτικὰ τῆς δ' συνόδου. »

suæ agendi rationis cum Latinis regulas haberent [1]. Revera in concilio Florentino Græci proposito, quantum potuerunt, se conformarunt, ut ex Actis videre est. Huic adeo insolenti ac effrenato cæsaropapismo nemo est hodie qui absque temperamento suffragaretur. Qui de praesidentia concili recentiori tempore mentionem fecerunt, praesuli, cujus sedes primatum honoris (= τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς) habet secundum antiquos canones, illam communiter tribuerunt, nempe Romano Pontifici ad *Orthodoxiam* jam converso, vel, eo deficiente, patriarchæ Constantinopolitano [2].

C. De concilii œcumenici membris. — Secundum doctrinam de pentarchico Ecclesiæ regimine, ut concilium œcumenicum habeatur, convocandi sunt saltem quinque patriarchæ. Hoc communiter dixerunt antiqui theologi byzantini, illis exceptis qui tetrarchiæ propriæ dictæ adhæserunt. Hoc adhuc sæculo xv tenet Macarius Ancyranus :

« Sacris suis litteris, ait ille, imperator *vocat quinque patriarchas et metropolitarum quos voluerit*; qui, acceptis jussis imperialibus, vel ipsi ad synodum conveniunt, vel legatos mittunt, qui ipsorum locum teneant... Absente vel ex patriarchis uno, vel ejus vicariis, sententia de proposita quæstione non edicitur; quandoquidem synodus œcumenica est, si unanimiter simul præsentes sunt quinque patriarchæ, vel eorum vicarii. Unde præsentes omnes nondum adstantem exspectant, quicumque fuerit ille, donec veniat [3]. »

Inter quinque patriarchas venit sane Romanus Pontifex. Etiam postquam pentarchiæ valedixerunt, Græco-Russi de necessitate præsentiæ patriarchæ Occidentis ad concilium œcumenicum constituendum dubii hæserunt et adhuc, dubii hærent, ut in capite iii ostendimus. Ex illis haud pauci

1. Cf. c. cii, p. 187-188, ubi Macarius, qui Manuelem Palæologum per Occidentem annis 1399-1402 peregrinantem comitatus fuerat, narrat quosdam episcopos latinos aliosque clericos de convocanda quadam synodo œcumenica ad Ecclesiarum unionem instaurandam cum imperatore Parisiis collocutos fuisse.

2. Ita, v. g., N. Milasch, *op. cit.*, p. 410-412.

3. *Op. cit.*, c. cvi, p. 192 : « Δίχα καὶ ἑνὸς τῶν πέντε πατριαρχῶν ἢ τῶν ἐκείνου τοποτηρητῶν οὐ διαλαλεῖται τὰ τῆς προκειμένης ὑποθέσεως· οὕτω γὰρ ἡ σύνοδος οἰκουμενική ἐστιν, εἴπερ ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἅμα παρόντες εἰσὶ καὶ οἱ πέντε πατριάρχαι, ἢ οἱ τούτων τοποτηρηταί. »

nostro etiam ævo, concilium œcumenicum veri nominis sine Papa haberi non posse opinantur.

Ad alios autem episcopos quod attinet, theologi et canonistæ hodierni communiter requirunt, ut singulæ Ecclesiæ autocephalæ per quosdam saltem legatos repræsententur. Quidam tamen, ut Mesoloras [1], omnium episcoporum præsentiam exigere videntur; quod alii, ut Nectarius Kephalas [2], expresse negant. Secundum N. Milasch, Ecclesiæ particulares repræsentari possunt non solum per suos præsules vel eorum vicarios, sed etiam per epistolas, quibus suam de propositis quæstionibus sententiam publice manifestant, aut per simplicem declarationem qua promittunt se concilii decreta recepturas [3]. Cæterum major vel minor numerus episcoporum plerisque habetur ut quid secundarium et accidentale [4].

Quod autem attinet ad jus ferendi suffragium, Macarium Ancyranum mox audivimus hoc tribuentem non solum imperatori, verum etiam ejus magistratibus. Nostris vero diebus, sententia multo communior ac vere orthodoxa est illud solis episcopis competere, vel eorum legitimis vicariis [5]. Notandum vero est illos theologos qui tenent subjectum infallibilitatis esse totum corpus Ecclesiæ, vel etiam ipsum populum, omnino logice docere ad concilium œcumenicum convocandos esse non solum episcopos, verum etiam quosdam inferioris cleri et fidelium laicorum mandatarios cum voce deliberativa ac decisiva. Hæc presbyteriana ac multi-

1. Συμβολική, t. II², p. 29 : « οἰκουμενικὴν δὲ σύνοδον καλοῦμεν τὴν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἐκκλησίας συνισταμένην, ἤτοι ἁπάντων τῶν ἐπισκόπων ἢ τῶν ἀντιπροσώπων αὐτῶν εἰς ταὐτὸ συνερχομένων. »

2. *Op. cit.*, p. 20 : « Σφάλλονται οἱ φρονοῦντες, ὅτι ἡ καθολικὴ τῶν ἐπισκόπων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνάθροισις χαρακτηρίζει τὰς οἰκουμενικὰς συνόδους· διότι τὸ ἀξίωμα δίδοται οὐχὶ ἐκ τῆς πληθύος τῶν προσώπων. » Cf. etiam Milasch, *op. cit.*, p. II, § 79, p. 406.

3. *Ibid.* Hunc triplicem repræsentationis modum Ecclesiarum particularium apud Milasch tantum invenimus.

4. Cf. Milasch, *ibid.*, p. 406 : « Ὁ ἀριθμὸς τῶν συμμετεχόντων μελῶν οἰκουμενικῆς συνόδου δὲν ἀποτελεῖ τὸ κύριον γνώρισμα τοῦ χαρακτῆρος τῆς οἰκουμενικότητος αὐτῆς. »

5. Cf., v. g., Milasch, *op. cit.*, p. II § 81, p. 410-411; Zaprudskii, *op. cit.*, p. 10; Lapin, p. 577.

tudinaria intentio in Russia post annum 1905 præsertim erupit, quando de convocanda totius Ecclesiæ russicæ synodo plenaria acriter disceptatum est. Inter eos qui mandatariis cleri inferioris et populi vocem deliberativam in concilio vindicarunt, emicuerunt theologus P. Svietlov [1] et canonista N. Zaozerskii [2].

II. — De conditionibus internis concilii œcumenici.

Ut jam notavimus, conditiones internæ concilii œcumenici illæ sunt quæ respiciunt tum Patrum intra concilium agendi modum, tum quæstiones tractandas, tum decretorum promulgationem ac definitionem. De conditionibus hujusmodi magnam rursus opinionum diversitatem reperimus; unum autem vix invenies qui de his omnibus simul disserat; sed alius hanc, alius aliam ponit; siquidem, ut jam diximus, theologia græco-russica caret doctrina certa ac completa circa concilium œcumenicum.

A. De patrum agendi modo. — 1. Prima conditio ad concilii œcumenici legitimitatem ex parte membrorum requisita juxta multos hæc est, nempe quod *conveniant in nomine Domini et in Spiritu Sancto.* Quid autem sit *convenire in nomine Domini* non uno a singulis explicatur modo. In *Theologia christiana* Procopovitch hæc legimus :

« *Ubi*, inquit, *duo vel tres sunt congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Si ergo paucissimis in nomine ejus congregatis, multo magis coactis ex toto orbe doctoribus, totam Ecclesiam referentibus, adest medius Christus, modo congregentur in nomine ipsius, non terrena commoda aut subsidia petentes (quo, v. g., animo ad Florentinum impium concilium contulerat sese suosque traxerat secum Johannes Palaeologus), sed studio veritatis, pacis ecclesiasticæ, salutis æternæ permoti, non quærentes quæ sua, sed quæ Jesu

1. *Khristianskoe Vieroutchenie*, t. I, ed. 3, p. 197 : « Historia Ecclesiæ, inquit ille, commonet nos non solum de detrimento, verum etiam de periculis inde exortis quod clerus ac laici a conciliis œcumenicis exclusi sunt et cura conservatioque fidei solis episcopis commissa est. »

2. Cf. A. Palmieri, *La Chiesa russa, le sue odierne condizioni e il suo riformismo dottrinale*, Florentiæ, 1908, p. 33-45.

Christi, absque pruritu contentionis, absque libidine vincendi, absque studio partium et adulatione potentiorum, excusso præterea præsumptarum opinionum jugo... adhibitis piis votis et precibus, seria diligentia, enixa cura et sollicitudine integritatis Ecclesiæ et salutis animarum, servata semper modestia et concessa omnibus libertate sententiarum [1], etc. »

A. Lebedev hanc breviorem dat interpretationem :

« Est convenire non ob rationes vel fines terrenos, sed pro defensione doctrinæ orthodoxæ et Ecclesiæ orthodoxæ universalis [2]. »

A. N. Muraviev vero dicit verba *In nomine Domini* excludere influxum passionum humanarum [3]. Nectarius Hierosolymitanus fusius rem explanat :

« Quid autem sit, inquit, *In nomine Domini et in Spiritu Sancto*, facile est illis, qui in Scripturis versantur, enarrare : primo quidem, ut ex zelo veritatis; Spiritus Sanctus enim Spiritus veritatis vocatur; secundo, ut pacifice omnia contingant; Christus enim est pax; tertio, ut synodus fiat secundum canones et ordinem, promota per preces et ex amore Scripturæ et doctorum; quarto, ut synodus examinet sola sibi convenientia, non vero ea, quæ non conveniunt, ut duæ apud vos (Latinos) Toletanæ et aliæ post illas, quæ sine cognitione ausæ sunt definire quod tunc in quæstionem non vocabatur de processione Spiritus Sancti [4]. »

Nemo non videt hanc primam notam esse nimis incertam et ambiguam. Unde Philaretus Drozdov junior et placitis Lutheranorum adhuc inhærens, aliquando scripsit :

« Solus Christus ut cordium scrutator, certe novit illas synodos, quæ in ejus nomine congregantur. Nos vero de illis judicium ferre non possumus nisi illas inspiciendo ac pro-

1. *Theologia christiana orthodoxa*, t. I, *Prolegomena*, c. XIII, Lipsiæ, 1782, p. 267-269. Nota hoc caput XII *Prolegomenorum* maxima ex parte ab editoribus Procopovitch fuisse interpolatum; cf. Iu. Th. Samarin, *Stephan Iavorskii i Theophan Procopovitch*, *Operum* t. V, Mosquæ, 1880, p. 87-88.

2. *Op. cit.*, p. 84-85.

3. *Epistola de momento conciliorum œcumenicorum*, in commentario *Pribavleniia ad opera sanctorum Patrum*, t. XVII, 1858, p. 306.

4. *Op. cit.*, *versio Allixii*, p. 205-206.

bando ad lumen verbi Dei (id est, sacræ Scripturæ); secus enim accidere posset, ut decreta reciperemus synodorum a sophistis vel ambitiosis sub christianæ religionis prætextu congregatarum [1]. »

2. Patres ab omni metu gravi vel coactione externa immunes esse debent plenaque gaudere libertate deliberandi de propositis [2].

3. Charitatem fraternam ad invicem servare debent omninoque pacifice se gerere [3].

4. De propositis omnes inter se consentire debent [4]. Hanc tamen conditionem non omnes necessariam ducunt; quidam tenent ad auctoritatem decretorum sufficere majorem partem suffragiorum approbantium [5].

B. De materia deliberationum et decretorum. — Theologi græci sat multi opinati sunt pro œcumenico illud concilium tantum habendum esse quod de rebus ad fidem pertinentibus tractaverit definitionemque dogmaticam protulerit. Ita Paisius Lugarides [6], Dositheus [7], Pidalii auctores [8],

1. *Expositio discrepantiarum in doctrina fidei inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem*, in commentario *Tchteniia Societatis imperialis historiæ et antiquitatum apud Universitatem Mosquensem*, 1870, t. I, p. 36.

2. Ita Lebedev, *loc. cit.*; Muraviev, *loc. cit.* Ita etiam Scholarius in *Brevi apologia adversariorum unionis*, 7, *Œuvres complètes*, t. III, p. 89, Parisiis, 1930.

3. Lebedev, *ibid.* Nectarius hanc conditionem in prima comprehendit. Posita hac conditione, haud facile probabis quasdam ex septem synodis œcumenicis vera œcumenicitate donari.

4. Ita Lebedev, *loc. cit.*; Mesoloras, *op. cit.*, p. 29 : « ἐν ἁγίῳ Πνεύματι συζητούντων καὶ γνώμην ὁμοφώνως ἀποφαινομένων. » In concilio Vaticano hanc conditionem Patres haud pauci necessariam dicebant; quod cum speculative tum historice falsum deprehenditur.

5. Cf., v. g., Zaprudskii, *op. cit.*, p. 16.

6. *Historia condemnationis patriarchæ Niconis a concilio plenario Ecclesiæ catholicæ orthodoxæ orientalis, Mosquæ, an. D.* 1666-1667 *habito*, c. IX. Apud W. Palmer, *The patriarch and the tsar*, t. III, Londini, 1873, p. 141. Ligarides censet præfatum concilium non fuisse œcumenicum, quod nullum fidei dogma definierit.

7. *Op. cit.*, p. 633.

8. P. 125 : « Δεύτερον, τὸ νὰ γίνεται ζήτησις περὶ πίστεως, καὶ ἀκολούθως νὰ ἐκτίθεται ἀπόφασις καὶ ὅρος δογματικὸς εἰς κάθε μίαν ἀπὸ τὰς οἰκουμενικάς. »

Nectarius Kephalas[1]. Alii vero hoc tantum requirunt, nempe ut synodus de quæstionibus agat ad bonum commune totius Ecclesiæ spectantibus, non autem tantummodo de rebus utilitatem unius alteriusve Ecclesiæ particularis respicientibus; juxta quos concilium erit œcumenicum etiamsi de sola disciplina communi statuerit[2].

C. De ipsis definitionibus et decretis. — Definitiones et decreta concilii œcumenici, juxta omnes, Orthodoxiæ id est, sacræ Scripturæ ac præcedentium conciliorum decretis debent esse consona[3]. Qui vero sæculo xviii, et etiam recentiori tempore, in Russia docuerunt sacram Scripturam esse solam fidei regulam, pronuntiarunt decreta conciliorum ex sacra Scriptura probanda esse :

« Definitiones conciliorum, ait Procopovitch, pondus suum habent in Scriptura, et nihil valuissent, si inde non penderent... Eorum auctoritas in hoc sita est, quod Scripturæ, hoc est ipsius Dei, sententiam declarent, et facilius ac melius hoc præstent quam singuli singillatim doctores, cum sint et numero multi[4]. »

Eamdem conditionem aliter exprimit Milasch : « Synodus in suis definitionibus proferre debet quod ab initio, semper, ubique et ab omnibus creditum est[5] »; quod sane ambiguitate laborat. Si enim ad ea quæ *fide explicita* semper et ubique et ab omnibus credita sunt, illud referas, jam progressui dogmatico via præcluditur ipsaque conciliorum œcumenicorum utilitas valde minuitur.

D. De decretorum confirmatione ac auctoritate. — Theologi cæsaropapistæ, ut Macarius Ancyranus, jus con-

1. *Op. cit.*, p. 19 : « Δεύτερον, τὸ συζητεῖν περὶ πίστεως καὶ ἐκδίδοσθαι ὅρον δογματικόν. »

2. Ita Macarius Ancyranus, *op. cit.*, c. cx, p. 194. Idem innuere videtur Milasch, *op. cit.*, t. ii, § 79, p. 407 : « Πάντα τὰ ἐξεταστέα ζητήματα δέον νὰ ὦσι καθολικῆς φύσεως, τ. ἔ. ζητήματα ἀφορῶντα τὴν οὐσίαν τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς διδασκαλίας, τὰς θεμελιώδεις ἀρχὰς τῆς ὑπάρξεως καὶ τοῦ πολιτεύματος τῆς Ἐκκλησίας, καὶ ἔχοντα σπουδαιότητα ἐπὶ πασῶν τῶν ἐπὶ μέρους Ἐκκλησιῶν. »

3. Cf. *Pidalion*, *ibid.*; N. Kephalas, *op. cit.*, p. 19.

4. *Op. cit.*, t. i, *Prolegomena*, c. xiii, p. 264-267; Samarin, *loc. cit.*, p. 86-87.

5. *Op.* et *loc. cit.*, p. 407.

firmandi decreta concilii imperatori adscribunt[1]; hodie vero vix aliquem reperias qui ita sentiat. Alia autem sententia doctrinæ catholicæ non minus contraria inter eos jam communis evasit, quæ ad opinionem nostrorum Gallicanorum et Jansenistarum prope accedit[2] : Ut aliquod concilium œcumenicitate donetur et ut tale dignoscatur, necesse est, ut ejus decreta ab universa Ecclesia probentur ac accipiantur. Hic consensus unanimis subsequens Ecclesiæ tanquam confirmatio authentica concilii habendus est locumque tenet confirmationis papalis, prout hæc a theologis catholicis necessaria declaratur. Est œcumenicitatis conditio præcipua, unica nota, qua concilium œcumenicum veri nominis a falso vel a concilio particulari distinguatur.

Quid sit autem hic Ecclesiæ consensus unanimis, non eodem modo ab omnibus explicatur. Quidam enim de consensu *Ecclesiæ docentis* loquuntur :

« Quarta et ultima synodorum œcumenicorum proprietas, ait Dositheus, in eo est quod omnes orthodoxi patriarchæ et episcopi Ecclesiæ catholicæ unanimiter recipiant earum definitiones ac canones, sive per suam ipsorum præsentiam, sive per suos vicarios, sive etiam, his absentibus, per suas litteras[3]. »

1. *Op. cit.*, c. xxv, p. 50 : « Κελεύσει τοῦ βασιλέως καὶ οἱ τῶν συνόδων κανόνες συντάττονται, οὓς καὶ ὑπογράφει εἰς ἐπικύρωσιν; » quod confirmat exemplo Patrum synodi Trullanæ, qui suorum canonum confirmationem a Justiniano II postularunt : « Δεόμεθα τῆς σῆς εὐλαβείας ἐπικυρῶσαι τῆς συνόδου τὸν ψῆφον. »

2. Alexander papa VIII hanc cleri gallicani propositionem damnavit : « In fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, *nec tamen irreformabile esse judicium nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* » Hanc iterum profligavit concilium Vaticanum in capite *De Romani Pontificis infallibili magisterio.* Jansenistæ ad decretum infallibile requirunt : 1° ut mandatarii seu repræsentantes totius Ecclesiæ in concilium œcumenicum congregentur; 2° ut iidem de doctrina ad depositum fidei pertinente et semper in tota Ecclesia recepta conveniant; 3° *ut eorum judicium ab Ecclesia dispersa universaliter accipiatur.* » G. Van Noort, *Tractatus de Ecclesia Christi*, 1913, p. 86-87. Synodus Pistoriensis item contendit subjectum infallibilitatis esse totum cœtum fidelium.

3. *Op. cit.*, p. 634. Hæc verba repetunt *Pidalii* auctores, p. 125.

Alii totius Ecclesiæ consensum intelligunt, sine ulla distinctione inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem. Ita Eutaxias, qui dicit : « Si acceptatio totius Ecclesiæ non accesserit, concilium non est ab errore necessario immune [1]. » Item Svietlov : « Decreta episcoporum in synodis, inquit, suam vim canonicam ac efficaciam adepta sunt, quatenus per totius Ecclesiæ vocem recepta sunt [2]. » A. Lebedev vero : « Ut concilium sit œcumenicum, ejus decreta ab omnibus Ecclesiis recipi debent, etiam ab illis, quæ in eo non fuerunt repræsentatæ [3]. »

Alii demum sat multi consensum populi christiani, id est cleri inferioris et laicorum fidelium seorsim ab episcopis, expresse ponunt; iidem autem sunt qui populum christianum habent tanquam infallibilitatis Ecclesiæ subjectum; inter quos veniunt quatuor patriarchæ orientales in Epistola encyclica anni 1848 [4]. Illis assentiunt A. Khomiakov [5], Kireev [6], N. Milasch, qui distinguit duplicem acceptationem æque necessariam ad œcumenicitatem alicujus synodi, acceptationem scilicet Ecclesiarum particularium, etiam illarum, quæ in synodo legatos non habuerunt, et acceptationem totius cleri et populi cujusque Ecclesiæ :

« Fieri enim potest, inquit, ut synodorum decreta quædam ab omnibus præsulibus qui convenerunt unanimiter approbentur ac promulgentur, quæ tamen auctoritate œcumenica careant, quatenus ab omni clero et populo non agnoscantur; eodem pacto et synodus quæ hujusmodi decreta edidit pro

Ita etiam sentit N. Kephalas, Αἱ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι, p. 20 : ἡ ἀναγνώρισις αὐτῶν παρ'ἁπάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας. Secundum hanc doctrinam, unus Marcus Ephesius reluctans sufficiet ad evacuandam œcumenicitatem concilii Florentini. Quodnam autem ex septem conciliis œcumenicis tali conditioni satisfaciet?

1. *Op. cit.*, p. 42-43, 244-245.
2. *Op. cit.*, p. 198 in nota.
3. *Op. cit.*, p. 85. Quomodo cum hac conditione stabit, v. g., concilium Chalcedonense?
4. Cf. supra, p. 488.
5. Cf. supra, p. 285.
6. In commentario : *Revue internationale de théologie*, 1904, p. 600-601. Cf. A. Palmieri, *La Chiesa russa*, p. 181-182.

œcumenica haberi non potest. Fuerunt hæreticæ synodi, ut, v. g., quæ symbolum semiarianum composuit; aliæ item, quarum decretis subscripsere episcoporum numerus multo major quam quintæ synodi membrorum : aliæ etiam in quibus suffragia tulerunt patriarchæ et imperii duces; quæ tamen ut œcumenicæ nunquam agnitæ sunt, quoniam populus earum decreta tanquam veram Ecclesiæ vocem agnoscere non potuit [1]. »

Andrutsus Ecclesiæ universæ consensui subsequenti non quidem vim confirmationis proprie dictæ, sed criterii externi œcumenicitatis significationem tantum tribuit :

« Criterium externum synodi œcumenicæ, inquit, est ejus decretorum acceptatio ab universa Ecclesia. Equidem Spiritus Sanctus est synodorum œcumenicorum principium, præsulesque libere disputantes et canonice adunati ipso jure sententiam ferunt; quorum decreta ex seipsis, non ex Ecclesiæ consensu infallibilia sunt; tamen horum decretorum acceptatio ab Ecclesia est externum indicium, quo Patres definientes certo dignoscuntur sub Spiritus Sancti ductu exstitisse rectamque fidei Ecclesiæ interpretationem tradidisse [2]. »

1. *Op. cit.*, p. 407 et nota 5 : «προσέτι δὲ τὴν παραδοχὴν τῶν ἀποφάσεων τούτων ὑπὸ σύμπαντος τοῦ ἀνήκοντος τῇ Ἐκκλησίᾳ κλήρου τε καὶ λαοῦ. » — « Αἱ σύνοδοι αὗται οὐδέποτε ἀνεγνωρίσθησαν ὡς τὴν ἀληθῆ φωνὴν τῆς Ἐκκλησίας. » Hujusmodi criterium omnino fallax esse exinde patet, quod quædam ex septem synodis œcumenicis, ut, v. g., synodus Chalcedonensis, in multis provinciis et regionibus christianis neque a clero, neque a populo fuerunt receptæ. Revera unum solum ex historiæ factis stat criterium œcumenicitatis et infallibilitatis alicujus synodi, scilicet ejus conjunctio cum Romano Pontifice ei per se, vel per suos legatos præsidente, aut saltem eam approbante et confirmante. Veritatem doctrinæ catholicæ ad œcumenicitatem et infallibilitatem alicujus concilii requirentis ut hujusmodi concilium sit cum Papa conjunctum et ab eo approbatum ac confirmatum, ipsa facta historica luculente demonstrant.
2. Δογματική, p. 290. Idem fere docet N. I. Bieliaev, *O katolicisme. Kriticeskii zametki po povodu apologhii papstva* (*De catholicismo. Criticæ animadversiones ad quamdam apologiam papatus*), Petropoli, 1889 : « Ut aliquod concilium sit vere œcumenicum, inquit, ab Ecclesia recipiatur ratumque habeatur necesse est... Hæc acceptatio est ipsum œcumenicitatis criterium. » P. 214-225.

Hæc explicatio a præcedenti sane differt, sed speculative potius quam practice. Etenim si totius Ecclesiæ consensus est unicum criterium quo certo discernere possimus quænam sint concilia vere œcumenica, quænam non, ergo collegium episcoporum seorsim consideratum non est verum infallibilitatis subjectum; sed hujusmodi subjectum est totum Ecclesiæ corpus; episcopi vero non sunt infallibiles nisi quatenus cum clero inferiori et populo christiano consentiunt.

Sunt demum pauci qui hujus consensus totius Ecclesiæ vel populi christiani necessitatem prorsus rejiciunt, inter quos invenimus N. A. Muraviev :

« Ex toto aberrant, ait ille, qui ad alicujus synodi œcumenicum pondus tanquam quid necessarium requirunt, ut ejus decreta vel ab omnibus Ecclesiis particularibus per localem synodum recipiantur, vel a Papa specialiter sanciantur. Hoc absurdum omnino est. Ad quid enim conveniret œcumenica synodus, si ejus decreta postea recognoscenda iterumque examinanda vel carpenda essent? Haud ita sane! Judicium definitivum de fide vel disciplina in ipso concilio semper prolatum fuit; secus enim Patres dicere non potuissent : *Placuit Spiritui Sancto et nobis*. Synodalia decreta tanquam mandata immutabilia et pro singulis Ecclesiis, Romana non excepta, obligatoria semper promulgata sunt [1]. »

De œcumenicitate synodi Photianæ anni 879-880 quidam singularem proferunt sententiam, dicentes hanc synodum vere œcumenicam esse, hac tamen appellatione nondum vocari, quod nulla fuerit synodus œcumenica eam subsecuta, quæ secundum receptum morem hujusmodi titulo eam publice insigniverit [2]. Ex hoc inferre quis possit ad œcumenicitatem, saltem publicam, requiri, secundum illos theologos, synodi œcumenicæ subsequentis confirmationem.

1. In *Epist. cit.* supra, p. 508, n. 3.

2. Ita Bernardakis, Ἱερὰ κατήχησις, p. 41, n. 1 : « ἔχουσα μὲν οἰκουμενικὸν τὸ κῦρος, ἀλλ'ὄχι ἀκόμη καὶ τὸ ὄνομα, πρὶν ἀνακηρύξη αὐτὴν ὡς τοιαύτην, κατὰ τὸ ἐπικρατῆσαν ἔθος, ἄλλη διάδοχος οἰκουμενικὴ σύνοδος. » Hæc verba repetit Nectarius Kephalas, Ὀρθόδοξος ἱερὰ κατήχησις, p. 181.

III. — Quare Græco-Russi conciliorum Constantinopolitani IV, Lugdunensis II et Florentini œcumenicitatem rejiciant.

Post expositam doctrinam Græco-Russorum de concilii œcumenici conditionibus, non abs re erit inquirere quasnam ob rationes præfatorum trium conciliorum œcumenicitatem negare soleant, cum in his vel per Patrum majorem partem [1], vel per legatorum certe sufficientem numerum [2] repræsentati fuerint.

Quidam illa rejiciunt ob defectum repræsentationis œcumenicæ [3]; alii, quod non fuerint congregata *in nomine Domini et in Spiritu Sancto* [4].

Multi Florentinum impetunt, vel quod non fuerit orthodoxiæ consonum [5], vel ob concordiæ defectum inter Græcos et Latinos [6], vel quod ab omnibus Ecclesiis et episcopis non fuit receptum [7].

Explicatio, quæ theologis recentioribus magis arridet, ea est quæ ex defectu consensus populi christiani desumitur [8].

Cæterum, unus et idem theologus non unam tantum prætendit rationem, sed plerumque multas, sive contra

1. Ut in concilio Constantinopolitano IV (869-870).

2. Concilio Florentino interfuerunt 22 episcopi græci præter alios clericos; concilio autem Lugdunensi, duo tantum, qui tamen litteras a multis metropolitis subsignatas attulerunt, quibus Confessioni fidei in ipso concilio confirmandæ adhærebant.

3. Ita Joannes Eugenicus in suo opere : Λόγος ἀντιρρητικὸς τοῦ βλασφήμου καὶ ψευδοῦς ὅρου τοῦ ἐν Φλωρεντίᾳ, apud Dositheum, Τόμος καταλλαγῆς, p. 209, œcumenicitatem Florentino denegat, quod tres patriarchæ orientales multique alii episcopi cum græci tum latini neque præsentia corporali neque animi consensu adfuerint. Ita etiam N.A. Muraviev, *op. cit.*, p. 315-316, de Constantinopolitano IV et Florentino.

4. Ita Nectarius, *op. cit.*, p. 61-62, 263-274, contra Florentinum, qui etiam alias urget rationes; Theophanes Procopovitch, cf. supra, p. 508; etc.

5. Ita Dositheus et *Pidalii* auctores, Πηδάλιον, *loc. cit.*

6. Ita Eugenius Bulgaris, Θεολογικόν, Venetiis, 1872, p. 68-69 : « Ὅπου γὰρ τὸ πνεῦμα τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας οὐ πνεῖ, οὐδ'αἱ καθιστάμεναι σύνοδοι ἐν τῷ ὀνόματι Κυρίου συνίστανται. »

7. Ita Nectarius Kephalas, *op. cit.*, p. 20.

8. Ita quotquot hunc populi consensum habent necessarium, ut A. Lebedev, *op. cit.*, p. 85-87; Mesoloras, *op. cit.*, p. 37-38.

hæc tria concilia simul, sive contra illorum unum vel duo. Florentinum sæpius impugnatur [1].

IV. — De possibilitate novi concilii œcumenici.

Possibilitatem juris novi concilii œcumenici post septimum quidam olim, ut vidimus, negare non dubitarunt, septenarium synodale eodem fere pacto habentes ac nos habemus septenarium sacramentale, cui neque addere neque subtrahere fas sit [2]. Ad possibilitatem autem facti quod attinet, non una est inter theologos nostri ævi sententia. Primum quidem, qui tenent Ecclesiam græco-russicam non esse totam Ecclesiam universalem, sed ex ejus partibus unam tantum, logice pronuntiant novum concilium œcumenicum fieri non posse, donec perdurat schisma inter Ecclesiam romanam et Ecclesiam græco-russicam; imo, juxta quosdam recentes, donec Ecclesiæ protestanticæ a vera fide aberrant [3]. Gravissima sane est impossibilitas ex hac positione proveniens, nec ab impossibilitate juris multum distans.

Quibus vero Ecclesia græco-russica est Ecclesia universa, minor quidem est difficultas circa possibilitatem facti; ex illis tamen plerique contra paucos, qui opinantur concilium œcumenicum in Ecclesia omni tempore esse possibile [4],

1. Georgius Scholarius de Florentino hæc habet : «τὸ μὲν σωματικὸν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων ἔχουσαν ἴσως, εἰ καὶ μηδὲ τοῦτ'ἀκριβῶς, ἄλλης συνόδου τότε συνεστηκυίας (= synodus Basileensis)... τὸ δὲ πνευματικὸν ἔχουσαν οὐδαμῶς. » *Brève apologie des Antiunionistes*, 6, *Œuvres complètes*, t. III, Paris, 1930, p. 87. Queritur præsertim quod non fuerit libera et accurata discussio de capitibus decernendis; quod machinationibus tacendis et erubescendis ad subscribendum decreto unionis Græci adducti fuerint; quod synodus symbolum fidei suis definitionibus non præmiserit, ut aliis synodis mos fuit; quod præcedentem synodum œcumenicam, id est septimam, non confirmaverit; quod in decreto Papa solus, et non synodus, fidem definiat; quod græci præsules decreto a se subscripto ac firmato non steterint, sed palinodiam mox cecinerint, præter tres vel quatuor, qui contra sententiam patriarcharum, quorum vicarii erant, suffragium tulerint. *Ibid.*, p. 88-90.

2. Cf. p. 473.

3. Cf. p. 310.

4. Ita Alexander Bieliaev, *De unione Ecclesiarum*, Serghiev Possad,

fateri non dubitant novi concilii œcumenici convocationem a longo jam tempore, et hodie magis quam unquam, esse practice impossibilem, vel saltem maximis obstaculis præpediri præ nationum « orthodoxarum » politico statu aliisque adversis circumstantiis; unde Sergius, episcopus Yamburgensis, anno 1904 hæc scribebat :

« Concilium œcumenicum haberi non potest, non quidem ob Romæ et Occidentis defectionem, sed quod exteriores conditiones, in quibus Ecclesia hodie versatur adeo solemnem ejus vitæ auctoritatisque manifestationem omnino impediunt... Concilium est nunc practice impossibile, sicut etiam fuit tempore persecutionum [1]. »

Sergio assentiunt multi alii, ut canonista Pavlov [2], C. Andrutsus [3], D. Balanus [4]. Rem apodictice demonstrant vana tentamina convocandi concilium, quæ his ultimis annis plures moliti sunt [5].

ARTICULUS IX

De modis supplendi concilium œcumenicum.

Cum secundum communissimam Græco-Russorum sententiam septem tantum œcumenica concilia fuerint, quorum ultimum, nempe Nicænum II, anno 787 habitum est; cum præterea novi concilii convocatio inter ea quæ vix fieri possint ab omnibus fere computetur, mirum non est theologos dissidentes alias vias excogitasse, quibus Ecclesia

1897, p. 101 : « Tserkov moget vo vsiakoe vremiia sozvat vnov vselenskii sobor (= *Ecclesia omni tempore concilium œcumenicum rursus congregare potest*). » Facta ipsa Bielaev erroris arguunt.

1. In commentario : *Revue internationale de théologie*, 1904, p. 185, 189.

2. *Cursus juris ecclesiastici*, p. 281.

3. 'Εκκλησία καὶ πολιτεία, Athenis, 1920, p. 107 : « Ἡ σύγκλησις οἰκουμενικῆς συνόδου καθίσταται πρακτικῶς δυσχερετάτη, ἂν μὴ ἀδύνατος, ὡς ἐκ τῆς κατατομῆς 'Ορθοδοξίας εἰς ἐθνικὰς 'Εκκλησίας. »

4. In commentario 'Ανάπλασις (15 martii 1925).

5. Cf. R. Janin, *Les relations entre les Eglises orthodoxes*, in *Echos d'Orient*, t. XXV. 1926, p. 320-327.

suam vocem infallibilem omnibus significare possit, ne magisterio infallibili privata videatur. Hujusmodi autem viæ seu modi supplendi concilium œcumenicum cum magisterio ordinario proprie dicto non confunduntur, sed ad magisterium solemne potius revocantur. Tres sequentes apud diversos invenimus :

1º Prima via est mutua consultatio de rebus controversis inter episcopos per orbem dispersos commercii litterarum ope. Autocephalia una vel plures Ecclesiis sororibus quæstiones examinandas proponunt; illæ vero per suas synodos particulares proprium sensum de propositis manifestant. Si contigerit Ecclesias singulas de eadem re unanime ferre judicium, communis hæc sententia vim œcumenicam sortietur eamdemque auctoritatem habebit quam definitio a concilio œcumenico lata.

Hanc viam haud pauci commendant, inter quos nominandi sunt Nectarius Hierosolymitanus [1], M. Bulgakov [2], Malinovskii [3], Pavlov [4], Milasch [5]. Alii vero contradicunt, qui tenent Ecclesiam universam nihil infallibiliter definire posse extra concilium œcumenicum proprie dictum; immo hanc per litterarum commercium consultationem quidam existimant *inutilem* simul et *periculosam*; *inutilem*, tum quod synodi particulares Autocephaliarum non repræsentent totum cujusque Ecclesiæ corpus hierarchicum; tum quod in hoc casu desit conditio cuilibet synodo canonicæ essentialis, nempe disquisitio et investigatio in communi facta; tum demum quod accidere possit — quod revera recentibus annis haud semel factum est —, ut quædam Ecclesiæ responsum dare negligant; *periculosam* vero, quod deficiente com-

1. *Op. cit.*, p. 209 : « Sed ad impossibile quod objecisti de dubitationibus quæ emergunt, sufficit ut primæ sedes per suas synodos plenissimas expendant, et quod ipsis visum est ad invicem communicent. Concordes autem omnino erunt in nomine Domini per S. Spiritum convenientes. » Hæc pugnare videntur cum iis, quæ auctor dixit supra, p. 86 : « Absque synodo universali nihil una potest sedes, qualiscumque illa sit, dubitationem sola de finire. »
2. *Introductio in theologiam orthodoxam*, § 140, *ed. cit.*, p. 382.
3. *Op. cit.*, t. II, § 151, p. 257.
4. *Op. cit.*, p. 281.
5. *Op. cit.*, pars II, § 83, p. 415.

muni discussione, fieri possit, ut hoc litterarum commercium non quidem consensionem, sed potius dissensionem Ecclesiarum patefaciat, et inde magis necessaria appareat ad tollendam discordiam novi concilii œcumenici convocatio [1]. Hæc non temerarie nec præpostere proferri recentes quidam eventus liquido comprobant [2].

2º Alius modus supplendi concilium œcumenicum, a quibusdam, ut Pavlov [3] et Malinosvkii [4] propositus, consistit in synodo aliquot legatorum a quaque Autocephalia cum summa potestate missorum, ut de quæstionibus propositis deliberent ac sententiam ferant. Synodus hujusmodi erit quasi quædam concilii œcumenici adumbratio, quam concilium œcumenicum minus jure vocare possis. Hic modus non videtur unquam fuisse usurpatus [5]. Qui primam viam rejiciunt, nec hanc secundam propter easdem fere rationes probabunt, neque a fortiori eadem eis placebit qui ad consultationem œcumenicam dissidentium Occidentalium repræsentationem requirunt.

3º Tertiam viam indicat canonista N. Milasch his verbis : « Exsurgente controversia in Ecclesia particulari, hæc suam synodum convocat, quæstionem solvit solutionemque probatam cæteris Ecclesiis significat. Si Ecclesiæ omnes sive directe, sive indirecte et implicite, sententiam consonam dederint, tunc habebitur judicium Ecclesiæ universæ, decreto concilii œcumenici auctoritate æquale [6]. »

Idem auctor dicit hoc modo fuisse receptas et approbatas

1. Ita C. Andrutsus, Ἐκκλησία καὶ πολιτεία, p. 107-108, in nota : « Ἡ δι'ἀνταλλαγῆς γραμμάτων τῶν διοικουσῶν τὰς αὐτοκεφάλους Ἐκκλησίας συνόδων, ὑποκειμένου λόγου περὶ νομοθεσίας ἐν κανονικοῖς ζητήμασιν, εἶνε ἀνωφελής, ἐνίοτε δὲ καὶ ἐπικίνδυνος... Ἡ μόνη κανονικὴ φωνὴ τῆς Ἐκκλησίας εἶνε ἡ τῆς οικουμενικῆς συνόδου. »
2. Alludimus ad consultationes, quæ de schismate Bulgarorum factæ sunt intra annos 1868-1872; quæ de Ecclesiarum unione et novo calendario, anno 1903; quæ nuperrime de concilio œcumenico convocando.
3. *Loc. cit.*
4. *Loc. cit.*
5. *Op. cit.*, p. 415 : « Ἡ οὕτω ληφθεῖσα ἀπόφασις ἔχει τὴν αὐτὴν σημασίαν καὶ σπουδαιότητα, ὡς ἐὰν ἐλήφθη καὶ ἐδημοσιεύθη ὑπὸ οἰκουμενικῆς συνόδου. » Cf. § 51, p. 297-298; § 131, p. 620.
6. *Ibid.*, § 51, p. 298; § 133, p. 626-627.

ab omnibus Ecclesiis autocephalis tum Confessiones fidei Petri Moghilæ et Dosithei, tum etiam encyclicam epistolam quatuor patriarcharum Orientis anno 1848 datam, quam non una vice jam citavimus. Verum, in tomo I probavimus plerosque theologos hodiernos hujusmodi documentis auctoritatem œcumenicam denegare, eisque haud raro contradicere. Notum est item Ecclesiam russicam inconsultis cæteris Autocephaliis quædam in Confessione Dosithei suppressisse, alia mutasse; immo certum omnino est Petrum Moghilam Confessionem fidei, seu potius Catechismum suo nomine nuncupatum repudiasse, postquam a Meletio Syrigo correctus est, et a quatuor patriarchis orientalibus cum his correctionibus approbatus [1]. Dositheus etiam suæ Confessionis fidei caput decimum octavum, prout nunc legitur, in secunda editione mutavit [2]. Demum, animadvertas velim apertas contradictiones, quantum ad quædam fidei capita, in tribus præfatis documentis inter se collatis deprehendi. Ex his satis superque constat hanc tertiam viam nullo valido niti fundamento, nullo exemplo comperto firmari, sed esse tantum quoddam *theologumenon* a paucis admissum.

ARTICULUS X

De conciliis particularibus.

Græco-Russi communiter negant concilia particularia esse per se infallibilia, quamdiu ab aliquo concilio œcumenico approbata non fuerint. Pauci tamen oppositam sententiam tenuerunt. Ipsa *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ de hac quæstione obscurius loquitur :

« Quidquid, inquit, sancti Patres in omnibus universalibus atque particularibus orthodoxis conciliis quocumque tandem loco habitis, statuerunt, id a Spiritu Sancto profectum esse credas oportet; quemadmodum in synodo sua ipsimet

1. Cf. quæ nuper scripsimus in *Echos d'Orient*, t. XXVIII, 1929, p. 414-430 : *La Confession orthodoxe de Pierre Moghila. A propos d'une publication récente.*

2. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 149.

loquuntur apostoli (Act., XV, 28) : *Visum est Spiritui Sancto ac nobis.* Quorum exemplo, cetera item orthodoxa concilia simili modo decreta sua concluserunt [1]. »

Difficile dictu est utrum *Confessio* ad solas synodos particulares ab œcumenicis confirmatas alludat, an de quibuscumque synodis particularibus loqui intendat. Ratio dubitandi est quod quidam theologi græci coævi revera ita senserint, inter quos venit Nectarius Hierosolymitanus, qui hæc habet :

« Dico omnem synodum legitime congregatam, quæ canonice et pacifice concluditur, et in Dei honorem collecta est, quæ ipsi convenientia quærit et examinat, *sive illa sit particularis, sive potissimum œcumenica,* ex Deo inspirationem habere, et præsentiam illius qui promisit, et ductum Spiritus Sancti [2]. »

Suam vero sententiam hac ratione firmat :

« Nos dicimus omnem synodum in nomine Domini, in Spiritu Sancto congregatam, etiam Christum in sui medio præsentem habere, cum ille veraciter pollicitus sit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ego sum in medio eorum* [3]. »

Meletius Syrigus, qui Petri Moghilæ opus correxit, idem docere videtur in *Confutatione capitum Cyrilli*; scribit enim :

« Quicumque in fide consentiunt, a Deo, qui *habitare facit unanimes* in domo, adunati sunt... ipsique Spiritum Sanctum habent inhabitantem et Christum in se loquentem. Quandoquidem Christus, ipsa veritas, dicit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum...*, quomodo inspirata non sunt sanctarum synodorum decreta, quæ multoties congregatæ sunt, et in multis locis et semper inter se consentiunt?... Congruum itaque est, ut recipiamus eorum decreta tanquam ipam Scripturam, quandoquidem

1. *Confessio orthodoxa*, p. I, q. LXXII : « καὶ διὰ τὴν ἀφορμὴν τούτην εἰς ὅλας τὰς οἰκουμενικὰς συνόδους καὶ τοπικὰς, τὰς ὀρθοδόξους, ὅπου καὶ ἂν ἐγίνησαν, πίστευε πῶς ὅ, τι ἀποφασίσασιν οἱ ἅγιοι πατέρες, νὰ εἶναι ἀπὸ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. » Kimmel, p. 144.

2. *Op. cit.*, p. 205. Inter synodos locales, quæ infallibiles fuerint computat Nectarius synodum Antiochenam contra Paulum Samosatenum, synodum Gangrensem, synodum Constantinopolitanam contra Eutychetem, anno 448 habitam; *ibid.*, p. 188.

3. *Ibid.*, p. 205.

illam interpretantur et explicant. Quisnam enim libros authenticos Scripturæ ab apocryphis discriminavit? Nonne Patres et Laodicena synodus[1]? »

Plerique vero infallibilitatem tribuunt tantum iis synodis particularibus, quas Trullanum concilium sua auctoritate firmavit.

ARTICULUS XI

De magisterio ordinario proprie dicto.

Magisterium ordinarium proprie dictum intelligitur de consensu moraliter unanimi episcoporum per orbem dispersorum in eamdem doctrinam, quam proponunt omnes credendam utpote divinitus revelatam, quin aliqua prævia consultatio intercesserit. Hic consensus explorari potest tum ex documentis episcopalibus proprie dictis, tum ex unanimi theologorum doctrina, tum ex praxi universali Ecclesiæ dogmati connexa, tum etiam ex communi sensu fidelium. Secundum doctrinam catholicam, quæ tanquam fidei dogma ex concilio Vaticano habenda est, hic totius episcopatus dispersi consensus non subjacet errori, dummodo collegium episcoporum cum suo capite, Romano scilicet Pontifice, moraliter unitum permaneat.

De hoc magisterio ita definito pauci inter Græco-Russos mentionem faciunt; ex istis vero quidam infallibilitatem ei agnoscunt, denegant alii. Omnes, ut per se patet, de morali conjunctione episcoporum cum Papa tacent. Primam sententiam tuetur Macarius Bulgakov, qui et de Patrum theologorumque consensu eodem fere modo ac nostri theologi loquitur :

« Consentanea doctrina, inquit, omnium summorum pastorum et pastorum Ecclesiæ in genere, etiam dum in concilium congregati non sunt, sed unusquisque in sua diœcesi manet: item unanimis totius Ecclesiæ fides circa divinæ revelationis veritates, eodem pacto infallibiles sunt ac conciliorum œcumenicorum definitiones [2]. »

1. *Op. cit.*, p. 5*a*.
2. *Introductio in theologiam orthodoxam*, § 140, p. 381.

Macario omnino assentit N. Milasch [1], assensit quondam C. Andrutsus [2], implicite suffragatur Zikos Rhosis his verbis :

« Veræ catholicæ Ecclesiæ completa traditio non tantum complectitur ea dogmata quæ ab œcumenicis synodis expressa fuere, sed etiam alia dogmata in conciliorum œcumenicorum definitionibus haud contenta, utpote quæ in antiqua Ecclesia ante schisma a nullo hæretico in controversiam vocata sunt... Hæc alia dogmata in Confessionibus fidei sæculi XVII declarata sunt... Hujusmodi Confessiones auctoritatem habent authenticam et obligatoriam pro quocumque genuino membro orthodoxæ catholicæ Ecclesiæ, quandoquidem complent declarationes definitionesque fidei œcumenicarum et cæterarum sacrarum synodorum antiquæ Ecclesiæ catholicæ, atque verum orthodoxæ catholicæ Ecclesiæ spiritum exprimunt pro necessitatibus et opportunitatibus ejus, doctrinam ejus opponentes dogmatibus papicæ et protestanticæ Ecclesiæ [3]. »

Nicolaus M. Damalas magnam quidem auctoritatem agnoscit unanimi consensui Patrum, pastorum et doctorum Ecclesiæ, quippe qui communem Ecclesiæ catholicæ cons-

1. *Op. cit.*, § 83, p. 414.
2. Andrutsus infallibilitatem magisterii ordinarii docet in sua Δογματικῇ, Athenis, 1907, p. 287-288. Hanc item tuetur contra C. Dyovuniotem in opere : Δογματικαὶ μελέται, Athenis, 1907, p. 142-143 : « Ἀλάθητος ἀλήθεια εἶναι ὄχι μόνον τὰ ὀλίγα δόγματα τὰ ἐν οἰκουμενικαῖς συνόδοις θεσπισθέντα, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπὸ τῶν ἱεραρχῶν τῆς Ἐκκλησίας διδασκόμενα. » In recenti autem opella inscripta : Ἐκκλησία καὶ πολιτεία, Athenis, 1920, sententiam mutasse videtur. Dicit enim, p. 108 in nota, « solam vocem synodi œcumenicæ esse vocem canonicam Ecclesiæ. » Cf. supra, p. 519, n. 1 et t. I, p. 674.
3. *Op. cit.*, p. 59; et in nota 1 : « Αἰρομένου τοῦ αὐθεντικοῦ καὶ ὑποχρεωτικοῦ κύρους τῶν κατὰ τὴν ιζ' ἑκατονταετηρίδι ἱερῶν συνόδων καὶ περιοριζομένου τοῦ ὑποχρεωτικοῦ κύρους εἰς μόνας τὰς ἀποφάνσεις ἢ τοὺς ὅρους τῆς πίστεως τῶν 7 οἰκουμ. συνόδων, αἴρεται ἅμα καὶ ὁ δογματικὸς χαρακτὴρ τῶν δογμάτων τῆς ὀρθ. ἀνατ. Ἐκκλησίας περὶ αὐθεντίας τῆς Ἐκκλησίας, περὶ 7 μυστηρίων, περὶ δικαιώσεως, κτλ., οὕτω δὲ ἡ ὀρθ. ἀνατ. Ἐκκλησία ἤθελεν εὑρίσκεσθαι ἐν μετεώρῳ καταστάσει καὶ ἀβεβαιότητι περὶ τῶν δογμάτων τούτων. » De facto tamen Ecclesia græco-russica in hoc statu versatur; quem mutare non potest privata opinio unius theologi vel plurium, aliis theologis contrariam sententiam tenentibus.

cientiam manifestet; immo hæreticam pronuntiat doctrinam huic consensui oppositam; non tamen audet hujusmodi magisterium concilio œcumenico exæquare neque infallibilitatem expresse ei tribuere; dicit tantum illud de futuri concilii œcumenici sententia præjudicare, id est, eam præmonstrare ac prævenire [1].

D. S. Balanus magisterio ordinario, prout nunc illud consideramus, infallibilem auctoritatem denegat [2]. Mesoloras de præsenti quæstione obscura profert, et ad Damalæ sententiam potius accedit, quantum ad dogmaticum pondus Confessionum fidei sæculi XVII [3]. C. N. Dyovuniotis hujus magisterii infallibilitati adversatur [4]; cui nuper suffragatus est C. Andrutsus. Adversantur item quotquot tenent con-

1. In libello inscripto : Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον περὶ τῶν ἐν Βόννῃ πεπραγμένων, Athenis, 1876, p. 30-31 : « Εἰ καὶ δὲν ἐξισοῦνται πρὸς τὴν ἀλάνθαστον τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου ἥτις μόνη ἀναμφισβητήτως διακρίνει τὸ ὀρθόδοξον δόγμα τῆς αἱρετικῆς δοξασίας, καὶ ἀμετακλήτως δικάζει τὴν τελευταίαν... Ἡ ἑρμηνεία τῆς κοινῆς συνειδήσεως τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς Ἐκκλησίας ἐκδηλουμένη ἐν τῇ συμφωνίᾳ τῶν ποιμένων καὶ τῇ πράξει τῆς καθολικῆς, Ἐκκλησίας προδικάζει τὴν περὶ τοῦ ζητήματος ψῆφον τῆς μελλούσης οἰκουμενικῆς συνόδου. » In suo opere : Περὶ ἀρχῶν, Lipsiæ, 1865, Damalas auctoritatem magisterii ordinarii eo usque non extulerat, dixeratque Confessiones fidei ab aliquo concilio œcumenico non examinatas haberi non posse tanquam certum et securum fontem Orthodoxiæ; cf. t. I, p. 674.

2. Balanus non admittit infallibilitatem magisterii ordinarii nisi in casu quo omnes particulares Ecclesiæ orthodoxæ per suas synodos consentiens judicium publice proferant : « μόνον ἐφ'ὅσον αἱ ἐπὶ μέρους ὀρθόδοξοι Ἐκκλησίαι ὁμοφώνως ἀποφανθῶσιν ἐπισήμως διὰ τῶν συνόδων αὐτῶν. » Κρίσις τῆς δογματικῆς τοῦ Χ. Ἀνδρούτσου, in commentario Νέα Σιών, 1907, p. 697; quæ vix logice conveniunt cum iis, quæ de auctoritate Confessionum fidei sæculi XVII idem auctor nuper scripsit; cf., t. I, p. 675-676.

3. De Confessionum fidei sæculi XVII auctoritate Mesoloras sibi pugnare videtur. Postquam enim scripsit has Confessiones « non habere eam auctoritatem obligatoriam, irreformabilem et divinam qua gaudent synodi œcumenicæ », Συμβολική, t. II², p. 35, mox subjicit : « Αἱ οἰκουμενικαὶ καὶ αἱ τοπικαὶ ὀρθόδοξοι σύνοδοι, ὡς καὶ αἱ ἐκδοθεῖσαι ἀπὸ τῆς ἁλώσεως τῆς Κωνσταντινουπόλεως ὀρθόδοξοι ὁμολογίαι, ἀποτελοῦσι μετὰ τῆς ἁγίας Γραφῆς τὸ γνήσιον καὶ ἀλάθητον κανόνα τῆς πίστεως. » *Ibid.*, p. 36; cf. t. I, p. 679.

4. Ὀφειλομένη ἀπάντησις, Athenis, 1908, p. 119-120.

cilium œcumenicum proprie dictum esse unicum organum, solam viam per quam Ecclesia universa suum infallibile magisterium exercet; ii autem generatim sunt, quicumque œcumenicam auctoritatem Confessionibus fidei Petri Moghilæ et Dosithei denegant [1].

Cæterum, etiamsi theologi græco-russi omnes magisterii ordinarii infallibilitatem speculative docerent, existentiam consensus *unanimis et per sæcula constantis* episcoporum suæ Ecclesiæ in certas veritates a definitionibus antiquorum conciliorum distinctas haud facile detegerent, ut ex tota nostra expositione eorum theologiæ dogmaticæ colligere est.

ARTICULUS XII

Utrum in Ecclesia græco-russica magisterium infallibile revera existat.

Ex omnibus, quæ in hoc capite de doctrina Græco-Russorum circa infallibile Ecclesiæ magisterium retulimus, luculente apparet Ecclesiam græco-russicam magisterio infallibili *de facto* carere, indeque muneri custodiendi, proponendi, interpretandi et explicandi doctrinam revelatam absque ulla erroris admixtione omnino imparem esse.

Etenim Græco-Russi de hoc magisterio in hoc tantum *hodie* unanimes et consentientes sunt, scilicet quod unica exstet via per quam Ecclesia suis fidelibus infallibiliter loqui possit, nempe concilium œcumenicum proprie dictum, quandoquidem aliæ viæ supra enumeratæ non ab omnibus, sed a quibusdam tantum admittuntur.

Atqui, ipsis Græco-Russis fatentibus, ex quo Ecclesia byzantina a Romana se sejunxit usque ad hodiernam diem, non solum non habuit ullum verum concilium œcumenicum, sed neque habere potest, donec schisma perdurat, cum multi theologi dissidentes ad verum concilium œcumenicum constituendum necessariam ducant Romani Pontificis præsentiam, nec Ecclesiam græco-russicam habeant tanquam

1. Cf. t. I, p. 672-679.

Ecclesiam totam et universam, sed hujus partem tantum.

Ergo Ecclesia græco-russica de facto caret illa infallibilitatis in docendo prærogativa, qua Christus Ecclesiam a se fundatam ornavit ac munivit.

Absoluta ac insanabili impotentia docendi infallibiter, qua laborat illa Ecclesia, aliunde etiam multipliciter constat :

1º Nullam certam ac definitam habet doctrinam de natura et conditionibus concilii œcumenici, quod illi est unicum infallibilitatis organum, una docendi infallibiliter via ab omnibus probata. Alii enim, ut vidimus, alias requirunt conditiones, ita ut Ecclesiæ græco-russicæ pastores et oves cum certitudine omne dubium excludente scire non valeant quid sit necessarium ad concilium œcumenicum veri nominis constituendum; immo quidam eas ponunt conditiones, ex quibus sequeretur concilium hujusmodi nunquam haberi posse. Exigere enim, ut omnes ad concilium vocati unanimiter ac perfecte inter se consentiant; vel ut Patrum decreta tum ab omnibus omnino episcopis, tum etiam a cuncto populo christiano inferiorique clero, rata habeantur, est concilium œcumenicum inter ea quæ nunquam fient nec fieri possunt, revera collocare ac deputare. Item, quis scire unquam poterit utrum hoc vel illud concilium *in nomine Domini et in Spiritu Sancto* fuerit congregatum, secundum horum verborum significationem a quibusdam positam?

2º Ut jam supra diximus [1], Ecclesia græco-russica, inde a separationis tempore, nullum *lucrum* fecit vere *dogmaticum*. Quamvis enim multas habuerit synodos, haud unam confecerit ac authentice promulgaverit fidei Confessionem, nullum hodie exstat documentum ab ea probatum, quod ab omnibus Græco-Russis recipiatur tanquam infallibili auctoritate donatum. Illud solum ab omnibus infallibile ducitur, quod a septem conciliis œcumenicis directe fuit definitum vel in symbolo Nicæno-Constantinopolitano continetur. Solus extensus est campus *theologumenorum* ex continuo commercio cum Catholicis et Protestantibus [2].

1. P. 472.
2. Inter recentes theologos qui veram positionem dogmaticam Ecclesiæ græco-russicæ agnoverunt et confessi sunt, citari potest K. I. Dyovuniotis, in articulo inscripto : Αἱ σχέσεις τοῦ παλαιοκαθολικισμοῦ πρὸς τὰς ὀρθοδόξους Ἐκκλησίας τῆς Ἀνατολῆς, in commentario Θεολογία, edito anno 1920, p. 169-175 : « A mon avis, inquit ille (versionem gallicam P. Salaville in *Echos d'Orient*, t. XXVII, 1928, p. 236, citamus), l'union des Vieux-Catholiques ou de toute autre Église avec l'Église orthodoxe orientale est pour le moment non seulement désavantageuse, mais même impossible, pour la bonne raison que l'ensemble de l'enseignement dogmatique de l'Église orientale n'a pas été officiellement déterminé. L'Église ancienne, pour des motifs indépendants de sa volonté, n'a fixé, par les conciles œcuméniques, que les points de dogme concernant la doctrine trinitaire et christologique; mais elle a laissé indéterminées les autres doctrines dogmatiques qui demeurent encore ainsi indéterminées dans l'Église orientale. La détermination officielle des autres enseignements dogmatiques est, sans nul doute, absolument nécessaire. Or, d'après les principes régnants dans l'Église, cette détermination ne peut être faite que par un concile œcuménique réuni après les travaux préparatifs indispensables. C'est seulement après la fixation des dogmes de l'Église orientale par un synode œcuménique qu'il pourrait être question d'union des Églises avec notre Église. Car alors seulement seront officiellement déterminés les dogmes de l'Église orientale, et il ne sera plus possible de mettre en avant comme base d'union des opinions théologiques individuelles souvent diamétralement opposées à la doctrine de l'Église orientale. » Vides tamen nodum intricatissimum Græco-Russis solvendum : Quomodo Ecclesia orientalis verum concilium œcumenicum habere poterit antequam aliis Ecclesiis uniatur, quandoquidem ex multorum theologorum ejus sententia ad concilium œcumenicum requiritur participatio Romani Pontificis?

3º Ex historia comperimus Ecclesiæ græco-russicæ patriarchas et summos pastores frequentissime variasse contradictoriasque sententias authentice edidisse de multis doctrinæ capitibus, v. g., de primatu Petri vel Romani Pontificis, de divina essentia et operatione, de ipsa Spiritus Sancti processione, de modo heterodoxos recipiendi, de sacramentorum valore ab hæreticis collatorum, de Scripturarum canone, de conciliorum œcumenicorum numero, de Ecclesiæ supremo regimine, de infallibilitatis ecclesiasticæ subjecto, etc. Haud pauca fuerunt dogmata *temporaria*, quæ sæculorum decursu evanuerunt; nullum vero, quod immutabiliter usque ad præsens tempus permanserit, præter illud minimum veritatum ab antiquis conciliis expresse edoctum. Cæterum hoc ipsum minimum in scriptis theologorum, vel etiam

summorum pastorum, haud uno modo lædi et impugnari ostendere quis possit : unum memorare sufficiat Romani Pontificis primatum ex jure divino in septem conciliorum œcumenicorum Actis tam sæpe, tam alte conclamatum.

CAPUT OCTAVUM

DE ECCLESIÆ PROPRIETATIBUS ET NOTIS SECUNDUM DOCTRINAM GRÆCO-RUSSORUM

Prænotamina.

Multas ac varias Ecclesiæ proprietates distinguunt theologi catholici, qui in hac enumeratione haud perfecte inter se conveniunt, nec de iisdem eadem via ac ratione vel ordine disserunt. Postquam Ecclesiam ut societatem *inæqualem* seu *hierarchicam* ab ipso Christo institutam definiverint, sequentes proprietates generatim ponunt, scilicet : visibilitatem, necessitatem, perfectionem seu plenam independentiam, indefectibilitatem, infallibilitatem; quibus addunt quatuor proprietates in symbolo Nicæno-Constantinopolitano notatas, nempe unitatem, sanctitatem, catholicitatem, apostolicitatem. Has quatuor proprietates habent etiam communiter ut *notas* veram Ecclesiam a falsis discriminantes. Haud pauci tamen de his quatuor dupliciter ac separatim agunt easque considerant : 1° ut *proprietates*; 2° *ut notas*; non enim omnia quæ de ratione *proprietatis* sunt vel dicuntur, ad rationem *notæ* pertinere possunt. Cum autem Ecclesia catholica ejusmodi proprietatum vel notarum in symbolo indicatarum expressam ac authenticam definitionem nondum dederit, accidit ut auctores compendiorum tum in definienda unaquaque proprietate, tum præsertim in definienda unaquaque nota, immo in statuendis ipsis conditionibus *notæ ut sic*, haud parum inter se quoad singula discrepent, quamvis in essentialibus consensio deprehendatur [1].

1. Hæc scribimus, postquam sequentes auctores inter alios de notis Ecclesiæ ad invicem contulimus : 1° Franzelin, *De religione et Ecclesia* ed. tertia, Romæ, 1885; 2° G. Van Noort, *Tractatus de Ecclesia Christi*,

Fatendum est autem hujusmodi in singulis differentias necnon implicatas variorum auctorum definitiones, explicationes, distinctiones, efficaciæ *demonstrationis*, quam vocant *catholicam*, non quidem ad Catholicos, sed ad heterodoxos quod attinet, aliquatenus officere; unde quidam recentes huic apologiæ methodo valedicere jam inceperunt, ad certam ac brevem demonstrationis viam a concilio Vaticano propositam confugientes, in qua jam aliquam publicam quatuor notarum in symbolo positarum explicationem detegere licet [1]. Concilium enim hæc habet :

« Ecclesia per seipsam, ob suam nempe admirabilem propagationem (habes hic *catholicitatem loci seu spatii*), eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem (habes hic eximiam saltem quorumdam membrorum sanctitatem et bonorum operum continuum splendorem), ob catholicam unitatem (habes hic unitatem in doctrina et regimine) invictamque stabilitatem (habes hic apostolicitatem, quam vocant *societatis*), magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile [2]. »

Si hæc quatuor ab invicem non sejungas sed per modum unius sumas, ad normam alius documenti publicæ auctoritatis, etsi non definientis [3], quod auctores aliqui oblivioni mandasse videntur, tunc breve, certum et pro omnibus cum infidelibus tum heterodoxis sufficiens veritatis Ecclesiæ criterium habebis, modusque practicus illud proponendi pro personarum vel sectarum varietate detegendus tibi

ed. 3, Amstelodami, 1913; Yves de La Brière, art. *Eglise*, in *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, t. I, col. 1268-1301; M. d'Herbigny, *Theologica de Ecclesia*, ed. 2, Parisiis, 1921; R. Schultes, *De Ecclesia catholica*, Parisiis, 1925; J. V. Bainvel, *De Ecclesia Christi*, Parisiis, 1925; A. de Poulpiquet, *La notion de catholicité*, Parisiis, 1909.

1. Ita Tanquerey in recentioribus suæ *Synopsis theologiæ fundamentalis* editionibus necnon in *Breviore synopsi*.

2. *De fide*, c. 3.

3. Ex *Encyclica S. Officii ad episcopos Angliæ*, 16 sept. 1864 : « Vera Jesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur ac dignoscitur; et quælibet ex hisce notis ita cum aliis cohæret, ut ab iis nequeat sejungi; hinc fit, ut quæ vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicæ successionis prærogativa debeat effulgere. »

tantum remanebit. Cæterum præter hanc communem demonstrationis catholicæ viam, aliæ ad doctrinam et conditionem variarum sectarum acatholicarum accommodatæ inveniri possunt. Quoddam tentamen hujusmodi, quantum ad Græco-Russos, ad calcem hujus capitis adumbrare aggrediemur.

Easdem fere Ecclesiæ proprietates, quas Catholici, recensent Græco-Russi alioque ordine alii de eis sermonem faciunt. Apud recentiores, primas tenent quatuor proprietates in Symbolo positæ; ad quas aliqui omnes fere alias proprietates referunt. Ita Philaretus Drozdov, in *Catechismo majori*, ad catholicitatem refert indefectibilitatem, infallibilitatem et necessitatem; A. Lebedev et alii, post Khomiakovum, infallibilitatem referunt ad sanctitatem. In definiendis autem hujusmodi proprietatibus opinionum varietas ac diversitas maxima apud eos deprehenditur. De notis veræ Ecclesiæ etiam tractatum habent, et circa hoc caput in varias abeunt sententias; ex quibus tamen illa communior est, quam nostri vocant *apostolicitatem doctrinæ*. Non desunt qui nostrorum instar quatuor proprietates in symbolo expressas pro notis sumant; quibus diversas tribuunt significationes. Et sicut nostri Ecclesiam græco-russicam falsitatis arguunt, ita illi contra Ecclesiam catholicam idem tentant.

Porro de quibusdam Ecclesiæ proprietatibus vel dotibus juxta Græco-Russorum doctrinam in præcedentibus capitibus jam tractavimus. Egimus nempe de Ecclesiæ hierarchica constitutione et regimine tum in capite de sacramento Ordinis, tum in capitibus I, V et VI hujus tractatus; de ejus necessitate in capite III; de ejus infallibilitate in cap. VII. De ejus visibilitate in cap. III quædam præmisimus; alia mox subjiciemus. De ejus indefectibilitate in articulo de apostolicitate sermo erit; de independentia vero in capite sequenti, ubi de Ecclesiæ et status mutua habitudine. Restat ut in præsenti capite de quatuor proprietatibus in symbolo positis necnon de notis veræ Ecclesiæ discretivis disseramus. Sex erunt articuli, scilicet :

1º De Ecclesiæ unitate;

2º De Ecclesiæ sanctitate;

3º De Ecclesiæ catholicitate;
4º De Ecclesiæ apostolicitate;
5º De notis veræ Ecclesiæ;
6º De Græco-Russorum argumentis, quibus demonstrare conantur Ecclesiam catholicam non esse veram Christi Ecclesiam.

Per modum adnotationis apologeticæ quamdam demonstrationis catholicæ adumbrationem ad Græco-Russos accommodatam adjiciemus.

ARTICULUS I

De Ecclesiæ unitate secundum doctrinam Græco-Russorum.

Sicut varias Ecclesiæ definitiones, ita et diversos unitatis ejus conceptus apud Græco-Russos invenire est. Quidam enim hanc proprietatem ita definiunt, ut Ecclesiæ universæ, id est omnibus ejus partibus simul sumptis, ergo et Ecclesiæ triumphanti, convenire possit. Alii tum de interna, tum de externa unitate Ecclesiæ militantis loquuntur. Alii demum theologorum catholicorum rationi in explicanda hac proprietate plus minusve accedunt. Harum variarum definitionum aliquot exempla afferamus, de unitate Ecclesiæ græco-russicæ competente postea inquisituri.

I. — De definitionibus omnimodas unitates complectentibus.

Antiqui Byzantini quæstionem de unitate Ecclesiæ vix tetigerunt. Invenimus tamen apud Simeonem Thessalonicensem hanc definitionem :

« In unam (credimus) Ecclesiam, quia idem Deus legis et gratiæ, et quia una facta est angelorum et hominum, super apostolorum et prophetarum fundamento fundata; et quia una fides, unum baptisma et unus Christus, lapis angularis ejus et fundamentum, qui eam congregavit [1]. »

1. *Expositio sacri symboli, P. G.*, t. CLV, col. 769 B.

Eadem fere habet Laurentius Zizanii in *Magno catechismo* : « Ecclesia dicitur *una*, quia super uno Spiritu Christi, una fide fundatur, eadem dogmata ac sacramenta retinet et uno capite Christo dirigitur [1]. »

Item, Theophylactus Gorskii in compendio theologiæ dogmaticæ : « *Unitas*, inquit, requirit unitatem corporis, unitatem capitis, unitatem spiritus, unitatem fidei, unitatem charitatis, unitatem spei. Per se independenter ab apostolicitate non sufficit (ut nota) [2]. »

Philaretus Drozdov, in Catechismo majori, unitatem internam et invisibilem imprimis considerat; docet enim Ecclesiam ideo dici unam « quod unum sit corpus spirituale, quod habeat unum caput, Christum, et uno Spiritu Dei animetur ». Interroganti autem quomodo cum Ecclesiæ unitate congruat quod multæ exstent Ecclesiæ sejunctæ et ab invicem independentes, puta Hierosolymitana, Alexandrina, Antiochena, Russica, ita respondet :

« Ecclesiæ hujusmodi sunt Ecclesiæ particulares seu unius Ecclesiæ universæ partes. Sejunctio visibilis ordinationis earum non impedit quominus spiritaliter sint magna membra unius corporis Ecclesiæ universalis, unumque habeant caput Christum, et unum fidei et gratiæ Spiritum. Hæc unitas visibiliter manifestatur eadem fidei professione et communione in orationibus et sacramentis [3]. »

Deinde Philaretus dicit hanc unitatem se extendere ad Ecclesiam cælestem, quatenus utriusque Ecclesiæ, terrestris nempe et cælestis, unum et idem exstat caput, Christus, et utraque mutua societate conjungitur; unde et hoc loco tractat de cultu et invocatione sanctorum necnon de sanctorum benefica intercessione pro membris Ecclesiæ militantis.

Hunc unitatis conceptum retinet et evolvit Khomiakov, ut supra vidimus [4], in unitate interna et spirituali plus æquo insistens, unitatem externam vix memorans. Eidem adhærent multi theologi russi inter recentiores, qui tamen unitatis

1. Cf. Ilinskii, *Catechismus Laurentii Zizanii*, in *Trudy Academiæ Kioviensis*, 1898, t. II, p. 252.
2. *Op. cit.*, ed. Mosq., 1831, p. 273.
3. *Ad art.* IX *symboli.*
4. Cf. p. 285 sq.

visibilis non obliviscuntur. Ita Malinovskii, qui in suo Compendio dicta Philareti eodem fere ordine explicat. Postquam pronuntiavit unitatem internam esse principalem et essentialem, cujus manifestatio est unitas visibilis, de hac sequentia scribit :

« In Christo tanquam suo invisibili capite uniti, omnes credentes inter se etiam necessario coadunantur, et unam visibilem societatem, unam Ecclesiam efficiunt. Unitas hujusmodi exterius manifestatur consona fidei professione (unum fidei symbolum) seu unitate doctrinæ, unitate divini cultus et sacramentorum (una oratio), unitate hierarchicæ successionis (episcopatus) et ecclesiasticæ ordinationis (unitas canonum ecclesiasticorum). Symbolum, cultus divinus et regulæ ecclesiasticæ : en triplex propugnaculum, quo munitur Ecclesia [1]. »

Intra hoc propugnaculum, inquit, multiplicari possunt particulares Ecclesiæ ab invicem independentes cum propriis ritibus et localibus usibus ad essentiam fidei et ecclesiastici ordinis non pertinentibus, cum propria lingua liturgica : « hoc non impedit quominus credentes omnes suam sentiant unitatem, quia omnes in orationibus et sacramentis inter se communicant; omnes coadunat unitas fidei et capitis; *unitatem servant Spiritus in vinculo pacis* (Eph. IV, 3)... Ecclesia non solum est una, sed est etiam unica. Omnis societas christiana in constitutionem unius Ecclesiæ non veniens non est Ecclesia, sed mera communitas christiana non super petram, quæ est Christus, sed super privati sensus arenam ædificata [2]. »

Eamdem doctrinam invenies apud Alexandrum Lebedev[3], Eugenium Akvilonov [4], Mesoloram [5]. Alii in unitate externa et visibili magis insistunt quam in unitate interna. Ita Macarius, qui dicit Ecclesiam esse unam : 1° ex sua origine

1. *Op. cit.*, t. II, p. 219-220.
2. *Ibid.*, p. 220.
3. *De primatu Papæ*, p. 105 sq.
4. *Tserkov*, Petropoli, 1894, p. 241; cf. p. 105-111.
5. *Op. cit.*, t. II[2], p. 14 : « Ἡ ἑνότης ἐκδηλοῦται ἐν τῇ ἑνότητι τῆς πίστεως, τῆς ἐλπίδος καὶ τῆς ἀγάπης, τῆς λατρείας καὶ τοῦ πολιτεύματος. »

et fundatione : Christus enim unam tantum Ecclesiam ædificare voluit; 2° ex sua structura *externa* et *interna*; ex structura sua *externa*, quatenus credentes dividuntur in pastores et oves, in superiores et inferiores, inter quos fidei, spei et charitatis unitas existat necesse est; ex structura *interna*, quatenus omnes cum uno capite Christo et inter se intime conjunguntur, unumque corpus sunt et unus spiritus; 3° ex suo fine, qui in eo est, ut omnes cum Christo et inter se *sint consummati in unum* [1].

II. — De definitionibus unitatem externam tantum respicientibus.

Græco-Russi non pauci unitatem Ecclesiæ ex eadem ratione ac theologi catholici definiunt. Ita Philaretus Gumilevskii in suo Compendio, qui hujus proprietatis notionem ex testimoniis Scripturæ et Patrum colligit. Ad hanc unitatem requirit : 1° unitatem fidei; 2° eadem sacramenta; 3° unitatem spiritus gratiæ seu fraternæ charitatis et communionis. E contra ad hanc unitatem necessaria non est unitas in ritibus et accidentalibus institutis ordinationis ecclesiasticæ : « Particulares Ecclesiæ non cessant esse partes unius veræ Christi Ecclesiæ, donec unam fidem, eadem sacramenta, unum sinceri amoris spiritum retinent [2]. »

Canonista N. Milasch docet unitatem Ecclesiæ universalis constare : 1° unitate fidei in Ecclesiis particularibus; 2° unitate communionis ecclesiasticæ ad normam canonum; 3° unitate rationis agendi seu operationis secundum directionem et finem a canonibus præstitutum [3]. Excludit autem unitatem numericam supremi regiminis pro singulis Ecclesiis, quod hæc unitas unitati capitis, quod est Christus, adversetur; unde dicit unitatem Ecclesiæ esse unitatem spiritualem, particulares autem Ecclesias jam ab initio fuisse in regimine independentes [4]. Bene autem notat idem auctor unitatem

1. *Dogmatica theologia*, *ed. cit.*, t. II, § 178, p. 235-236. Macario consentiunt multi alii et plures catechismorum auctores, ut Antonius, *op. cit.*, § 275, p. 326; Chamudopulus, Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Athenis, 1893, p. 66.
2. *Op. cit.*, t. II, p. 228-233.
3. *Op. cit.*, § 51, p. 294-295.
4. *Ibid.*, p. 294 : « Ἕνεκα τοῦ ἰδίου αὐτῶν τοπικοῦ ὀργανισμοῦ εἰσιν

communionis postulare, ut decreta legitima cujusque Ecclesiæ particularis ab omnibus aliis rata habeantur et ut valida agnoscantur : ita v. g., qui in una Ecclesia baptismum accepit eo ipso cæterarum Ecclesiarum membrum factus est ; qui vero ab una fuit excommunicatus, ab aliis omnibus rejiciatur oportet [1].

Russus I. Ossinin exigit unitatem fidei, sacramentorum, vitæ socialis et orationis [2]. Græcus Andrutsus unitatem reducit ad duplicem unitatem fidei et *regiminis.* Unitas autem fidei, secundum ipsum, etiam unitatem cultus importat, quatenus cultus fundamentis dogmaticis innititur. Unitatem autem regiminis intelligit de obedientia fidelium hierarchicis pastoribus, non vero de unitate supremæ auctoritatis, cui omnes Ecclesiæ particulares pareant [3]. Expresse vero repudiat unitatem fidei ad *articulos fundamentales* contractam. Juxta C. Baphidem, Ecclesia est una, « quia omnes eam constituentes, per eamdem in Christum fidem uniti, per eadem mysteria sanctificati, sub spiritali pastorum et doctorum ejus regimine perseverantes, unum efficiunt corpus unum habens caput, Christum. Ubi hæc tria unitatis elementa desunt, ibi non est vera Ecclesia [4]. »

Multi demum, præsertim inter catechismorum auctores, solam fidei unitatem memorant. Ita V. Guettée [5], Bernardakis [6], Koidakis [7].

ἀλλήλαις διάφοροι καὶ ἔχουσι τὴν ἰδίαν αὐτῶν αὐτοτελῆ ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν. »

1. *Ibid.*, p. 298.

2. *De proprietatibus essentialibus necnon de generali momento Ecclesiæ Christi*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1862, t. I, p. 522-523.

3. Δογματική, p. 274 : « Εἶνε δὲ ἡ Ἐκκλησία μία, καθόσον εἶνε ἡνωμένη ἐν τῇ πίστει καὶ ἐν τῇ διοικήσει... ἐκδηλουμένη ἐν τῇ ὑποταγῇ τῶν χριστιανῶν ὑπὸ μίαν ἀρχὴν καὶ αὐθεντίαν, τὴν ἱεραρχίαν. »

4. Ὀρθ. χριστ, κατήχησις, ed. 2, Constantinopoli, 1886, p. 78.

5. *Exposition de la doctrine de l'Eglise catholique orthodoxe*, 2e ed., Parisiis, 1884, p. 101 : « Cette Église est une, c'est-à-dire qu'elle ne peut être composée de membres professant des doctrines différentes. »

6. Ἱερὰ κατήχησις, ed. 3, Constantinopoli, 1876, p. 142 : « Εἶνε μία, διότι συναποτελεῖ ἓν σῶμα, τὸ ὁποῖον ἔχει μίαν κεφαλήν, τὸν Χριστόν, καὶ συνέχεται διὰ μιᾶς πίστεως, τῆς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν. »

7. Κατήχησις, p. 63 : « Ἡ μία γνησία πίστις τοῦ Χριστοῦ ἀποτελεῖ τὸ ἑνιαῖον τῆς Ἐκκλησίας αὐτοῦ. »

III. — De theologis docentibus visibilem Ecclesiæ unitatem periisse.

Quotquot docent Ecclesiam græco-russicam ex se solam non esse Ecclesiam universalem, sed partem ejus tantum, eo ipso confitentur visibilem Ecclesiæ unitatem post schisma byzantinum, item rursus, juxta quosdam, post Reformatorum secessionem, periisse. Ex his theologis præcipuos in capite tertio hujus tractatus indicavimus. Secundum illos, error dogmaticus in fide tollit quidem visibilem Ecclesiæ unitatem ; remanet vero unitas invisibilis [1].

IV. — De Ecclesiæ græco-russicæ unitate.

Positis definitionibus unitatis Ecclesiæ a Græco-Russis traditis, haud parum interest inquirere utrum Ecclesia græco-russica revera sit una, et in quonam ejus unitas consistat ; non enim omnia, quæ theologi dissidentes de Ecclesia in genere prædicant, Ecclesia græco-russica de facto possidet.

Primum quidem Ecclesia illa, *nostris diebus*, non est una in regimine externo et visibili, quatenus glomeratione constat multorum Ecclesiarum particularium ab invicem in regimine omnino independentium nulloque *auctoritatis communis permanentis* vinculo inter se colligatarum. Sub hoc respectu, ut supra diximus [2], Ecclesia græco-russica non est una Ecclesia, sed plures Ecclesiæ numero omnino distinctæ. Habent quidem quamdam *unitatem specificam constitutionis ecclesiasticæ* (etsi non perfectam et in singulis discrepantias non paucas arguentem), quatenus in omnibus Ecclesiis autocephalis invenis regimen synodale quantum ad supremam auctoritatem ecclesiasticam, et regimen episcopale in unaquaque diœcesi. Hoc tamen numericam unitatem societatis hujusmodi Ecclesiis non magis tribuit quam diversis Statibus independentibus constitutionis politicæ similitudo vel identitas. Neque Ecclesiarum autocephalarum

1. Cf. Svietlov in *Bogoslovskii Viestnik*, 1905, t. I, p. 703 : « Separatio in fide seu error dogmaticus non est separatio ab ipsa Ecclesia. Præter unitatem fidei visibilem, quæ unitate externæ confessionis exprimitur, potest in Ecclesia esse etiam unitas invisibilis. »

2. Cf. p. 266.

universitas confœderationis nomen jure meretur, deficiente qualibet communi auctoritate cui singulæ in quibusdam, aliquando saltem, subjiciantur. Ponitur sane *speculative* quædam auctoritas communis *transitoria*, scilicet concilium œcumenicum; sed *practice*, juxta sententiam non quidem unanimiter, sed communiter inter Græco-Russos receptam, hujusmodi auctoritas inde ab anno 787, de facto nunquam exstitit.

Diximus unitatem communis auctoritatis inter Ecclesias autocephalas deficere, *nostris diebus*, quia fuit tempus, quo patriarcha Constantinopolitanus cum sua synodo permanenti omnibus Ecclesiis particularibus ex byzantino schismate ortis tanquam suprema auctoritas revera præfuit, ut constat ex iis quæ tum de origine autocephalismi, tum de primatu Constantinopolitanæ sedis primatu supra diximus [1].

Ad unitatem fidei quod attinet, eam in Ecclesia græcorussica per sæculorum decursum constanter permanentem nunquam deprehendes, et nostro quidem ævo minus quam unquam, nisi illam coarctes ad illud minimum, quod constat tum symbolo Nicæno-Constantinopolitano, tum expressis definitionibus septem conciliorum œcumenicorum, quanquam et huic minimo haud unum vulnus in tali vel tali Ecclesia particulari inflictum est, ut, v. g., in Ecclesia russica sæculo XVIII factum est. Hoc enim ex tota nostra expositione doctrinæ Ecclesiæ græco-russicæ colligitur, scilicet quod illa Ecclesia potestatem docendi infallibiliter de facto amisit nullamque veritatis revelatæ novam definitionem edere potuit. Exinde tot tantæque variationes non solum privatorum theologorum, sed etiam patriarcharum et episcoporum in concilium adunatorum; non solum in quæstionibus minoris momenti, sed etiam in rebus communem fidem spectantibus, puta in Confessionibus fidei conscribendis vel approbandis, in conditionibus concilii œcumenici decernendis, in determinando canone Scripturarum et regula fidei, in modo recipiendi heterodoxos, in statuendo valore sacramentorum ab heterodoxis collatorum, etc; non solum circa alia fidei capita, verum etiam *et quidem potissimum*,

1. Cf. p. 270 sq. et p. 425 sq.

circa ipsas illas quæstiones, de quibus Latinos erroris et hæresis arguerunt, v. g., circa processionem Spiritus Sancti, circa azyma, circa formam sacramenti Eucharistiæ, circa purgatorium, circa immaculatam beatæ Mariæ virginis conceptionem, circa ipsum primatum Romani Pontificis.

Eadem Ecclesia a longo jam tempore, id est, ab anno 1872, unitate communionis, caret, ut patet ex hoc quod Ecclesia bulgarica, ex Autocephaliis una, ut schismatica habetur ac tractatur ab Ecclesiis græci idiomatis, dum ab aliis Ecclesiis slavicæ vel rumenicæ dialecti ut soror irreprehensibilis in communionem recipitur. Pluries item, et *eodem modo*, quantum ad quasdem alias Ecclesias particulares, per haud paucos annos communionis unitas disrupta est [1].

Inter Ecclesias autocephalas exstat aliqua unitas canonica valde imperfecta quatenus *theoretice* et *speculative* eosdem fere juris canonici fontes agnoscunt; *in praxi* vero apud omnes in multis violantur ac labefactantur antiqui canones, in quorum locum vigent statuta a potestate civili Ecclesiis imposita.

Sufficienter servatur sola unitas in ritibus seu liturgica, quamvis quædam Ecclesiæ aliquot ritus et festa propria habeant; quod veræ unitati nullatenus officit, nisi ritus sint de re ad dogma pertinente. Sub hoc respectu, adest aliqua discrepantia inter Græcos et Russos quantum ad subjectum sacramenti Euchelaei seu Extremæ Unctionis; item quantum ad ritum et significationem theologicam chrismationis imperatorum.

1. Cf., p. 263. De unitate Ecclesiæ archipresbyter russus Sidonskii W. Palmer adhuc schismati Anglicano addicto hæc dicebat : « Nous n'avons aucun besoin d'examiner la question de l'Église une et visible; nous n'y pensons jamais! Jamais les circonstances ne nous ont forcés d'étudier ce problème par rapport à l'Occident. Notre Église n'a pas l'orgueil du clergé occidental; elle n'a pas acquis sa puissance mondiale et ne s'est pas laissé dégrader ni corrompre. » Cf. S. Tyszkievvicz, *La mission de William Palmer*, in commentario *Etudes*, 5 juillet 1913, p. 57.

ARTICULUS II

De Ecclesiæ sanctitate.

Sanctum in genere dicitur quod est Deo sacrum, conjunctum, conforme, coram eo purum ac mundum. Ecclesia Christi sub multiplici respectu sancta dici potest, scilicet ratione auctoris, ratione finis, ratione mediorum, ratione membrorum, etc. Unde mirum non est apud theologos varios occurrere sanctitatis Ecclesiæ conceptus plus minusve explicatos ac comprehensivos. Theologi catholici generatim distinguunt sanctitatem *realem* seu mediorum, et sanctitatem *moralem* seu membrorum, cui quidam adnectunt sanctitatem *charismatum* seu miraculorum, tum quia miracula sunt signa præsentiæ Spiritus Sancti in Ecclesia, tum quod ordinarie patrantur ab iis qui conspicua sanctitate morali eminent. Ad Græco-Russos vero quod attinet, multi eodem fere modo ac Catholici hanc Ecclesiæ proprietatem definiunt; alii solam membrorum sanctitatem memorant; alii demum de sola sanctitate reali seu mediorum loquuntur, de aliis sanctitatis speciebus vix aliquid habentes. Nos autem, postquam hujus triplicis generis definitionum exempla quædam retulerimus, breviter agemus : 1° de sanctitate mediorum Ecclesiæ græco-russicæ; 2° de sanctitate membrorum ejusdem; 3° de donis miraculosis seu de sanctitate charismatum in eadem Ecclesia.

I. — De definitionibus amplioribus.

Eugenius Bulgaris, in suo Θεολογικῷ[1], docet Ecclesiam esse sanctam : 1° quia sanctum est ejus caput, nempe Christus : « Quemadmodum enim homo vocatur rationalis propter rationem, quæ in eo ducis vices agit, ita et tota Christi Ecclesia dicitur sancta propter sanctitatem capitis sui »; 2° quia sanctus est finis ejus, scilicet veri Dei cultus; 3° quia sancta jubet; 4° ob conspicuam sanctitatem multorum ejus membrorum.

1. *Op. cit.*, p. 53 : « Ἁγία ἅπασα ἡ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία διὰ τὴν ἁγιότητα ἐκείνου, ὅ ἐστιν ἡ κεφαλή... γ' ὅτι ἅγια ἐντέλλεται· δ'. ὅτι καὶ πολλῶν αὐτῆς μελῶν ἡ ἁγιότης διαπρύσιος. »

Bulgaris discipulus, Athanasius Pariensis, brevius eadem fere tradit : Ecclesia sancta dicitur dupliciter : 1° ex divina gratia, seu mediis sanctitatis, ut sunt baptismus, Eucharistia cæteraque sacramenta; 2° ex hominis libero arbitrio gratiæ divinæ cooperante[1].

Juxta I. Ossinin, Ecclesia est sancta : 1° ex suo fundamento, quod est Christus; 2° ex suo fine; 3° ex suis fructibus, scilicet sanctis; 4° quod malo et injustitiæ adversatur[2].

Juxta Malinovskii, Ecclesia habet fundamentum suæ sanctitatis tum in suo capite, Christo, tum in suo invisibili directore, Spiritu Sancto. Est item sancta propter copiam mediorum sanctificationis, quibus ditata est, necnon propter fructus ex fontibus sanctificationis dimanantibus, id est, propter sanctitatem multorum membrorum, qui et heroicæ virtutis exempla reliquerunt, et charismatibus eximiis Spiritus Sancti, puta miraculorum dono, decorati sunt. Idem auctor, ut jam diximus, ad sanctitatem Ecclesiæ refert ejus infallibilitatem : Ecclesia est sancta, pura, immaculata in sua doctrina, id est, infallibilitatis dono gaudet[3].

Andrutsus item notat tum sanctitatem realem, tum sanctitatem moralem seu membrorum, actionum, bonorum operum, quibus facies terræ moraliter immutata est[4].

II. — De auctoribus qui sanctitatem membrorum tantum memorant.

Quidam auctores docent Ecclesiam esse sanctam, quia fideles suos sanctificat; quia habet membra sancta, quanquam et in sinu suo multos complectitur peccatores. Ita Plato Levkhin, qui hæc habet :

« Ecclesia vocatur *sancta* : 1° quoniam omnes genuini fideles per sanguinem Christi sanctificati sunt; 2° quia veri christiani cum divinæ gratiæ cooperatione peccatum relinquere, carnalia desideria mortificare et per piam conversationem Deo se unire student[5]. »

1. *Op. cit.*, p. 37-39.
2. *Art. cit.*, p. 525.
3. *Op. cit.*, p. 221-222.
4. Δογματική, p. 278-279.
5, *Op, cit.*, pars II, § 28, p. 130 131.

Philaretus Gumilevskii ut notam veræ Ecclesiæ habet sanctitatem quorumdam membrorum ejus : « Ecclesia Christi, inquit, nunquam putavit se posse manere absque Dei electis, vel absque magnis donis Redemptoris. In ea semper exstiterunt sancti : martyres, virgines, ascetæ, confessores, justi, beati. E contra, hæretici et schismatici in suis conventibus nunquam ostendere potuerunt neque martyres, neque alios sanctos a Deo glorificatos, neque thaumaturgos, neque prophetas [1].

Nectarius vero Hierosolymitanus conditiones et indicia sanctitatis membrorum Ecclesiæ his verbis definit :

« Tria animadvertuntur veræ in hominibus sanctitatis indicia : primum, orthodoxia inculpabilis; secundum, virtutum omnium recta praxis, in quibus continetur animi dispositio ad subeundam mortem pro fide; tertium demum, divina signorum supernaturalium et miraculorum demonstratio; quorum primum et ad salutem est maxime necessarium; secundum ad sanctitatis discretionem requiritur; tertium vero demonstrationis vim præcipuam habet [2]. »

III. — De auctoribus qui de sanctitate reali seu mediorum tantum loquuntur.

Theologi haud pauci Ecclesiæ sanctitatem ponunt potissimum in mediis sanctificationis; de sanctitate vero membrorum aut omnino tacent, aut nonnisi indirecte loquuntur. Ita Simeon Thessalonicensis : « Ecclesia, inquit, dicitur sancta, utpote a Spiritu sanctificata et Christo unita per baptismum et Confirmationem, per sacerdotium et communionem aliaque mysteria; quæ est absque macula et Christo desponsata [3]. »

Sæculo XVIII, Theophylactus Gorskii hanc doctrinam expressius proponit : « Sanctitas Ecclesiæ tota collocatur in doctrina et professione fidei et morum. Ecclesia dicitur sancta tum intuitu doctrinæ, quam profitetur, tum legum quibus regitur, immo et cultus divini cui addicta est; simul

1. *Op. cit.*, t. II, p. 236.
2. *Op. cit.*, versio lat., p. 304.
3. *Expositio sacri symboli, loc. cit.*, col. 796 B.

vero *tum ob imputatam sanctitatem Christi* [1], *tum ob inhærentem, seu sanctitatis et virtutis studium* [2]. Hinc non venit in censum *sanctitas personarum externa*, quam multi præ se ferre conantur. Annon sæpe hyprocrisis induitur nomine et larva sanctitatis? Annon apud nos etiam sanctitas præcipua consistit in actibus naturalibus, qui naturæ aut viribus aut defectibus possunt non raro a plerisque frequentari, ut sunt continentia a coitu, jejunia rigorosa, corporis afflictationes in victu, vestitu, laboribus, peregrinationibus, longæ genuum flexiones cum gemitibus et suspiriis [3]? »

In *Catechismo* Philareti, Ecclesia dicitur sancta, « quia a Jesu Christo sanctificata est per ejus passionem, ejus doctrinam et orationem necnon per sacramenta [4]. »

Juxta Macarium Bulgakov, Ecclesia est sancta : 1° ex suo principio et fundamento, secundum Apostoli doctrinam (Ephes., II, 19-20) : *Non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum... superædificati super fundamentum apostolorum*, etc.; 2° ex sua structura ac constitutione : ejus caput est Christus, sanctus sanctorum; in ea habitat sanctissimus Spiritus cum suis donis, quibus nos sanctificamur; verbum Dei sanctum et sanctificans nos edocet; sancta et sanctificantia nos sacramenta peragit; suo regimine ad sanctitatem ac pietatem nos ducit; constat membris lavacro aquæ mundatis ac sanctificatis, ex quibus quidam et vita sancti sunt et templum perpetuum exstant Spiritus Sancti; 3° ex suo fine ac sua missione [5]. »

Macario ad verbum fere consentiunt Milasch[6], Bernardakis[7],

1. Memento Theophylactum doctrina lutherana de justificatione fuisse imbutum.
2. Alludit his verbis ad sanctitatem membrorum, sed mere internam in studio virtutis consistentem.
3. *Op. cit.*, ed. Mosq., 1831, p. 175-176.
4. *Loc. cit.*
5. *Op. cit.*, t. II, p. 239-240. Eadem habet quidam Anonymus in articulo : *De sancta Christi Ecclesia*, in *Khristianskoe Tchtenie*, 1846, pars IV, p. 158-159.
6. *Op. cit.*, p. 292, § 50. Addit Milasch Ecclesiam etiam dici sanctam : διότι εἶναι ἀλάθητος : quia est infallibilis.
7. *Op. cit.*, p. 142 : « Ἡ Ἐκκλησία εἶνε ἁγία, διότι ἡγίασθη καὶ ἁγιάζεται διὰ τῆς σωτηρίου διδασκαλίας καὶ διὰ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, διὰ τοῦ βαπτίσματος καὶ τῶν λοιπῶν μυστηρίων. »

Baphides [1], Koidakis [2]. Hic expresse docet sanctitatem Ecclesiæ nullatenus pendere a sanctitate membrorum ejus [3].. Ita etiam Akvilonov [4]. Breviores adhuc ac pauperiores tradunt definitiones quidem alii, ut Laurentius Zizanii [5] et V. Guettée [6].

IV. — De sanctitate mediorum in Ecclesia græco-russica.

Plerosque theologos græco-russos audivimus docentes ad Ecclesiæ Christi sanctitatem pertinere ea omnia, quæ ad sanctificationem animarum conducunt; quæ generali appellatione principiorum vel mediorum sanctitatis nuncupari possunt. Hic quærimus utrum Ecclesia græco-russica hæc sanctitatis media de facto possideat.

Respondendum : 1º Ecclesiam græco-russicam multa retinere sanctitatis principia et media; ex quibus alia sunt divinæ originis vel institutionis, ut sacra Scriptura, septem sacramenta, veritates revelatæ in symbolo fidei vel in definitionibus septem conciliorum œcumenicorum et conciliorum particularium ab his septem approbatorum expressæ; alia sunt originis ecclesiasticæ, puta sacramentalia, cultus sacri varia officia, vita monastica, jejunia, canones antiqui;

2º Eamdem Ecclesiam quibusdam carere mediis sanctificationis maximi momenti, præsertim auctoritate communi suprema ad regendum; magisterio vivo infallibili ad docendum veritates revelatas; independentia in exercitio potestatis spiritualis, quandoquidem omnes fere Autocephaliæ

1. *Op. cit.*, p. 79.
2. *Op. cit.*, p. 63-64.
3. P. 64 : « Ἡ Ἐκκλησία αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν εἶνε ἁγία διὰ τοὺς αὐτοὺς καὶ ἀνωτέρω λόγους, δι'οὓς ἀποβλέπει εἰς τὸν ἐξαγιασμὸν τῶν μελῶν αὐτῆς. »
4. *Op. cit.*, p. 241-243 : « Motus vitæ in Ecclesia, inquit, non est ab imo ad summum, sed a summo ad imum. » Hic auctor, sicut et multi Russi recentiores, præ oculis habet non tantum Ecclesiam militantem, sed Ecclesiam integram et omnino universam.
5. *Op.* et *loc. cit.*, p. 252 : « Ecclesia est sancta, quia sanctificatur ab uno capite, Christo, et cum ea semper manet Spiritus Sanctus. »
6. *Op. cit.*, p. 101-102 : « Elle est sainte, c'est-à-dire qu'elle n'est composée que de ceux qui professent des doctrines dont le caractère est conforme à la sainteté par essence, c'est-à-dire à Dieu. »

potestati civili arcte subjiciuntur, ut in capite sequenti fuse dicetur. Ex defectu auctoritatis communis oritur impotentia ad accommodandam disciplinam ad necessitates temporum vel locorum, ad exstirpandos grassantes abusus, ad reformationem ecclesiasticam identidem promovendam, ad novas pietatis, cultus, vitæ religiosæ formas inducendas. Inde hæc stricta conservatio formarum jam antiquatarum, ad elementum immutabile christianæ religionis nullatenus pertinentium, quæ necessitatibus ac conditionibus recentioris ævi minime respondent; inde illa rigida stabilitas motus vitalis expers, omni progressui viam præcludens, quam in Ecclesia orientali dissidenti deprehendere est [1]. Ex defectu vero magisterii vivi infallibilis, Ecclesia græco-russica illi depositi revelati parti custodiendæ ac fidelibus proponendæ,

1. Ad rem An. Leroy-Beaulieu : « L'Église (russe) est captive de la tradition, prisonnière de l'antiquité. La discipline, les rites, les observances sont, chez elle, presque aussi immuables que le dogme. Ayant mis dans l'immobilité sa force et son orgueil, il lui est malaisé d'abandonner officiellement ce qu'elle a enjoint durant des siècles. La simplicité des plus pieux de ses enfants s'en trouverait offensée; il en pourrait résulter des schismes avec l'étranger ou de nouvelles sectes en Russie. Par ce côté, l'orthodoxie gréco-russe a un manifeste désavantage vis-à-vis du catholicisme latin. Elle n'a point les mêmes ressources que l'Église romaine. Ne possédant pas d'autorité centrale, d'organe vivant pour commander au nom du Christ, elle ne peut, autant que sa grande rivale, s'accommoder aux nécessités des temps ou aux besoins du climat... Sans voix pour parler en son nom ni ressort pour la mouvoir, elle semble vouée au silence aussi bien qu'à l'immobilité. A force de se garder de tout changement, elle a pour ainsi dire perdu la faculté du mouvement. Elle ressemble à ses rigides icones; sa bouche comme la leur est close; ses membres, raidis depuis des siècles ne peuvent se ployer à volonté; ils sont pour ainsi dire ankylosés. » In commentario : *Revue des Deux Mondes*, 15 août 1887, p. 861-862, et in opere : *L'empire du tsar et les Russes*, t. III, Parisiis, 1889, Eadem fere Russus N. A. Muraviev Gulielmo Palmer de Ecclesia russica fatebatur : « Les Latins possèdent une autorité centrale, à laquelle tous doivent obéir. Le Pape peut facilement négocier, expliquer et même faire des concessions. Tout cela est impossible aux Grecs... Ils sont attachés à toutes leurs traditions et jusqu'aux moindres détails de leurs rites. Et si les Russes s'avisaient d'imaginer des distinctions, l'unique conséquence en serait la perte de la communion avec les patriarches d'Orient. » S. Tyszkievvicz, *art. cit.*, *Etudes*, 5 juillet 1913, p. 55.

quam septem concilia œcumenica expressis verbis non definiere, impar omnino arguitur, ut ex omnibus quæ de ejus theologia dogmatica scripsimus, satis superque constat. Inde ille opinionum theologicarum seu, ut dicunt, *theologumenorum*, vastissimus campus, quem inde ab anno 787 nulla nova definitio infallibilis restrinxit ac coarctavit; cui, post Reformatorum Occidentis exortas multiplices hæreses, repagula opponere nequiverunt Confessiones fidei sæculo XVII conscriptæ, quandoquidem earum auctoritatem excusserunt ac labefactarunt tum theologi russi sæculi XVIII, tum plerique theologi recentiores. Quatenus autem singulæ Autocephaliæ Status auctoritati præcellenti mancipantur, clerus haud parum amittit sui moralis influxus in plebem, haud parum suæ libertatis in exserendis, exercendis, vindicandis sacerdotii juribus ac facultatibus, quibus Christus Ecclesiam suam a se fundatam instruxit, ut animarum sanctificationem ac salutem procuraret [1];

3° Eamdem Ecclesiam morum christianorum integritati ac sanctitati gravissimum vulnus inflixisse, praxi divortii viam latam aperiendo per tot causas dissolutionis matrimonii, quas per totam epocham byzantinam admisit et hodie etiam recipit [2]. Nota hanc manifestæ voluntatis Christi transgressionem, qui dixit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, non esse unius Autocephaliæ propriam, sed omnibus communem. Quosdam alios abusus sanctificationi animarum obstantes et per modum instituti permanentis in tali vel tali Ecclesia particulari per longum tempus inolitos, ut fuit, v. g., præscriptio apud Russos de Confessionis sacramentalis secreto in certis casibus revelando [3], memorare supersedemus;

4° Eamdem Ecclesiam in sanctificandos fideles nonnisi imperfecte convertere ea sanctificationis principia ac media, quæ adhuc retinet. Hic defectus præsertim tibi manifestus erit, si Ecclesiam græco-russicam cum Ecclesia catholica

1. Hic recolenda sunt statuta quæ vocant *organica*, singulis Ecclesiis a potestate civili identidem imposita, quibus haud semel nec uno modo Ecclesiæ jura, immo quandoque et ipsa fidei doctrina, læduntur.
2. Has causas in tomo III hujus operis, p. 459-467, enumeravimus.
3. Cf. t. III, p. 368-369.

contuleris. Alludimus præsertim ad verbi Dei prædicationem [1], ad juventutis religiosam instructionem, ad sacramentorum pœnitentiæ et Eucharistiæ frequentationem, ad orationem et pia exercitia tum inter clerum, tum inter populum promovenda.

V. — De sanctis et fructibus sanctitatis in Ecclesia græco-russica manifestatis.

Omnibus notum est antiquam Ecclesiam orientalem eximios protulisse sanctitatis fructus, multos ac præclaros habuisse sanctos, qui omni virtutum genere excelluerunt, Numquid hac fecunditate supernaturali schisma illam spoliavit? Historia a partium studio aliena respondet hanc fecunditatem inde a perfecto schismate sensim decrevisse, quin ex toto cessaverit; eam vero longe inferiorem semper exstitisse supernaturali fecunditate Ecclesiæ catholicæ. Ad hoc per singula ac fuse demonstrandum, volumen integrum necessarium esset. Sufficiat hic quæstionem summatim tangere. Ab omni polemico impetu de industria abstinemus. Super malum, quod semper copiosius occurrit, ubicumque sunt homines, oculos claudimus. Apologiam ex detractione argumenta sumentem longe propulsamus. Bonum tantum inquirimus; bonum tantum consideramus; bonum utrinque existens conferimus.

A. De sanctis virtute conspicuis. — Ad sanctos virtute conspicuos et publico cultu honoratos quod attinet, ut comparatio inter sanctos Ecclesiæ catholicæ et illos quos Ecclesia græco-russica ea appellatione prosequitur, jure fieri possit, quædam prænotanda sunt :

1. De prædicatione verbi divini in Ecclesia russica canonista Suvorov hæc habet, *op. cit.*, p. 322-323; « Dans l'ancienne Russie, la prédication n'était pas répandue. Elle nous vint par Kiev de l'Occident. Pierre le Grand et Catherine II essayèrent de la rendre plus fréquente. Jusqu'à nos jours, dans les Églises paroissiales, et spécialement dans les paroisses rurales, elle a présenté un caractère *occasionnel*, si on la compare à la prédication ecclésiastique en Occident. » Cf. nostrum articulum : *Eglises slaves dissidentes*, in *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, t. IV, col. 1378-1380. Quæ de Ecclesia russica dicuntur, de plerisque aliis Autocephaliis veriora adhuc probantur.

1° Comparatio facienda est inter sanctos qui utrinque post schisma vixerunt, id est, a sæculo XI finiente, vel a sæculo XII ineunte; antea enim unio utriusque Ecclesiæ perseverabat necdum perfecta erat separatio [1];

2° Hujusmodi comparatio respicere tantum debet eam sanctorum græco-russorum classem, quorum cultus aliquo *certo* auctoritatis ecclesiasticæ documento publice vel agnitus, vel introductus est, et sive in tota Ecclesia græco-russica, sive saltem in una Autocephalia *communis* evasit. Hoc dicimus propter nimiam confusionem et obscuritatem, quæ in hagiographia Russorum deprehenditur. Apud eos enim multi a populo honorantur ut sancti, quorum cultus ab Ecclesia nunquam probatus est [2]; item multi ab Ecclesia in album sanctorum relati sunt, quorum cultus vel ad certum locum restringitur [3], vel inter fideles nullus est [4], vel nullo documento comprobatur [5]. Apud Græcos etiam haud pauci coluntur ex privato quorumdam incepto, qui in eorum honorem aliquod officium seu ἀκολουθίαν composuere, absque ullo auctoritatis ecclesiasticæ publico interventu;

3° Gravissima exstat differentia inter servos Dei ab Ecclesia catholica inde a sæculo XII canonizatos et eos, quos Græco-Russi sanctitatis aureola decorarunt. In canonizandis

1. Huic regulæ non stat Nectarius Hierosolymitanus in suo opere : Περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα, *ed. cit.*, p. 319-323, ubi plures enumerat Ecclesiæ byzantinæ sanctos, qui a sæculo IX ad sæculum XI fuere, ut ostendat Ecclesiam græco-russicam sanctitatis notam non amisisse contra Petrum Franciscanum.

2. Cf. opus E. Golubinskii, *Istoriia kanonizatsii sviatykh v russkom tserkvi* (*Historia canonizationis in Ecclesia græco-russica*), Mosquæ, 1903. Golubinskii, p. 313-345, numerat 359 pios defunctos a populo revera honoratos, ex quibus plerique non fuerunt ab Ecclesia canonizati. In catalogo autem ab archimandrita Leonida confecto : *Sviataia Russ*, Petropoli, 1891, 795 nomina invenimus, ex quibus circa 300 dantur ut non canonizati.

3. Plerique sancti russi cultum tantum localem habent.

4. Golubinskii, *op. cit.*, p. 345-370, recenset 337 sanctos qui nullo cultu honorantur, quamvis in album sanctorum relati fuerint. Inter eos invenimus patriarcham Hermogenem († 1612), qui anno 1913 solenniter canonizatus est.

5. Golubinskii, *ibid.*, p. 139-159, nomina tradit nonaginta sanctorum, quorum nullus certo tempori assignari potest.

enim vel beatificandis Dei servis, Ecclesia catholica ad heroicitatem virtutum potissimum attendit, de qua rigorosum examen instituitur; sequitur et accurata investigatio miraculorum ad servi Dei jam defuncti invocationem patratorum. Haud ita implicata ac severa canonizatio Græcorum et Russorum. Græci canonizant per simplex decretum, quo servi Dei cultus vel jam existens permittitur ac probatur, vel primum inauguratur, et hoc, plerumque, *non semper*, propter miraculorum famam [1]. Vitæ sanctitas in genere memoratur. Eadem brevi via sancti russi fere omnes cultum publicum adepti sunt [2]. Excipiendi tantum sunt illi octo, quos Synodus Dirigens intra annos 1721-1914 canonizavit juxta novam formam, quæ paucis sic describi potest : 1° Fit prævia investigatio non quidem de heroicitate virtutum, sed de miraculis canonizandi ad ejus tumulum patratis, ex quibus maxime attenditur cadaveris incorruptio [3]; 2° Imperiali decreto cultus servi Dei ejusque annua festivitas præscribuntur; 3° Ante ritum solemnem canonizationis, per tres dies continuos, multæ celebrantur *panichides* seu missæ defunctorum pro requie animæ famuli Dei necnon ani-

1. De canonizatione sanctorum apud Græcos tractat Golubinskii, *op. cit.*, p. 12-30. Decretorum aliquot canonizationis textum refert in appendice, p. 382-407. In decreto canonizationis Marci Ephesii a synodo Constantinopolitana anni 1734, cui præfuit Seraphinus I patriarcha, promulgato, nulla mentio occurrit miraculorum. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 995-1006.

2. Cf. Golubinskii, *op. cit.*, p. 40-169; J. Bois, art. *Canonisation dans l'Eglise russe*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. II, col. 1665-1672; P. Peters, *La canonisation des saints dans l'Eglise russe*, in commentario *Analecta bollandiana*, t. XXXIII, 1914, p. 380-420.

3. Golubinskii, *op. cit.*, p. 301-302, opinatur cadaveris incorruptionem non necessario requiri ad canonizationem. Hanc sententiam primum damnavit Synodus Dirigens, postea vero approbavit, nempe postquam Nicolai II imperatoris jussu, diu reluctante Synodo, anno 1903, Seraphinus Saroviensis solemniter canonizatus est, quamvis ejus corpus inventum fuerit corruptione dissolutum. Hoc tamen Russis scandalo fuit. Starovieri, antiquorum Russorum instar, cadaveris incorruptionem ut necessarium sanctitatis indicium habent; quod ad canonizationem omnino requirunt; cf. A. Palmieri, *La Chiesa russa*, Florentiæ, 1908, p. 593-594; *La canonisation des saints dans l'Eglise russe. Note complémentaire*, in *Analectis bollandianis*, t. XXXVII, 1920, p. 172-176, ubi agitur de canonizatione Seraphini Saroviensis.

marum eorum omnium qui cum canonizando, dum in terris degeret, commercium vel societatem habuere; quod sane satis mirum est; 4º Sequitur canonizatio proprie dicta seu solemne officium ad honorem servi Dei, intra quod ejus reliquiæ transferuntur, deteguntur et fidelium venerationi exponuntur.

His notatis, si de numero et qualitate sanctorum græco-russorum inquiramus, hæc invenimus :

1º Græci paucos tantum publico decreto in album sanctorum retulerunt. Sex sólummodo canonizationis decreta detegimus, respicientia Gregorium Palamam (Philothei, in synodo Constantinopolitana, anno 1368) [1]; Marcum Ephesium (Seraphini I, anno 1734 : cultus permittitur) [2]; Gerasimum, monachum Cephalleniæ, anno 1579 mortuum (Cyrilli Lucaris, anno 1622 [3]); nonaginta novem Patres Cretenses, qui vixisse dicuntur — hoc bene nota — sæculo XI (Cyrilli Lucaris, anno 1632 [4]); Dionysum archiepiscopum Æginensem, anno 1624 mortuum (Gabrielis III, anno 1703)[5]; Gregorium V, patriarcham Constantinopolitanum, a Turcis ob motiva politica anno 1821 strangulatum (Synodi Atheniensis, anno 1921) [6]. Si illis addas circa quinquaginta alios, (monachos, episcopos, virgines [7]), quorum plerique populi veneratione canonizati sunt, et in quorum honorem aliqua

1. *P. G.*, t. CLI, col. 711-712.

2. Mansi-Petit, *loc. cit.*

3. Golubinskii, *op. cit.*, p. 387-388 et in editionibus ejus ἀκολουθίας ; cf. L. Petit, *Bibliographie des acolouthies grecques*, Bruxelles, 1926, p. 92-98.

4. G. Golubinskii, p. 390-392, et in editionibus ejus ἀκολουθίας, L. Petit, p. 231.

5. Golubinskii, p. 397-400, et in editionibus ejus ἀκολουθίας, L. Petit, p. 63-69.

6. *Echos d'Orient*, t. XXI, 1922, p. 235-236. De miraculis nulla mentio fit in decreto. Gregorius est patrius heros.

7. In catalogo τῶν ἀκολουθιῶν a L. Petit confecto, quinque tantum invenimus virgines aut pias mulieres, quarum duæ notantur ut martyres: Argyra, virgo martyr († 1721), Theodora imperatrix (XIII s.), Matrona Chiensis, thaumaturga († 1462), Marcella Chiensis, martyr (circa 1500), Philothea, virgo Atheniensis († 1589). Apud Russos item, Golubinskii non invenit nisi quinque sanctas, inter quas prima est sancta Olga; de tribus vix aliquid scitur.

ἀκολουθία composita est festumque in certis locis celebratur, totum fere habebis elenchum novorum sanctorum patriarchatus Constantinopolitani, prout hic ante annum 1800 exstabat.

Habuerunt præterea Græci quosdam christianæ religionis martyres apud Turcos infideles, quorum catalogus uberior centum viginti septem nomina præfert [1]. Eorum *bona pars* — quidam dicunt : *maxima* pars [2] — religionem Mahumeti primum amplexi fuerant, ita ut suam a fide christiana apostasiam martyrio compensarint, et quidem plerumque in loco ubi scandalum dederant [3]. Haud dubium est quin plerique mortem cum tormentis subierint, ne Christum negarent; de quibusdam tamen ratio martyrii ambigua esse potest, de iis præsertim sat multis qui a Turcis occisi sunt, initio sæculi XIX, durante bello de independentia hellenica dicto [4]. Ad classem tenuium et plebeiorum omnes fere pertinent. Cæterum, paucis casibus exceptis, de eorum martyrio nulla

1. Hunc catalogum cum brevi narratione cujusque martyris confecit Chrysostomus Papadopulus, metropolita Atheniensis, Οἱ νεομάρτυρες, Athenis, 1922, 65 p. Dissertatio primum edita est in commentario : Πανελλήνιον λεύκωμα ἐθνικῆς ἑκατονταετηρίδος 1821-1921, t. VI, 1922, p. 197-200. De neomartyribus vide etiam Νέον Λειμονάριον Macarii Notaræ, Hermupoli, 1855 (de aliis editionibus, cf. L. Petit, *op. cit.*, p. XXVIII-XXIX); Νέον μαρτυρολόγιον Nicodemi Haghioritæ, Venetiis, 1799 (cf. L. Petit, p. XXX-XXXI); H. Delehaye, *Greek Neo-martyrs*, in commentario *The constructive Quarterly*, t. IX, 1921, p. 701-712. De vita et martyrio quorumdam neomartyrum vide *Echos d'Orient*, t. VIII, p. 350; t. IX, p. 149, 288, 363; t. X, p. 151; t. XIV, 1911, p. 288; t. XVI, 1913, p. 396, 517.

2. Ita L. Petit, *op. cit.*, p. XIV : « A de très rares exceptions près, le martyre de ces nouveaux saints se présente comme la rançon d'une apostasie antérieure. Il s'agit le plus souvent de réparer un scandale donné dans un moment de faiblesse ou par inadvertance, et voilà pourquoi la réparation s'effectue autant que possible sur les lieux mêmes où la faute a été commise. » Cf. Golubinskii, *op. cit.*, p. 27, n. 1. Notum est musulmanum apostatam, secundum legem Corani, morte puniri.

3. Plerumque apostatæ, remorsu conscientiæ impulsi, ad montem Atho confugiebant, et post quoddam temporis intervallum eo pergebant, mortem subituri, quo scandalum dederant. Ita C. Papadopulus, *op. cit.*, p. 6-7.

4. Inter martyres politicos venit Gregorius V patriarcha, anno 1921, die 21 aprilis a synodo Atheniensi canonizatus.

accurata disquisitio facta est. Multi in sua patria cultu locali honorantur propriamque ἀκολουθίαν habent, quin ullum publicum decretum auctoritatis ecclesiasticæ hunc cultum approbantis præcesserit [1]. Dicere supervacuum est horum νεομαρτύρων testimonium in gloriam gratiæ Christi et religionis christianæ in genere cedere, non vero in approbationem Ecclesiæ græco-russicæ, quatenus a catholica Ecclesia separatur ac distinguitur, attenta præsertim eorum sociali conditione ac circa veritatem Ecclesiæ bona fide, de qua nulla exstare videtur dubitandi ratio; si qua vero ex eorum certamine gloria in Ecclesiam græco-russicam oculis hominum redundet, hæc haud parum obscuratur ex eo quod multi, ut diximus, pristinam apostasiam martyrio deleverunt.

De cæterorum sanctorum græcorum præter martyres qualitate in ordine virtutis heroicæ, judicium quis ferre potest, cognitis eorum nominibus et conditione. Plerique monachi fuere et vitæ suæ austeritate ac probitate fidelium venerationem sibi conciliarunt. Occurrunt decem circiter episcopi, ex quibus notiores sunt : Gregorius Palamas, Marcus Ephesius, Bessarion Larissensis, Dionysius Aeginensis; adsunt et aliqui imperatores : Joannes Vatatzes († 1254), Manuel Palæologus († 1425), Theodora imperatrix sæc. XIII [2].

2° Russi paucos numerant martyres, sanctos vero, multos. Horum et illorum vita, si recentiores excipias, magnis tenebris plerumque involvitur. Item martyrium et sanctitas quorumdam falso vel valde suspecto nituntur fundamento; siquidem inter martyres computarunt quosdam ob hoc solum quod mortem violentam oppetierunt [3]. Alii aureolam

1. A canonizandis hujusmodi martyribus patriarcha Constantinopolitanus abstinuit propter metum Turcarum. Indirecta quandoque exstitit Ecclesiæ approbatio, quatenus ἀκολουθίαι in honorem martyrum compositæ ab Ordinario loci probabantur. Circa quinquaginta ἀκολουθίας in honorem neomartyrum recenset, L. Petit, *op. cit.*

2. Cf. L. Petit, *op. cit.*; Golubinskii, p. 380.

3. Cf. Tchiie, *Psychologia sanctorum nostrorum* (russice), in commentario *Voprosy*, fasc. IV, p. 283 sq.; A. Palmieri, *La psicologia dei santi russi*, in *Bassarione*, series III, t. II, 1907, p. 234-251. Ad hanc classem pertinent duo primi sancti kalendarii russici, Boris et Glieb, a suo fratre Sviatopolk anno 1015 occisi, Michael Tverensis, princeps Georgius Vsevolodovitch a Tartaris trucidatus († 1238), princeps Demetrius, Ivani IV Terribilis filius, a sua septima sponsa occisus (1591).

sanctitatis ab Ecclesia vel a populo acceperunt, quod de Ecclesia et patria ob præclara quædam facta, per virtutem militarem, per prudentiam politicam, per scientiam, etc., bene meruerunt [1]; alii vero in sanctorum album relati sunt, quod infelices fuere et magnos dolores perpessi [2].

Considerationem potissimum merentur, ad virtutem heroicam quod attinet, eremitæ et ascetæ, qui corporali mortificatione potissimum emicuerunt, in facinoribus abnormibus asceseos perficiendis ascetis orientalibus primorum sæculorum nihil inferiores. Quidam eorum *Iurodivi*, id est *stulti* seu *stupidi*, vulgo audiunt. Extra dubium est ascetas russos non paucos præclara virtutum christianarum exempla dedisse, præsertim castitatis, mortificationis, humilitatis, mansuetudinis, fraternæ charitatis. Quidam ut conscientiæ directores magnam famam sibi compararunt optimumque influxum moralem in populos circumstantes habuerunt [3].

De numero sanctorum russorum quorum cultus *certo* ac *publico* auctoritatis ecclesiasticæ decreto recognitus, approbatus vel introductus est, ex E. Golubinskii hæc habemus : *a*) a conversione Russiæ ad synodum Mosquensem anni 1549 inclusive : 61 sancti [4]; *b*) ab anno 1549 ad annum 1721 : 56 sancti [5]; *c*) ab anno 1721 ad annum 1914 : 24 sancti, quorum octo tantum quamdam speciem publicæ canonizationis, inquisitione facta de miraculis ad eorum tumulum patratis, cultus honores obtinuerunt [6].

1. Ita princeps Alexander Nevskii († 1263), patrius heros; patriarcha Hermogenes († 1612).

2. Artemius Verkolskii, annos tredecim natus, fulmine percussus in campo interiit († 1545). Anno 1640, canonizatus est ad cultum localem ex quorumdam miraculorum fama ad ejus sepulchrum patrata. Golubinskii, p. 128. Dicunt Martinum coquum (XII s.) propter herniam, qua laborabat, inter sanctos fuisse relatum; cf. Tchiie, *loc. cit.*, p. 294; Palmieri, p. 240.

3. Cf. A. Palmieri, *art. cit.*, p. 242-251.

4. *Op. cit.*, p. 109.

5. *Ibid.*, p. 109-137. Nonaginta aliorum sanctorum hujus periodi canonizatio incerta remanet.

6. *Ibid.*, p. 170-301. Nota motiva politica in canonizatione sanctorum russorum haud semel deprehendi. Talia motiva deprehenduntur

B. De aliis sanctitatis visibilibus indiciis. — Sanctitas Ecclesiæ non solum manifestatur per conspicuam virtutem quorumdam suorum membrorum, sed etiam per copiam bonorum operum in commune et quasi *socialiter* factorum sive ab omnibus fidelibus in genere, sive a membrorum speciali classe, puta clericorum, religiosorum, missionariorum. Sub hoc respectu, Ecclesiæ catholicæ excellentia præ aliis cœtibus christianis in genere, et præ Ecclesia græco-russica in specie, omnium oculis luculente apparet, nec a dissidentibus, si quosdam polemistas excipias, negatur vel in dubium vocatur. Si, v. g., clerum catholicum cum clero græco-russico sub aspectu sanctitatis conferas, negare non poteris cælibatum, ad quem clericorum catholicorum maxima pars adstringitur, severiorem vitæ rationem importare; exinde etiam promanare majorem aptitudinem ad officia sacerdotii adimplenda, majorem zelum in salute animarum procuranda, majorem influxum spiritualem in populum fidelem. Si vero religiosos religiosis utrinque opponas tum quoad numerum et indolem membrorum [1], tum quoad consiliorum evangelicorum perfectiorem exercitationem [2], tum quoad sanctitatis visibiles fructus [3], monachismum græco-russicum in gradu

in decretis synodorum Mosquensium sub Ivano IV (1547 et 1549), in canonizatione Seraphini Saroviensis ; cf. *Analecta bollandiana*, 1920, *art. cit.* In concilio Mosquensi anni 1917, minitante jam persecutione sovietica, duos novos sanctos festinanter canonizarunt, Sophronium scilicet Irkutskiensem et Josephum Astrakhanensem; cf. *Documentation catholique*, n. 293, col. 1514.

1. Anno 1911, monachi et moniales omnium Autocephaliarum erant circa 90.000. Sola Russia habebat 80.000 monachos vel moniales, quorum tamen major pars professionem non emiserant, et circa 20.000 non vitam communem sed, ut dicunt, *idiorrythmam* ducebant. In monte Atho degebant 7.000 religiosi, professi vel novitii, in viginti monasteria distributi, ex quibus novem formam idiorrythmam sequebantur. In aliis Autocephaliis pauci tantum erant religiosi vel religiosæ, quorum numerus inde a magno bello multum decrevit. Aditus monasterii generatim omni venienti patet, nec adest prudens delectus, ut fit in institutis catholicis.

2. Forma quam vocant *idiorrythmam* de facto tollit votum paupertatis omnesque peculii abusus admittit; cf. A. Palmieri, *La Chiesa russa*, p. 115.

3. Monachi græco-russi hodie ubique male audiunt apud ipsos dissidentes. De monachis russis vide propositum reformationis monasteriorum Niconis, Vologdæ episcopi, quod legit ipse in congressu monastico anni 1909, in *Echos d'Orient*, t. xiii, 1910, p. 239 sq., ubi gravissimi abusus notabantur.

multo inferiori exstare deprehendes; quem a multo jam tempore, et nostris præsertim diebus, ad ruinam declinare dissidentes ipsi libenter fatentur. Missionibus autem catholicis apud gentes infideles quod conferre possint, Græco-Russi, nihil *fere* [1] unquam habuerunt, inde a peracta Ecclesiarum separatione. Comparatio demum instituenda esset quantum ad opera beneficientiæ spiritualis et corporalis, quorum utraque Ecclesia auctrix est ac patrona [2].

VI. — De sanctitate charismatum seu de miraculis in Ecclesia græco-russica.

Ad Ecclesiæ sanctitatem communiter referunt theologi charisma miraculorum, quo Christus Ecclesiam suam tanquam dono permanenti insigniri voluit, secundum illud : *Signa eos qui crediderint hæc sequentur*, etc. (Marc., xvi, 17). Unde catholici auctores tum in demonstratione catholica, tum in propulsandis impetibus polemistarum orientalium, Ecclesiæ græco-russicæ falsitatem ex hoc arguunt, quod hæc miraculorum charismate careat, nec post schisma in ea amplius monstretur Spiritus Sancti præsentia per verorum miraculorum operationem. Ad hæc quidam polemistæ dissidentes responderunt enumerando longam seriem portentorum in sua Ecclesia post schisma effectorum sive a

1. Soli Russi, ante bellum, quasdam missiones *exteras* habuerunt. In Sinensi imperio missionem fundaverant inde ab anno 1714, quæ anno 1912, 4.000 fideles vix numerabat. Fecundior fuit missio apud Japonenses, quæ ab anno 1858 ad annum 1912 collegit 33.000 fideles. De missione Alaskiensi, in America septentrionali, non loquimur, quandoquidem plerique fideles ex variis Europæ regionibus migraverant. Ad missionem autem *internam*, id est, intra imperii russici fines constitutam, quod attinet, de ejus successu quædam infra dicimus.

2. Multiplicibus operibus et institutis beneficientiæ, quibus modeste, absque ulla proprii commodi inquisitione et frequenter heroice incumbunt tot religiosi ac religiosæ catholici aliquid simile vix invenies apud Græco-Russos, quanquam haud desunt, præsertim apud Græcos, instituta benefica ab *evergetis* seu benefactoribus divitibus gentis fundata; cf. E. Montmasson, *Les Œuvres de bienfaisance grecques de Constantinople*, in *Echos d'Orient*, t. xii, 1909, p. 35-43.

Deo immediate, sive ad invocationem beatæ Mariæ Virginis et sanctorum, tum eorum qui ante schisma vixerunt, tum eorum qui post separationem fuerunt et ab Ecclesia græco-russica canonizati sunt. Ita præsertim Nectarius Hierosolymitanus in suo opere : Περὶ τῆς ἀρχῆς του πάπα, et Eugenius Bulgaris in *Epistola ad Petrum Le Clerc*[1].

Nectarius provocat : 1° ad miracula circa corpora quorumdam sanctorum post eorum mortem patrata, scilicet quod incorruptæ eorum reliquiæ inventæ fuerint, vel bene oleant et quoddam μύρον seu manna miraculosum jugiter emittant; 2° ad miracula ad sepulcrum quorumdam νεοαγίων, vel eorum nomine invocato facta; inter alia memorat ea, quæ Gregorio Palamæ tribuuntur[2]; 3° narrat Joachimum, patriarcham Alexandrinum (circa annum 1620), ad demonstrandam veritatem Evangelii contra calumniantes Judaeos, poculum mortifero veneno immixtum impune bibisse venenumque, quod prius cruce signaverat, ex ejus latere dimanasse; 4° refert quemdam monachum in clibanum ardentem ingressum fuisse, postquam se crucis signo obsignaverat, ad panes e flamma eripiendos, et illæsum cum panibus exiisse; 5° ut miraculosam notat incorruptionem panis eucharistici pro moribondis asservati per integrum annum durantem[3]; item duo miracula eucharistica narrat, quæ in Creta insula facta sunt; 6° asserit aquam Epiphaniæ die precibus Ecclesiæ sanctificatam (= ὁ μέγας ἁγιασμός) permanere incorruptam, farinæ fermenti vim tribuere, infirmis et a diabolo vexatis prodesse; 7° canonicæ excommunicationis hunc

1. Ἐπιστολὴ Εὐγενίου τοῦ Βουλγάρεως πρὸς Πέτρον τὸν Κλαίρκιον περὶ τῶν μετὰ τὸ σχίσμα ἁγίων τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας καὶ τῶν γινομένων ἐν αὐτῇ θαυμάτων, Athenis, 1844, 115 p.

2. Unum miraculum in specie refert Nectarius, p. 323 : Latini prope unam e Cycladibus navigantes, die festo Palamæ, naufragium fecerunt, eo quod dixerant : « Si sanctus est Palamas, nos demergat ille. » De natura et veritate miraculi lector judicet. De aliis Palamæ miraculis loquimur infra, p. 562, n. 2.

3. Notum est Græcos, feria quinta in Cœna Domini, panem consecratum, sacro sanguine prius intinctum, pro moribundis asservandum in patena supposito igne desiccare; unde mirum non est eum absque speciali miraculo per intregrum annum conservari posse, præsertim in regionibus Orientis, ubi aer siccior.

effectum esse, ut excommunicati cadaver « in sepulchro indissolubile permaneat, non quidem, ut sanctis contingit, incorruptum et dormienti simile, verum turpe ac fœtidum atque in tympani modum tumefactum (τυμπανιαῖον) ; » adhibita autem sacerdotum precatione, cadaver solvi et brevi in pulverem abire[1]; 8° memorat miraculum ad sepulchrum Domini quotannis, Sabbato Sancto, ad cæremoniam Græcorum vespertinam patratum : lumen scilicet e sepulchro sponte emicare et appositos cereos accendere, vel etiam cereos sponte accendi[2]; 9° provocat tandem ad efficaciam impositionis manuum sacerdotum ad sanitatem ægris restituendam; exorcismorum ad dæmones propulsandos; publicarum deprecationum ad pluviam obtinendam, ad calamitates arcendas; ad sanitates miraculosas, quæ in quibusdam sanctuariis fiunt.

Nectarii narratis quædam alia addit Eugenius Bulgaris. Loquitur primum in genere de beneficiis miraculosis, quæ beata virgo Maria fidelibus in sacris ædibus sibi dicatis, vel coram suis iconibus deprecantibus, concedere solet, v. g., in sanctuario Constantinopolitani *Vivifici Fontis* (ἡ Ζωοδόχος Πηγή). Deinde tredecim miracula in specie narrat, quorum duo a Nectario mutuantur, alia Deigenitrici, sanctis Spiridoni, Demetrio Thessalonicenci et Quadraginta martyribus tribuuntur. Unum patrat Theophanes, patriarcha Hierosolymitanus et asceta celebris, qui anno 1658, Sinope, incendium

1. De hac Græcorum fide seu superstitione vide Allatium, *De Græcorum hodie quorumdam opinationibus*, Coloniæ Agrippinæ, 1645, p. XIV-XVIII, 149-158; item Christophorum Angelum, *Enchiridium de statu hodiernorum Græcorum*, c. XXV; cf. etiam t. III hujus operis, p. 388-389. In excommunicationis formulis excommunicatis imprecari solent ne eorum corpora dissolvantur, sed in modum tympani tumescant.

2. De hoc portento hic disserendi locus non est, quod quidam latini scriptores inde jam a sæculo X memorant. Utrum prodigium hujusmodi olim revera contigerit, alii quærant. Unum hodie norunt qui Hierosolymis degunt vel degerunt, nempe *miraculum Sabbati Sancti*, prout nunc quotannis fit intra Græcorum cæremoniam, naturæ vires nullo pacto prætergredi, fatentibus quandoque ipsis auctoribus. A W. Palmer de hoc miraculo interrogatus, Philaretus Drozdov a sententia certa ac firma abstinuit; cf. W. Palmer, *Notes of a visit to the Russian Church*, 1840-1841, ed. Newman, Londini, 1882, c. CXXIII, p. 528.

ad certum locum stetit, aquam in ignem immittendo. Aliud nonnisi pro ridicula fabula haberi potest [1].

Contendunt etiam Russi haud pauca miracula in sua Ecclesia facta esse ac continuo fieri. In suo opere : *Apologia fidei ad Lutheranos*, Theophanes Procopovitch repetit ea quæ habet Nectarius de effectu excommunicationis in cadavera excommunicatorum; ex quo concludit « in Ecclesia græco-russica esse divinam illam ligandi et solvendi potestatem, quæ non potest esse nisi in vera et orthodoxa Ecclesia, adeoque id comprobare miraculo est veritatem religionis ostendere cæcis et obstinatis sectariis vel ad salutem, vel ad majorem condemnationem [2]. » Eidem debetur opusculum inscriptum : *Apologia sacrarum reliquiarum patrum nostrorum qui post suum obitum in cryptis nostris Kioviensibus quieverunt, quod scilicet hæ divina supernaturali virtute dotem integritatis sortitæ, incorruptæ servantur, non vero naturaliter vel arte quadam, ut hostes Ecclesiæ orthodoxiæ orientalis, imprimis Romanenses, calumniantur, humana a putredine defensæ, integræ permanent* [3], in quo eorum argumentis respondet, qui tenent hanc integritatem nihil divini in se habere, sed mere naturalem esse. Dicit etiam in cryptis Kioviensibus quædam sanctorum anonymorum calvaria esse, quæ « perpetuo distillent oleum quoddam multis ac diversis morbis salubre »; quod confirmat exemplo τοῦ μύρου e reliquiis sancti Nicolai et sancti Demetrii Thessalonicensis dimanantis [4].

1. Facti summa hæc est : Die festo sancti Eliæ prophetæ secundum calendarium Græcorum, mulier græca Hierosolymitana suam vicinam, Latinam-Catholicam, monet ne massam fermentet, quod sit festum Magni Eliæ. Latina respondet festivitatem sancti jam præteritam esse ex diebus decem, fermentumque in massam immittit; sed, o rem miram! Latinæ fermentum in lapidem mutatum est, signum sane haud dubium veritatis religionis græcæ præ latina! *Op. cit.*, p. 40-41.

2. *Miscellanea sacra*, Vratislaviæ, 1745, p. 59.

3. *Ibid.*, p. 67-122. Quidam Catholici uniti hanc corporum Patrum Kioviensium incorruptionem miraculosam habuerunt, sed dixerunt hos Patres ante schisma vixisse. Alii dicunt catacumbas Kiovienses virtutem præservandi corpora a corruptione natura habere, quæ et aliis locis inest; cf. Pinkerston, *Russia*, p. 218-219.

4. Veritatem prodigii alibi evertit ipse Theophanes. Narrat enim se audivisse, dum Kioviæ moraretur, quemdam monachum dicentem *calvaria sanctorum sicca esse, quod monasterii œconomus pecuniam ad emendum oleum non dedisset.*; cf. P. Morozov, *Theophanes Procopovitch ut scriptor* (russice), Petropoli, 1880, p. 149 in nota, et *Tchteniia Societatis historiæ et antiquitatum apud Universitatem Mosquensem*, 1862, fasc. I, pars II, p. 26.

Ad incorruptionem cadaveris potissimum attenderunt Russi in suis sanctis canonizandis; secundario autem et ad sanationes per servi Dei invocationem impetratas, quæ semper multæ in publicis relationibus notantur. Ita pro canonizatione patriarchæ Hermogenis († 1612), quæ 12 maii 1913 habita est, sanationes plus quam 300 relatæ sunt [1]; pro canonizatione Joasaphi Gorlenko († 1754), anno 1911 celebrata, 227 sanationes [2]; pro canonizatione Metrophanis Voronegensis († 1703), anno 1832 habita, 31 sanationes [3]. Iidem sæpe loquuntur de variis gratiis ac beneficiis miraculosis a Deo fidelibus concessis per invocationem Deigenitricis et sanctorum antiquorum, qui ante schisma fuerunt. Habuerunt etiam identidem quosdam thaumaturgos viventes, inter quos recenter famosus exstitit Joannes Kronstadiensis († 1908).

Quid de hoc toto elemento miraculoso ac portentoso historice ac theologice judicandum?

1° Primum quidem haud pauca ex iis quæ ab apologetis vel polemistis dissidentibus afferuntur, inter fabulas,superstitiones vel pias, seu potius impias fraudes deputanda sunt, ut, v. g., ea quæ narrantur de effectu excommunicationis in cadavera excommunicatorum; de lumine sacro quotannis Sabbato Sancto e sepulchro Domini intra Græcorum officium mirabiliter emicante[4], de plerisque, (si non de omnibus) reliquiis suave olentibus vel *manna* destillantibus (μυροβλύτοις) [5].

1. Cf. commentarium *Tserkovnyi Viestnik*, 1913, n. 15-16, col. 468.

2. Cf. *Tserkovnyia Yiedomosti*, 1911, n. 37, et *Trudy Academiæ Kioviensis*, 1910, t. III, p. 696-697.

3. Cf. W. Palmer, *op. cit.*, c. XVIII, p. 91-95.

4. Cf. supra, p. 557, n. 2.

5. Cf. ea quæ habet Theophilus Papaphilus, Ταμεῖον ὀρθοδοξίας, p. 27-28, de μύρῳ e reliquiis sancti Demetrii manante, postquam reliquiæ hujusmodi jam deperditæ fuerant; item quæ mox retulimus de corporibus sanctorum Patrum Kioviensium ex testimonio Procopovitch.

2° Ad incorruptionem cadaveris quod attinet, notum est eam causis mere naturalibus haud raro deberi, quamvis in certis casibus muraculosa videri possit; de qua tamen in beatificandis ac canonizandis Dei servis nullam rationem habendam esse sapienter statuit Benedictus XIV. Cum autem Russi in hoc portento potissimum insistant, haud abs re erit animadvertere immodicum ac hyperboreum frigus in regionibus illorum sæviens hunc effectum natura habere, ut cadavera congelet ac incorrupta diu servare possit. Unde Græci ipsi, in magno concilio Mosquensi anni 1667, Russos monuere, ne huic signo tantum momentum tribuerent, eosque docuerunt *discretionis cadaverum regulas*, ne scilicet confunderent cadavera τυμπανιαῖα excommunicatorum cum reliquiis desiccatis sanctorum; de quo concilium speciale edidit decretum [1]. Num Russi huic decreto semper steterint, plus quam dubium est. Ipsas autem discretionis regulas Græcorum nullo niti fundamento arguit Georgius Scholarius in speciali libello, ubi hæc inter alia habet :

« Cadaver non dissolutum sed contabefactum non est certum signum beatitatis animæ; item cadaver non dissolutum sed tumefactum haud necessario innuit animam esse in tormentis. Ignoramus enim non solum cætera mysteria, verum etiam ea, quæ natura recondit a Deo accepta; quod audacius quidem, sed irreprehensibiliter latinum prodit proverbium : « Multi, inquit, quorum reliquiæ venerantur in terris, animæ torquentur in inferno; quorum vero corpora dehonestantur in terra, animæ glorificantur in cælo [2]. »

1. « Τὰ τῶν νεκρῶν σώματα, τὰ εὑρισκόμενα καὶ ἐν καιροῖς τούτοις ἀκέραια καὶ ἄλυτα, μὴ τολμιζέτω τις ἀπὸ τοῦ νῦν ἄνευ ἀξιοπίστης μαρτυρίας καὶ συνοδικῆς ἀποφάσεως τιμᾶσθαι αὐτὰ καὶ σέβεσθαι ὡς ἅγια, διότι εὑρίσκονται πολλὰ σώματα ἀκέραια καὶ ἄλυτα οὐχὶ ἀπὸ ἁγιωσύνης ἀλλ᾽ὡς ὑπ᾽ἀφορισμοῦ καὶ κατάρας ἀρχιερατικῆς ἢ ἱερευτικῆς τυγχάνοντες ἐτελεύτησαν, ἢ ἐκ παραβάσεως καὶ καταφρονήσεως τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων ἀκέραια καὶ ἄλυτα εὑρίσκονται. » Delicanis, Πατριαρχικὰ ἔγγραφα, t. III, p. 136-137.

2. *De futura sorte animarum et corporum*, 6, *Œuvres complètes*, t. I, p. 528 : « Οὐ δεῖ μέντοι γε ἀσφαλὲς ποιεῖσθαι τεκμήριον τοῦ τὴν ψυχὴν τήνδε εὐδαιμονεῖν τὸ τὸν νεκρὸν αὐτῆς μὴ διαλελύσθαι συντετηκότα, ἢ τοῦ τὴν ψυχὴν τήνδε κολάζεσθαι τὸ τὸν νεκρὸν αὐτῆς μὴ διαλελύσθαι συνῳδηκότα · ἀμαθείας γὰρ ἂν εἴη τοῦτό γε ἄλλων τε καὶ τῶν μυστηρίων τῆς φύσεως, ἃ ἐκ Θεοῦ ἔχει λαβοῦσα. »

Cæterum apud Russos non raro contigit corporis incorruptionem fuisse quid mere fictitium ac fraudulenter commentum, ut ex recenti reliquiarum probatione manifestatum est [1].

3° Quod in Ecclesia græco-russica, quæ pleraque retinet sanctitatis media christianæ religionis, tum immediate a Deo, tum per ministerium alicujus fidelis istius Ecclesiæ, quædam miracula aliquando facta fuerint sive in testimonium veritatis Evangelii contra Judæos, sive ad confirmandum mysterium præsentiæ realis Christi in Eucharistia, sive ad demonstrandam excellentiam religionis christianæ præ islamismo, hoc theologice nullum facessit negotium : « Miracula enim, ait sanctus Thomas, semper sunt vera testimonia ejus ad quod inducuntur. Unde a malis, qui falsam doctrinam enuntiant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem suæ doctrinæ; *quamvis quandoque fieri possint ad commendationem nominis Christi, quod invocant, et in virtute sacramentorum, quæ exhibent...* Ad veritatis præ-

1. Cf. J. Bois, *art. cit.*, col. 1669 : « Dans cinq cas sur six d'examens de ce genre (agitur de canonizationibus a Synodo Dirigente factis), les restes ont été déclarés par les enquêteurs *conservés et intacts*. Mais les détails circonstanciés sur l'état du corps, conservés dans leurs rapports laissent supposer qu'ils attachent à ces termes *un sens plutôt conventionnel et assez peu rigoureux.* » De facto, quando potestate sovietica jubente (an. 1918-1921), reliquiarum inspectio facta est, eventus in confusionem Ecclesiæ cessit : « Ce que l'on découvre, ait A. Maniglier, ne correspond nullement à la croyance répandue dans le monde ecclésiastique sur l'incorruptibilité des corps saints. On trouve en effet, les corps décomposés. On trouve également dans les châsses, outre les reliques proprement dites, des matériaux destinés à représenter les corps des saints, et d'autres objets inattendus, dont la présence dénote plus de négligence que de mauvaise foi. Dans la châsse de métal d'Alexandre Svirski, on découvre une poupée de cire, au lieu de reliques... Les chefs ecclésiastiques s'efforcent, dans chaque cas particulier, de prévenir, autant qu'ils le peuvent, les opérations de revision des reliques; ils réagissent par leurs représentants sur les autorités locales pour détourner l'orage qui s'amoncelle. » *L'Église russe dans la tourmente* (ex opere Russi Titlinov, *Ecclesia russica, tempore perturbationis*), in commentario : *Documentation catholique*, n. 315, 26 déc. 1925, col. 1226-1227.

dicatæ confirmationem, miracula possunt fieri per quemcumque qui veram fidem prædicat [1]. »

4º De miraculis, quæ a sanctis vel a thaumaturgis græco-russis, sive dum in terris degerent, sive ad eorum sepulchrum patrata fuisse narrantur, caute pronuntiandum est. Pleraque aut valde suspecta sunt nullaque prudenti ac seria investigatione probata, aut miraculi nomen non merentur. Ad hanc classem sane referenda sunt illa innumera miracula invocationi sanctorum ab Ecclesia russica recentiori tempore canonizatorum adscripta [2]; item prodigia quatuordecim ad sepulchrum Gregorii Palamæ effecta, prout a Philotheo in *Encomio Gregorii* narrantur [3]; item portenta Joanni Kronstadiensi tributa [1]. Quædam, quæ vera videntur, puta illud quod refert Nectarius de Joachimo, patriarcha Alexandrino, in testimonium veritatis revelatae contra Infideles facta sunt; de quibus mox diximus.

1. *Summa theologica*, IIa-IIae, q. CLXXVIII, *art.* 2, ad tertium et in corpore articuli.

2. Cf., v. g., narrationem quorumdam miraculorum a Joasapho Gorlenko (anno 1911 canonizato) patratorum, in *Tserkovnyia Viedomosti*, 1911, n. 37, et *Trudy Acad. Kioviensis*, 1910, t. III, 696 sq. Inter miracula narrata, hæc et similia occurrunt : « Surdus-mutus a nativitate audivit et verba sibi dicta repetivit. — Adolescens quidam, qui nonnisi baculis suffultus incedebat, sine hujusmodi adminiculis coram sepulcro stetit. — Talis a pœnis intimis liberatus est et consolatus abcessit. » Tanquam miracula computantur visiones et apparitiones. Pro canonizatione Metrophanis Voronogensis († 1703) anno 1832 habita, 31 sanationes miraculosæ relatæ sunt, ex quibus 24 respiciebant mulieres et puellas.

3. *P. G.*, t. CLI, col. 635-654. Ex his quatuordecim miraculis, novem fiunt vel in somnio, vel post aliquam apparitionem Palamæ intra somnium. Decimum quartum, quod Philotheus tanquam κορωνίδα aliis imponit, est in somnio totum, col. 653-654 : Monachus quidam Lauræ Athanasii Athonensis, postquam Deum diu oraverat, ut sibi revelaretur sors Palamæ in altera vita, per somnium vidit chorum sanctorum Patrum Ecclesiæ græcæ aliorumque theologorum quasi in synodum adunatorum et de quadam quæstione inter se deliberantium; quos audivit dicentes se sententiam ferre non posse nec discussioni finem imponere, nisi Gregorius Palamas adfuerit ut synodi præses. Illum arcessunt; qui nonnisi post moram (colloquium enim cum Rege habebat) venit. Eo parente, omnes surgunt; eum amice excipiunt, in medio consedere rogant, sicque quæstio solvitur, omnibus Gregorio gratulantibus quod quidquid dixerint ipsi, ille optime in unum coegerit. En totum miraculum. De cæteris prodigiis videre potes : nullum sane ex eis tale est, quod nostra S. Congregatio Rituum pro beatificando servo Dei retineret, etiam supposita totius facti veritate. Quatuor sunt sanationes alvei astrictæ vel dysenteriæ post balneum, vel *fricationem renum contra sepulchrum Palamæ*, vel post Euchelaei receptionem. Quidam monachus pedem habens tumefactum sanatur post octo dies. Alius a malo capitis liberatur post visionem in somno. Alius tres digitos paralysi constrictos habens, sanatur postquam dexteram contra sepulcrum Palamæ diu fricavit.

Utrum autem vera miracula facta sint vel fiant ad demonstrationem sanctitatis alicujus ex eis, qui in Ecclesia dissidenti vixerunt et ab illa cultu publico honorantur, ad *quæstionem facti* affirmative respondere non habemus, ex iis quæ legere potuimus, deficiente accurato ac scientifico examine mirabilium, quæ de suis thaumaturgis narrant Græco-Russi. Ad *quæstionem juris autem* quod attinet, responsum affirmativum dari posse existimamus, positis certis conditionibus, nempe si agatur de homine qui in Ecclesia dissidenti bona fide vixerit, quin controversiis antilatinis ullo pacto se immiscuerit vel errores in fide contra Catholicos tuitus fuerit [2]; qui insuper praeclara virtutum christianarum exempla dederit, puta si pro Christo mortem in tormentis fortiter subierit, vel monasticam vitam duxerit juxta exemplar antiquorum ascetarum Orientis. Cum enim miracula non sint testimonia nisi ejus ad quod inducuntur, ex circumstantiis satis luculente apparebit miraculum a Deo fieri ad commendanda sanctitatis exempla, quæ talis νεομάρτυς vel asceta dederit, non vero ad commendandam sectam ab Ecclesia catholica dissidentem. Hujus sententiæ probabilitas inde crescit, si consideres : 1º separationem Ecclesiæ byzantinæ ab Ecclesia catholica non fuisse statim ab initio perfectam ac absolutam ut nunc exstat, sed diu permansisse incertam ac vagam, cum unionis tentamina inter theologos vel legatos utriusque Ecclesiæ continua fere fuerint; 2º Byzantinos haud paucos erga

1. De Joanne Kronstadiensi vide A. Staerk, *Ma vie en Jésus-Christ, par le P. Jean de Cronstadt*, Parisiis, 1903 (lege introductionem); *Echos d'Orient*, t. IX, 1906, p. 44-46; t. XIII, 1910, p. 233-234.

2. De miraculis Gregorii Palamæ mox diximus. Marcus Ephesius vero absque miraculis a Seraphino I canonizatus est, anno 1734; cf. p. 337.

Latinos bene animatos fuisse, dum alii in eos furerent; 3º Ecclesiam græco-russicam ejus indolis esse, ut retenta antiqua fide definita, circa omnia alia doctrinæ capita in ea revera non sint nisi *theologumena* seu opiniones theologicæ, et circa ipsas quas vocarunt novitates latinas *dogmaticas*, theologorum hujus Ecclesiæ bona pars cum Catholicis decursu temporum semper senserint et adhuc etiam sentiant; 4º Græcos, inde a Medio Ævo, sub Turcarum infidelium jugo, Russos vero diu sub Mongolorum ditione, et postea etiam a cæteris nationibus christianis sejunctos vixisse; unde Deus erga tot populos christianos bona fide longe a vera Ecclesia errantes misericordia motus, potuit sane eorum saluti ac confirmationi in fide christiana providere, aliquot pios ac sanctos homines suscitando quibusdamque miraculis eorum vitam in exemplum virtutis commendando [1].

5º Extra dubium est Deum sive directe, sive ad invocationem beatæ Mariæ virginis et sanctorum catholicorum, Ecclesiæ græco-russicæ fidelibus pie orantibus auxilia ac beneficia quum spiritualia tum temporalia quandoque miraculose præstare [2]. Hujusmodi autem miracula veritatem Ecclesiæ græco-russicæ præ Ecclesia catholica nullo pacto testantur, sed arguunt tantummodo Dei bonitatem, sanctorum potentem mediationem, orationis efficaciam. Possunt quidem hæc a quibusdam polemistis in commodum et commendationem Ecclesiæ falsæ immerito detorqueri. Deus autem, qui tot mala in mundo permittit (etiam malum quod ex falsis miraculis provenit), et hoc permittere potest. Divinæ enim providentiæ erga veram Ecclesiam satis est, ut in ea miraculorum charisma frequentius ac multo splendidius coruscare faciat; quod sane non omittit, ut ex iis quæ de elemento miraculoso in Ecclesia græco-russica manifestato nunc diximus, satis colligitur.

1. De hac quæstione vide W. Palmer, Διατριβαί, t. I, Athenis, 1852, p. 123-125; J. Porisky, *De miraculis acatholicorum*, in commentario : *Slavorum litteræ theologicæ*, t. III, 1907, p. 69-72; Léonce de Grandmaison, *Le Shadu Sundar Singh et le problème de la sainteté hors de l'Église catholique*, in commentario *Recherches de science religieuse*, t. XII, 1922, p. 1-29. His duobus ultimis auctoribus non in omnibus suffragamur.

2. Ribera, *Brevis narratio Ecclesiæ moscoviticæ*, ed. Martinov, Parisiis, 1874, p. 158-161, narrat adolescentem Russum a beata Deigenitrice miraculose sanatum fuisse. Missionarii Orientis identidem audiunt beneficia hujusmodi dissidentibus a Deo per sanctos præstari, præsertim per beatam Mariam virginem, quam impense colunt, et cujus multæ *icones* miraculosæ passim venerantur. Vide narrationem sanationis cujusdam muti Russi cum testimoniis multorum de facto miraculoso in libello inscripto : *Guérisons divines accomplies devant la sainte image de la Vierge consolation des affligés de l'ermitage russe Saint-André sur le Mont-Athos* (gallice, russice, germanice et græce), Odessæ, 1867, 51 p. Cæterum non omnia, quæ de hujusmodi prodigiis narrantur, vera sunt. Multa suspecta sunt. Quædam minus congruenter fiunt. Applicandæ sunt regulæ discretionis miraculorum.

ARTICULUS III

De Ecclesiæ catholicitate.

Cum catholicitas significet universalitatem, Ecclesia multiplici ratione dici potest catholica. Communior tamen ac *vere traditionalis notio* hujus proprietatis respicit diffusionem unius Ecclesiæ per totum orbem terrarum, id est *catholicitatem localem*. Hæc autem catholicitas localis sub duplici respectu considerari potest, nempe *sub respectu qualitatis* et *sub respectu quantitatis*, prout Ecclesia Christi et *aptitudinem* habet ad complectendum in suo sinu omnes homines, omnes gentes, et de *facto* diffunditur per omnes gentes. Unde catholicitatem qualitativam quidam vocant *catholicitatem juris*, catholicitatem autem quantitativam, *catholicitatem facti*.

Variæ catholicitatis definitiones a Græco-Russis traditæ ad hanc duplicem catholicitatem *juris* et *facti* facile reduci possunt; tamen eorum major pars loquuntur de sola catholicitate juris; alii vero de sola catholicitate facti; alii de utraque simul. Præterea quidam recentiores post Khomiakovum novam catholicitatis notionem in theologiam græco-russicam invexerunt, quæ a catholicitate locali omnino abstrahit et non est nisi specialis ratio unitatis. Demum notandum est theologos dissidentes suis catholicitatis juris vel facti definitionibus quasdam alias catholicitatis species, puta temporis, vel doctrinæ, vel etiam proprietates necessitatis, vel infallibilitatis, vel unitatis, vel indefectibilitatis

haud raro annectere. De variis hujusmodi catholicitatis definitionibus primum agemus; postea vero de Ecclesiæ græco-russicæ catholicitate inquiremus.

I. — De definitionibus, quæ ad catholicitatem qualitativam reduci possunt.

Quasdam definitiones nimis generales, breviores ac vagas primum invenimus : Ecclesia, aiunt Laurentius Zizanii[1] et Ossinin[2], est catholica, quia complectitur omnes homines seu omnia loca et omnia tempora.

Haud pauci, post Philaretum Drozdov in *Catechismo majori*, catholicitatem ita concipiunt :

« Ecclesia vocatur catholica, quia nullo loco, nullo tempore, nulla natione circumscribitur, sed in se *includit omnes vere credentes omnium locorum, temporum et nationum*[3]. »

Paulo aliter eamdem notionem exprimit Bernardakis :

« Ecclesia est catholica vi suæ naturæ et prædestinationis, quæ in hoc est, ut in suo sinu comprehendat omnes homines absque distinctione loci et temporis, tribus et linguæ, ordinis et conditionis, id est omnes cujuscumque temporis vel loci fideles[4]. »

Ita intellecta, catholicitas ab *unitate interna* vix distinguitur, et comprehendere potest etiam Ecclesiam cælestem; quod quidam expresse notant[5]. Item propter catholicitatem temporis, huic notioni plures annectunt indefectibilitatem et perennitatem[6], vel infallibilitatem[7], et propter

1. *Op.* et *loc. cit.*, p. 252.
2. *Art. cit.*, p. 525.
3. *Loc. cit.*; cf. Macarium, *op. cit.*, § 180, p. 241-244; A. Lebedev, *op. cit.*, p. 241; Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 238-245; Koidakis, *op. cit.*, p. 65.
4. *Op. cit.*, p. 143 : « Εἶνε καθολικὴ ὡς ἐκ τῆς φύσεως καὶ τοῦ προορισμοῦ αὐτῆς, ὅστις εἶνε νὰ περιλάβῃ εἰς τοὺς κόλπους της πάντας τοὺς ἀνθρώπους ἄνευ διακρίσεως τόπου καὶ χρόνου, φυλῆς καὶ γλώσσης, ἢ τάξεως καὶ καταστάσεως, ἤτοι πάντας τοὺς ὁτεδήποτε καὶ ὁπουδήποτε πιστούς. »
5. Ita Malinovskii, p. 227.
6. Ita Malinovskii, *loc. cit.*; Ph. Gumilevskii, p. 240; Milasch, *op. cit.*, § 50, p. 292-293; Baphides, *op. cit.*, p. 79; Chamudopulus, *op. cit.*, p. 67.
7. Ita Philaretus Drozdov in *Catechismo*, Macarius, p. 244.

catholicitatem personarum, etiam necessitatem[1]. Quidam loquuntur de catholicitate doctrinæ[2].

Quidam a conceptu catholicitatis catholicitatem localem facti seu actualem diffusionem per omnes gentes expresse excludunt, dicentes hanc proprietatem nullo pacto fundari super quantitate membrorum Ecclesiæ. Hæc enim spatialis quantitas, aiunt, neque factis, neque Scripturæ testimoniis respondet[3].

II. — De theologis solam catholicitatem facti memorantibus.

Alii theologi sat multi solam catholicitatem quantitativam in suis definitionibus memorant, nedum eam excludant.

Ita Plato Levkkin : « Ecclesia est catholica, inquit, id est, invenitur in omnibus mundi partibus. Per hoc intelligimus communitatem christianorum veri nominis, qui per omnes orbis partes dispersi sunt. Omnes veri fideles, ubicumque loci sint, vel temporis, membra sunt Ecclesiæ catholicæ[4]. » Platoni præiverat Theophylactus[5], eique suffragantur Eugenius Bulgaris[6], Constantinus Œconomus[7], Athanasius

1. Philaretus in *Catechismo*.
2. Ita V. Guettée, *op. cit.*, p. 102 : « Elle est *catholique*, c'est-à-dire qu'elle n'a pas un caractère local, national et provisoire comme la synagogue israélite, mais que tous les peuples, dans tous les temps, sont appelés à en faire partie, et qu'elle maintient *en son entier* la doctrine révélée, sans retranchement, sans addition. »
3. Ita Th. Gorskii, p. 274-275 : « Patet Ecclesiam Christi non ideo catholicam dicendam esse, quod totum mundum comprehendat, licet comprehenderet etiam totum, si totus converteretur; sed quod omnibus sinum suum expandat, neminem ad se venientem arceat, omni creaturæ Evangelium prædicet, universis hominibus fontem aquæ vivæ propinet, licet multi recusent bibere. » Philaretus Gumilevskii, p. 239-240, qui insistit in catholicitate qualitativa et aptitudinali; Malinovskii, p. 228.
4. *Op. cit.*, pars II, § 28 : « Ἡ Ἐκκλησία εἶναι καθολική, ἤγουν εὑρίσκεται εἰς ὅλα τὰ μέρη τοῦ κόσμου. »
5. *In I Corinth.*, XII, 27, *P. G.*, t. CXXIV, col. 721 D.
6. *Op. cit.*, p. 53 : « ἤτοι κοθόλου ἐκτεταμένη, καὶ κατὰ τὴν ἀκριβῆ ἔννοιαν τὸν καθόλου πληθὺν ἔχει μελῶν καὶ ἑνότητα. »
7. Κατήχησις, p. 59 : « διότι ἡ κοινότης τῶν χριστιανῶν εἶναι διεσπαρμένη εἰς ὅλα τὰ μέρη τοῦ κόσμου. »

Pariensis [1], Diomedes Kyriakos [2], etiam sub aliquo respectu Andrutsus [3].

III. — De theologis utramque catholicitatem, juris et facti, notantibus.

« *Catholicam* vocamus Ecclesiam, ait Mesoloras, non solum quia per totum orbem diffusa est, sed etiam quia per Christi, apostolorum et successorum eorum doctrinam, quam servat, omnes vocat ad salutem, ad omnes in suo sinu complectendos destinatur, ut fiat unum ovile sub uno pastore Christo [4]. »

Antonius Amphiteatrov suam fecit catholicitatis definitionem a sancto Cyrillo Hierosolymitano traditam, in qua, præter catholicitatem localem facti, aliæ catholicitatis species innuuntur [5].

Definitioni sancti Cyrilli affinis est et illa, quam habet Simeon Thessalonicensis : « Catholica est, quatenus e populis cunctis Christo congregata est, vera scientia ditata est... Trinitatis cognitionem genuinam habens, et Christum unum de Trinitate incarnatum Deum cum Petro confitens [6]. »

IV. — Conceptio Khomiakovi ejusque discipulorum. De origine et vero sensu epitheti slavici « sobornaiia ».

Vox græca καθολική, de Ecclesia in symbolo Nicæno-Constantinopolitano dicta, inde a sæculo XIV per appositum slavicum *sobornaiia* reddita est, quod a verbo *sobor* (= *conventus*, *concilium*, postea etiam : *ecclesia cathedralis*) derivatur. Si sensum vocis *sobornaiia* ex etymo quis repetere vellet,

1. *Op. cit.*, p. 39 : « ἤτοι καθόλου ἐκτεταμένη ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ. »
2. Κατηχησις, p. 44.
3. Δογματική, p. 279-280 : « Ἐκλήθη πρωΐμως καθολική, ὡς διεσπαρμένη μὲν κατὰ πάντος τοῦ κόσμου, ἑνιαῖον δὲ ὅλον ἀποτελοῦσα. » Insistit tamen Andrutsus in catholicitate doctrinæ.
4. *Op. cit.*, p. 15 : « Καθολικὴν ὀνομάζεται, οὐ μόνον διότι εἶνε ἐξηπλωμένη πανταχοῦ τοῦ κόσμου, ἀλλὰ καὶ διότι... πάντας καλεῖ εἰς σωτηρίαν, πάντας κέκληται νὰ παραλάβῃ. »
5. *Op. cit.*, § 250, p. 306-307. Nota sunt verba Cyrilli, *Catech.*, XVIII, 23, *P. G.*, t. XXXIII, col. 1044 : « Καθολικὴ μὲν οὖν καλεῖται διὰ τὸ κατὰ πάσης εἶναι τῆς οἰκουμένης ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων, καὶ διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλειπῶς ἅπαντα τὰ εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, κτλ. »
6. *Op. cit.*, *P. G.*, t. cit., col. 796 BC.

hanc recte verteret per *synodalis* vel *conciliaris*, et ita illud *principium synodale* seu *sobornost*, quod tam sæpe jactant Græco-Russi recentiores [1], suum fundamentum dogmaticum in ipso Symboli textu inveniret, ipsaque *sobornost* ex notis veræ Ecclesiæ una evaderet. Haud desunt sane nostris diebus inter Russos qui *sobornost* veram Ecclesiæ proprietatem et notam pronuntiaverint ; vix autem unum invenies, qui asserere non dubitaverit *sobornost* per epithetum Symboli *sobornaiia* significari. Nimis enim aperte constat, in versione slavica Symboli, *sobornaiia* idem significare ac vox græca καθολική, id est : *universalis*. Cæterum doctus Russus A. Gesen [2] certis testimoniis evicit primævam symboli Nicæno-Constantinopolitani et aliorum symbolorum slavicam versionem loco καθολικὴν vocem *kapholiceskuiu* vel etiam (in recensione nempe glagolitica) *katolicesku* prætulisse [3]. In altera tantum Nicæno-Constantinopolitani versione, quæ sæculo XIV non videtur antiquior, primum apparet vox *sobornaiia* ; quæ utique, etymo seposito, reddenda est per καθολική, *catholica*, non vero per *synodalis* vel *conciliaris*, ut etymon postularet [4].

Hoc non negavit S. Khomiakov ; immo P. Gagarino ut errorem exprobravit quod ille *sobornaiia* per vocem *synodalis* verterat [5] ; verum aliquid principii synodalis seu τῆς

1. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 249 sq.
2. *Itoriia slavianskago perevoda simvolov viery* (*Historia versionis slavicæ symbolorum fidei*), Petropoli, 1884.
3. De significatione vocis *sobornaiia*, cf. L. Baurain, *Notes de théologie russe*, in commentario ; *Revue augustinienne*, t. IX 1906, p. 81-85 ; Anonymum, in *Tserkovnyia Viedomosti*, 1906, n. 2, *suppl.*, p. 49-54 : « *Tchto znatchit* « *sobornaiia* » *Tserkov symbola viery* (*Quid significet* « *sobornaiia Tserkov* » *symboli fidei*) ; A. Deubner, *La traduction du mot* « καθολικήν » *dans le texte slave du symbole de Nicée-Constantinople*, in *Orientalia christiana*, n. 55, t. XVI, 1929, p. 54-66. Vox *Kapholiceskuiu* primum occurrit in versione slavica symboli Hierosolymitani, quæ sæc. X-XI facta est ; item et in antiquioribus versionibus Nicæni et Nicæno-Constantinopolitani.
4. Recte animadvertit Gesen, *op. cit.*, p. 93, 100, traductores slavos vocem *Kapholiceskuiu*, non vero vocem *vselenskuiu*, ideo adhibuisse, quod appositum *vselenskaiia* (= οἰκουμενική) usurpabatur ad designandam Ecclesiam Constantinopolitanam.
5. Cf. *Lettre au rédacteur de l'Union chrétienne*, à *l'occasion d'un*

sobornost in notione catholicitatis includit, a qua et removet conceptum diffusionis universalis per orbem; siquidem, secundum ipsum, Ecclesia est catholica, quia est omnimoda unitas in multitudine et multitudo in unitate; *est quædam species communismi spiritualis*, vi cujus singula membra charitate adunata omnia bona, omnes prærogativas Ecclesiæ participant, delentur vero omnes particularitates, quæ perfectam æqualitatem, unanimem omnium consensum impedirent. Unde rejicienda est distinctio inter Ecclesiam docentem et Ecclesiam discentem, cum *communitas ecclesiastica* ut sic subjectum sit infallibilitatis, sicut et alias proprietates in commune possidet.

« Pourquoi, inquit ille, les apôtres des Slaves n'ont-ils pas choisi les mots *vsemirnoï* ou *vselenskoï*? Telles auraient été les expressions dont se seraient servis les premiers traducteurs du symbole pour rendre le mot de *catholique*, s'ils l'avaient entendu dans le sens *d'universel.* Je ne nie certes pas que καθολικός ne puisse avoir ce sens (venant de καθ'ὅλα et sous-entendant soit ἔθνη soit κλίματα, soit toute autre expression de même valeur); mais je dis que ce n'est pas dans ce sens qu'il a été compris par les apôtres des Slaves. La définition géographique ou ethnographique ne leur est pas entrée en tête; il paraît qu'elle ne faisait pas partie de leur système théologique. Le mot qu'ils ont choisi est celui de *sobornoï. Sabor* indique l'idée d'assemblée, non pas nécessairement réunie dans un lieu quelconque, mais existant virtuellement sans réunion formelle. *C'est l'unité dans la pluralité.* Il est donc évident que le mot de καθολικός, dans la pensée des deux grands serviteurs de Dieu que la Grèce avait envoyés aux Slaves, venait non de καθ'ὅλα mais de καθ'ὅλον... *L'Eglise catholique, c'est l'Eglise qui est selon tous,* ou *selon l'unité de tous, l'Eglise de l'unanimité libre,* de *l'unanimité parfaite,* l'Église où il n'y a plus de Grecs ni de Barbares, où il n'y a plus de différence de conditions, plus de maîtres ni d'esclaves... *Sobornoï,* ce mot renferme toute une profession de foi. Romains, qui revendiquez les apôtres

discours du P. Gagarine, jésuite, 1860, in opere : *L'Eglise catholique et le protestantisme,* p. 391-400.

des Slaves, hâtes-vous de les renier! Vous qui avez rompu l'unanimité et l'unité en altérant le Symbole sans consulter vos frères d'Orient, que feriez-vous de la définition de l'Église telle que nous l'ont léguée Cyrille et Méthodius? Elle vous condamne. Gardez vos prétentions à l'unité géographique : vous ne pouvez aller au delà... L'Église des apôtres, au IXe siècle, n'est ni l'Église καθ'ἕκαστον (selon chacun), comme chez les Protestants; ni l'Église κατὰ τὸν ἐπίσκοπον τῆς 'Ρώμης, comme chez les Latinisants; mais c'est l'Église καθ'ὅλον (selon l'unité de tous), comme elle l'a été avant le schisme occidental, et comme elle l'est encore chez ceux que Dieu a préservés du schisme [1]. »

Ideam sub hac inani declamatione latentem retinuerunt Russi recentiores haud pauci, qui conceptum τῆς *sobornost* eo usque extenderunt, ut pronuntiaverint populum christianum esse infallibilitatis activæ subjectum, et laicos cum voce deliberativa ad concilium œcumenicum esse convocandos [2].

V. — De catholicitate Ecclesiæ græco-russicæ.

Ecclesia græco-russica hactenus caruit catholicitate quantitativa seu facti; siquidem intra Europæ orientalis et proximi Orientis limites fere tota circumscripta remansit. Ut supra diximus, missiones apud gentes infideles extra imperii russici fines vix habuit. Verum quidem est nostris temporibus in dies ei augeri catholicitatem localem, quatenus ob magnam commeatus inter orbis nationes facilitatem ac celeritatem nunc exstantem, aliquot hujus Ecclesiæ fideles in diversas terræ partes quotidie immigrant; cui diffusioni multum contulerunt tum recens russica rerum perturbatio, tum ex Turcarum imperio christianorum expulsio. Nota tamen exinde haberi aliquam fucatam, non genuinam, catholicitatis speciem; fit enim unius vel plurium nationum civium in alias nationes dispersio, non vero unius Ecclesiæ in omnes gentes et populos per eorum ad Christum

1. *Ibid.*, p. 397-399.
2. Cf. supra, p. 506.

conversionem diffusio. Cæterum, si hæc catholicitatis species cum genuina catholicitate locali Ecclesiæ catholicæ, quæ tot missionibus ubique terrarum hodie splendet, contuleris, maximam inter utramque deprehendes differentiam, tum quoad extensionem in loco, tum quoad quantitatem in numero fidelium.

Præterea, catholicitatis species de qua loquimur ex veræ in regimine et communione unitatis defectu valde obscuratur. Jam enim vidimus inter Russos τῆς διασπορᾶς plures sectas enatas esse, quæ se invicem anathematizant et excommunicant. Fatentibus ipsis theologis græco-russis, catholicitas ab unitate separari nequit.

Ad catholicitatem autem qualitativam seu juris quod attinet, quam dissidentium major pars, exclusa catholicitate facti, commendant, Ecclesiam græco-russicam hac insigniri haud magis apparet. Omnibus enim notum est diversas Ecclesias autocephalas vivo colore gentili ac nationali indutas esse, qui earum intrinseco et aptitudinali universalismo non parum officit. Unde paucos, aut nullos proselytos ex aliis Ecclesiis ad se trahunt. Contrarium potius accidit. Hoc autem potissimum ex eo provenit, quod singulæ Autocephaliæ potestati civili ubique fere obnoxiæ sunt, nec vera independentia gaudent. Inde etiam fit, ut eis desit vel ipsum studium prædicandi Evangelium apud Infideles; vel si quando quidpiam in hac provincia tentetur, hoc mediis potius humanis ac politicis quam evangelicis moliatur [1].

1. Alludimus ad *missionem internam* Russorum, cujus scopus erat, ut omnes infideles vel heterodoxos intra imperii russici fines degentes ad Orthodoxiam orientalem converteret. Missionarii ad ovile Orthodoxorum haud paucas oves adduxerant; verum, ex quo prodivit (anno 1905 scilicet) edictum sic vocatum de *tolerantia religiosa* (quod vix aliquot menses prout primum sonabat, viguit), plerique conversi ad pristinum suum cultum sine mora sponte redierunt. Secundum publica nuntia Ministerii rerum ecclesiasticarum, Orthodoxiæ russicæ desertores 301550 numero fuere, ex quibus 233100 catholicismum amplexi sunt, 14500 lutheranismum, 50000 islamismum, 3 400 Buddhismum, 400 judaismum, 150 paganismum; cf. *Tserkovnyi Viestnik*, 1909, n. 45, col. 1543. In hoc rationario non comprehenduntur *rascolniki* conversi, quorum ingens numerus ad proprias sectas reversi sunt;

ARTICULUS IV

De Ecclesiæ apostolicitate.

De definitione apostolicitatis minor est difficultas quam de cæteris tribus proprietatibus in Symbolo notatis, quamvis quidam theologi nimis implicatas habeant de hac proprietate distinctiones et explicationes. Ecclesia est apostolica, quia originem ducit ab apostolis Christi, veri Ecclesiæ fundatoris. Ducit autem ab eis suam originem quatenus : 1° regitur a legitimis eorum successoribus, quos ipsi miserunt, sicut et missi fuerant a Christo; 2° ea omnia nunc habet et servat quæ apostolorum tempore habebat, ita ut eadem *numero* et *specie* societas religiosa sit, quæ sub apostolorum regimine consistebat. Unde multi theologi catholici triplicem distinguunt apostolicitatem, nempe : 1° *apostolicitatem regiminis*, quæ habetur per legitimam et nunquam interruptam pastorum ab apostolis successionem; 2° *apostolicitatem doctrinæ* seu fidei, quia omnium Ecclesiæ bonorum doctrina est præcipuum; unde specialiter notatur; 3° *apostolicitatem societatis*, qua significatur numerica et substantialis identitas Ecclesiæ præsentis cum Ecclesia quæ tempore apostolorum exstitit. Revera, si apostolicitas societatis in tota sua amplitudine sumatur, et apostolicitatem regiminis et apostolicitatem doctrinæ in se complectitur, sicut totum partes continet.

Græco-Russi eamdem fere notionem apostolicitatis tradunt ac theologi catholici, si tamen excipias quæstionem de legitimitate successionis apostolicæ, quam Catholici a primatu Petri ejusque successoris, Romani Pontificis, derivant, Græco-Russi vero a valida transmissione potestatis ordinis per episcopos orthodoxos repetunt. Unde, si in hac parte illos ad doctrinam catholicam adducere volueris, necesse tibi erit dogma primatus illis prius demonstrare. In præsenti articulo, quædam specimina definitionis apostolicitatis ex Græco-Russis primum dabimus, de apostolicitate Ecclesiæ græco-russicæ postea inquisituri.

cf. A. Palmieri, *La Chiesa russa*, p. 439-440. Bene nota est methodus ac ratio apostolatus russici, præsertim erga Catholicos ritus orientalis necnon erga diversos rascolnikos.

I. — Apostolicitatis definitiones a Græco-Russis traditæ.

Ex definitionibus apostolicitatis a Græco-Russis traditis quædam tantummodo notant fundationem vel diffusionem ab apostolis [1].

Aliæ apostolicitatem doctrinæ solum memorant :

« Sunt apostolicæ, ait T. Gorskii, illæ solæ Ecclesiæ, quæ eamdem penitus professionem in fide et moribus ac sub iisdem sacramentis sunt amplexæ. Hinc recte colligimus eos qui articulos fidei veros, notos et in Scriptura per se clarissimos, aut ab apostolis declaratos eorumque declarationes Ecclesiæ primitivæ traditas et consignatas negant, non esse in apostolica Ecclesia [2]. »

Item Plato Leokhin in *Christianæ theologiæ compendio* :

« Ecclesia vocata est *apostolica*, quia integram custodit scriptam et non scriptam verbo traditam doctrinam apostolorum necnon prophetarum, quibuscum apostoli consentiunt, teste apostolo Paulo, qui dicit veros christianos superædificatos esse super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu [3]. »

Multi catechismorum auctores vel ad verbum, vel ad sensum verba Platonis repetunt. Ita, v. g., Athanasius Pariensis[4], Œconomus [5], Metaxas [6], Koidakis [7], V. Guettée [8].

Definitionum tertia classis insistit etiam in apostolicitate doctrinæ, sed insuper mentionem expressam facit successionis apostolicæ non interruptæ per communicationem

1. Ita Simeon Thessalonicensis, *loc. cit.*, col. 796 C : « ὡς ἐξαιρέτως παρ'αὐτῶν καὶ συναθροισθεῖσαν καὶ συστᾶσαν καὶ στηριχθεῖσαν. » D. Kyriakos, *op. cit.*, p. 44 : « διότι ἐξηπλώθη τὸ πρῶτον διὰ τῶν ἀποστόλων. »
2. *Op. cit.*, p. 272-273; in ed. Petrop. anni 1818, p. 335.
3. *Op. cit.*, pars II, § 28, p. 132.
4. *Op. cit.*, p. 40.
5. *Op. cit.*, p. 59.
6. Κατήχησις, p. 17.
7. *Op. cit.*, p. 65.
8. *Op. cit.*, p. 102 : « Elle est apostolique, c'est-à-dire qu'elle vient des apôtres et qu'elle professe les doctrines que les apôtres ont enseignées de la part de Jésus-Christ. »

charismatum sacerdotii. Ita definitio Philareti in *Catechismo majori* :

« Ecclesia vocatur *apostolica*, quod sine interruptione et mutatione ex apostolis servat et doctrinam et hæreditatem donorum Spiritus Sancti per sacerdotalem ordinationem. Sub hoc respectu, Ecclesia vocatur etiam *orthodoxa* et *pravovieruiuchtcheiu* (= *rectam fidem profitens*). Appellando Ecclesiam *apostolicam*, symbolum fidei nos docet firmiter retinere doctrinas et traditiones apostolicas, necnon eam doctrinam illosque doctores vitare, qui fundamentum non habent in doctrina apostolorum [1]. »

Philareto assentiunt E. Bulgaris [2], Ph. Gumilevskii [3], Malinovskii [4], Bernardakis [5], Khamudopulus [6], etc. Quidam eamdem doctrinam explicatius evolvunt, de apostolicitate regiminis vel societatis expresse loquentes. Ita Andrutsus :

« Apostolicitas, inquit, manifestatur tum professione ejusdem fidei eodemque regimine, quæ retinebat Ecclesia primigenia, tum successione dicta *apostolica*, nempe serie episcoporum, qui apostolis successerunt, *si tamen in Ecclesia canonice constituuntur*. Hæc duo intime inter se connectuntur et se invicem supponunt. Quemadmodum enim apostolica doctrina est fundamentum successionis apostolicæ, ita et apostolica successio est criterium externum veritatis alicujus Ecclesiæ ejusque consonantiæ cum primitiva Ecclesia in doctrina et regimine [7]. »

Juxta Antonium Amphiteatrov, « Ecclesia dicitur apos-

1. *Op.* et *loc. cit.*
2. *Op. cit.*, p. 54-55 : « Ἡ τοῦ Χριστοῦ ἀληθὴς Ἐκκλησία ἐστὶν ἀποστολικὴ οὐ μόνον ὅτι τὰ ὑπὸ τῶν ἀποστόλων παραδεδομένα ἀραρότως κατέχει τε καὶ πρεσβεύει, ἀλλ'ὅτι καὶ ἐξ αὐτῶν διηνεκεῖ καὶ ἀδιακόπῳ σειρᾷ κάτεισιν ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις... παρὰ τὸ συνεχὲς τῆς ἐκ τῶν ἀποστόλων διαδοχῆς τὴν ἀποστολικὴν ἐπωνυμίαν οἰκειότητα ἐπιδέχεται. »
3. *Op. cit.*, t. II, p. 247.
4. *Op. cit.*, p. 229-231.
5. *Op. cit.*, p. 144.
6. *Op. cit.*, p. 67-68.
7. Δογματική, p. 281 : « Ὡς ἡ ἀποστολικὴ διδασκαλία εἶνε ἡ βάσις τῆς ἀποστολικῆς διαδοχῆς, οὕτω καὶ ἡ ἀποστολκὴ διαδοχὴ ἀποτελεῖ τὸ ἐξωτερικὸν γνώρισμα τοῦ ὅτι Ἐκκλησία τις εἶνε ἀληθὴς καὶ συμφωνεῖ μετὰ τῆς πρωτογόνου Ἐκκλησίας ἐν τῇ διδασκαλίᾳ καὶ ἐν τῇ διοικήσει. »

tolica : 1° propter suam originem; 2° propter suam constitutionem; quodcumque enim in ea invenitur, sicut ab initio ita et nunc est apostolicum : apostolica est doctrina; apostolica sacramenta; apostolici fundamentales canones, constitutiones, ordo; apostolica ordinatio (= χειροτονία), per quam continua et non interrupta constat series successorum et pastorum. Ubi vero ruptum est hujusmodi continuum vinculum et innovatio irrepsit, ibi Ecclesia nulla [1]. »

N. Milasch insistit præsertim in apostolicitate missionis : Christus apostolis tradidit ecclesiasticam potestatem, vi cujus apostoli Ecclesiam ordinaverunt. Hæc apostolica potestas ad episcopos transivit, quam isti exercent et per omnia sæcula exercebunt, fundatam super successionem haud interruptam. Hujusmodi successio testimonium præbet de veritate et legitimitate cujuscumque actionis Ecclesiæ [2].

II. — De apostolicitate Ecclesiæ græco-russicæ.

Ecclesia græco-russica *haud pauca, non omnia* habet, quæ ad proprietatem apostolicitatis pertinent. Habet doctrinam in pluribus; habet sacramenta; habet hierarchiam ordinis potestate insignitam et ab apostolis materiali successione derivatam. Unum tamen illi deest certe apostolicum, quod est maximi momenti : capite visibili permanenti caret, Petrum non habet. Ex hoc ipso illi perit legitimitas apostolicæ missionis, amittitque plenam regiminis et societatis apostolicitatem. Etenim, etiamsi Græco-Russis quis concedere velit primatum Petri in Novo Testamento aliqua involvi obscuritate; attamen, inde jam a sæculo II ineunte, certis testimoniis historicis revelatur primatus successoris Petri, scilicet Romani Pontificis, cui tanquam unitatis centro, fidei magistro ac capiti visibili adhæsit primæva Ecclesia orientalis et occidentalis usque ad schisma byzantinum. Hanc manifestam veritatem historicam jam agnoverunt, ut supra vidimus, aliquot docti dissidentes. Unde, si Ecclesiam græco-russicam hodiernam, vel potius diversas Ecclesias

1. *Op. cit.*, § 260, p. 307.
2. *Op. cit.*, p. 293.

autocephalas, cum Ecclesia octo priorum sæculorum contuleris, hanc certe invenies differentiam : in antiqua Ecclesia exstabat aliquod commune centrum unitatis, aliquod visibile ac permanens caput supremum, ad quod, saltem in certis casibus, provocabant omnes tum in Oriente, tum in Occidente, Romanum scilicet Pontificem, qui nullo reclamante sed multis expresse suffragantibus, in conciliis œcumenicis publice se jactabat Petri, apostolorum principis, successorem, supremamque in totam Ecclesiam auctoritatem sibi vindicabat tanquam divinitus per Petrum acceptam. Atqui nihil tale nunc invenimus in Ecclesia græco-russica; immo primatus Petri et Romani Pontificis in ea expresse negatur et omnibus modis impugnatur. Aliquod ergo elementum essentiale apostolicitatis amisit illa Ecclesia, dum a Petri successore recessit.

ARTICULUS V

De notis veræ Ecclesiæ secundum doctrinam Græco-Russorum.

Antequam de notis veræ Ecclesiæ discretivis agant, theologi catholici definitionem ipsius notæ seu ejus conditiones omnino logice præmittere solent. Secundum communem eorum doctrinam, ut aliqua Ecclesiæ proprietas notæ vices gerere possit, necesse est : 1° ut sit aliquid obvium ac conspicuum; 2° ut sit re quæsita, id est, Ecclesiæ veritate, notior vel cognitu facilior; 3° ut sit veræ Ecclesiæ omnino propria nullique alii sectæ christianæ inesse possit. Ut recte animadvertit J. V. Bainvel, « non modo in eligendis notis potest esse aliqua difficultas, sed etiam in definienda nota aliqua quæ rite sit electa. Atque in hoc non est omnimodus consensus vel inter Catholicos [1]. » Unde mirandum non est quod etiam inter Græco-Russos de hoc capite unanimitas desit, non dicimus in definienda nota — de quo vix unum reperies qui expresse sermonem fecerit — sed in ipsis notis decernendis. Quidam enim illorum, nostrorum instar, pro notis

1. *De Ecclesia Christi*, Parisiis, 1925, p. 46.

habent quatuor proprietates in Symbolo positas. Alii solam apostolicitatem *doctrinæ*, vel *societatis* retinent, quam diverse explicant ac proponunt, ei aliquid amplius quandoque addentes; communior autem est illa explicatio, quæ apostolicitatem doctrinæ proprie dictam unice respicit prout in antiqua Ecclesia manifestabatur. Alii demum alias notas enumerant. De hac triplici demonstrationis via apud dissidentes quædam dicamus [1].

I. — De demonstrationis via per quatuor proprietates in Symbolo positas.

Haud pauci theologi de quatuor proprietatibus in Symbolo recensitis egerunt, quin de eis ut veræ Ecclesiæ notis discretivis disserere cogitarint. Unde non omnes theologi, quorum nomina in præcedentibus articulis prolata sunt, hic prodire habent. Hos tantum memorabimus, qui de proprietatibus hujusmodi qua notis locuti sunt; neque definitiones ab eis traditas iterum dabimus, si eas ob oculos lectoris supra jam posuerimus.

Eugenius Bulgaris [2] ejusque discipulus, Athanasius Pariensis [3], ut veræ Ecclesiæ notas (τῆς ἀληθοῦς Ἐκκλησίας γνωρίσματα) habent quatuor proprietates in Symbolo indicatas. Item Russus Petrus Ternovskii [4].

Antonius Amphiteatrov, ut ostendat *Ecclesiam orientalem* esse veram Christi Ecclesiam, dicit eam habere : 1° sanctitatem mediorum, sanctitatem multorum membrorum, quæ Deus miraculorum dono glorificaverit; sanctitatem charismatum numquam deficientem [5]; 2° catholicitatem, quod constet ex multis et diversis gentibus, populis et tribubus, et accurate

1. Hactenus theologi catholici solius criterii a Macario Bulgakov traditi mentionem facere consueverunt; quod ex versione gallica operis Macarii : *Introductio in theologiam orthodoxam*, Parisiis, 1857, plerique noverunt.
2. *Op. cit.*, p. 48-55.
3. *Op. cit.*, p. 35-40.
4. *Theologia dogmatica* (russice), Mosquæ, 1838.
5. *Op. cit.*, § 275, p. 325 : « οὓς ἐθαυμάστωσεν ὁ Θεὸς ἐν μεγάλοις θαύμασι, τοῖς ἔτι καὶ νῦν οὐκ ἐκλιποῦσιν. »

servet quodcumque ab antiquo semper et ubique servatum est, nempe omnia quæ definierunt ac confirmarunt concilia œcumenica, et quod in symbolo fidei continetur; 3° veram apostolicitatem tum doctrinæ, tum societatis, tum missionis (seu successionis haud interruptæ pastorum ab apostolis); 4° unitatem fidei, sacramentorum, cultus, disciplinæ, hierarchiæ habentis unum caput invisibile, scilicet Christum, et pastores vinculo communionis et amoris inter se conjunctos. Addit Ecclesiam orientalem continuo orare pro unione omnium, et ad hanc unionem perficiendam non uti vi, persecutionibus dolosa ratione propagandæ fidei, sed ratione, persuasione ac mansuetudine [1]. Cum autem nomine Ecclesiæ orientalis intelligat eas Autocephalias, quæ a quatuor patriarchis orientalibus reguntur, vel olim rectæ sunt, postquam de hac Ecclesia locutus est, eamdem demonstrationem iterat pro Ecclesia russica in specie, quæ cum Ecclesia orientali unitatem servat [2]. Demonstratio autem in simplici affirmatione eorum quæ relata sunt tota consistit.

Eamdem viam sequuntur tum Philaretus Gumilevskii [3], tum Malinovskii. Juxta hos duos theologos, quatuor proprietates in Symbolo expressæ ipsam Ecclesiæ essentiam delineant suntque insignia veram Ecclesiam discriminantia tum ab omnibus societatibus humanis, tum ab Ecclesiis heterodoxis. Primas autem Malinovskii tribuit notæ apostolicitatis, quæ tum in doctrinæ, tum in cultus et regiminis, tum potissimum in successionis haud interruptæ episcoporum apostolicitate ponitur. Si illum audias, Ecclesia græco-russica sola tali apostolicitate insignitur, « fatentibus ipsis Ecclesiæ orientalis inimicis, qui nullas novitates sive deflexiones dogmaticas, liturgicas vel canonicas ei exprobrant. Habenti autem genuinam apostolicitatem competunt et

1. P. 326 : « καὶ ἐνεργοῦσα ἕνωσιν οὐ χρῆται βίᾳ καὶ διωγμοῖς καὶ δολίᾳ Προπαγάνδῃ, ἀλλὰ λόγοις καὶ πειθοῖ καὶ πρᾳότητι. » Alludit sane ad missionarios catholicos Orientis. Quomodo autem hæc de sua Ecclesia scribere potuit Antonius, eo tempore quo Russicum gubernium et Synodus Dirigens tum Catholicos unitos imperii, tum varios rascolnikos tam dire insectabantur?
2. *Ibid.*, § 276, p. 326-327.
3. *Op. cit.*, p. 228-249.

aliæ tres Ecclesiæ proprietates, nempe unitas, sanctitas et catholicitas [1]. »

Quæ de notis veræ Ecclesiæ habet A. Lebedev tum in suo opere : *De primatu Papæ*, tum in quodam appendice de hac ipsa quæstione, ad doctrinam Malinovskii fere recidunt. Loquitur enim de triplici unitate fidei, cultus et disciplinæ canonicæ, de sanctitate membrorum et charismatum, de apostolicitate doctrinæ, cultus et regiminis. Addit insuper veram Ecclesiam servare genuinum spiritum christianismi dum sectæ heterodoxæ, inter quas prima venit Ecclesia romana, spiritu carnali et antichristiano imbuuntur. Hujus spiritus antichristiani indicium est doctrina Ecclesiæ romanæ de infallibilitate Ecclesiæ et Romani Pontificis, inquantum infallibilitas hujusmodi exhibetur ut a sanctitate morali et subjectiva omnino independens; siquidem, juxta Lebedev, ut supra diximus, sanctitas est conditio sine qua non infallibilitatis [2].

Mesoloras item quatuor proprietates in Symbolo positas pro notis (γνωρίσματα) veræ Ecclesiæ sumit : « Ecclesia nostra sola, inquit, notas præfert societatis religiosæ a Jesu fundatæ, cum sit una, sancta, catholica et apostolica, sigillo antiquitatis et unanimitatis in doctrina fidei, cultus et morum insignita et genuinum spiritum, plenam essentiam rectamque formulam fidei christianæ retinens, id est integrum revelationis divinæ depositum [3]. »

Quidam catechismi græci veritatem Ecclesiæ græco-russicæ eadem ratione arguunt. Ita Khamudopulus [4] et Sp. Sungras [5]. Hic inter notas recenset fidelem custodiam dogmatum a septem conciliis definitorum.

1. *Op. cit.*, p. 218, 231; cf. supra, p. 324, 330, 351, 359, definitiones notarum a Malinovskii traditas.
2. *Op. cit.*, p. 103-109, 323-333.
3. *Op. cit.*, p. 26. Quid de notis sentiat Mesoloras, vide supra, p. 325, 352.
4. *Op. cit.*, p. 68-69.
5. Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Athenis, 1909, p. 54-55.

II. — De via demonstrationis per apostolicitatem doctrinæ seu conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua.

Apostolicitas doctrinæ, sive eam stricte intelligas de doctrina ab ipsis apostolis directe tradita, sive eam extendas ad ea quæ a primæva Ecclesia et a septem primis conciliis *clare* edocta sunt, pro nota veræ Ecclesiæ haberi potest, saltem quatenus vera Ecclesia non potest non docere ea, quæ ab apostolis vel ab antiqua Ecclesia tradita sunt tanquam ad depositum Revelationis pertinentia. Est ergo saltem *nota negativa* [1]. Si respicias vero *doctrinam Ecclesiæ antiquæ usque ad sæculum nonum*, poteris etiam illam sumere pro *nota positiva*. Tunc enim in hac doctrina *certe, clare* et *haud cum magno conatu* invenies primatum Petri ejusque successoris, Romani Pontificis, quo invento, et ipsam veram Ecclesiam tenebis [2]. Neque negligendi hanc notam ratio sufficiens in eo est, quod plerique dissidentes primatum Romani Pontificis in traditione Ecclesiæ octo priorum sæculorum videre nolint. Hoc non impedit quominus hæc de primatu doctrina in antiqua traditione luce clarius patescat, præsertim in Actis septem conciliorum. Hæc est veritas historica, quam nemo doctus bona fide negare potest. Hanc ipsi rationalistæ nostris diebus ultro confitentur. Unde non statim per se rejiciendam tanquam insufficientem putamus hanc demonstrationis viam per conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua, quam multi Græco-Russi proferunt; sed contra ipsos eam tanquam argumentum ad hominem catholicus theologus nullo negotio usurpare potest.

Porro animadvertendum est Græco-Russos ad hanc viam primum recurrisse propter rationes polemicas, nempe ut Ecclesiam catholicam falsitatis arguerent ob illas multas

1. Hoc concedunt multi theologi, ii scilicet qui notas negativas a positivis distinctas admittunt.
2. Sanctus Bellarminus, *De Ecclesia*, l. IV, c. IX, pro sexta nota veræ Ecclesiæ ponit « conspirationem in doctrina cum Ecclesia antiqua ». Cum autem contra Protestantes dimicet, nomine Ecclesiæ antiquæ intelligit Ecclesiam quindecim primorum sæculorum, quam apostolorum doctrinam retinuisse omnino certum est. Eadem ratione certamen cum Græco-Russis accipere possumus quantum ad Ecclesiam octo primorum sæculorum. Propositum criterium nostræ causæ omnino favet.

novationes, quas ei exprobrare consueverunt, præsertim vero ob additionis vocis *Filioque* ad Symbolum, quandoquidem hanc unam victoriam speciosam ac ficticiam præstantiam adversus illam sibi promittere poterant. Eam produxerunt patriarchæ orientales in *Responsis ad propositiones Anglicanorum Injuratorum de unione pangenda*, anno 1718 datis. Hæc siquidem scribebant :

« Hanc unam, quæ Orientalium est orthodoxorum christianorum, fidem esse veram ac genuinam, epichirimata apodictica multa convincunt. Nos vero, ceteris prætermissis, tria tantum argumenta verum nostrum propositum adjuvantia afferimus. Primum, quod fides nostra cum Domini nostri Jesu Christi doctrina plane concinit, et nihil omnino ab eo recedit. Quæcumque enim dicimus, prædicamus et dogmatizamus, hæc omnia in sacris scripturis invenimus absque mutatione exposita; *quæ etiam sancti apostoli prædicaverunt et verbis et scriptis, sanctæque œcumenicæ synodi sanxerunt et firmaverunt*; cæteris autem religionibus minime licet suas quoque doctrinas ex sacris scripturis depromptas ostendere [1]. Secundo, quod vera Jesu Christi fides apud nullos alios permansit ac servata est. Cum enim ante Lutherum et Calvinum hæc neque apud Papistas neque apud alias sectas exstaret, portæ autem inferi adversus Ecclesiam prævalere non possint, necesse omnino est illam apud Græcos orientales servatam fuisse [2]... Tertium argumentum habemus, quod ceteræ hæreses et sectæ intentatum nihil relinquunt, ut seipsos ostendant huic nostræ unicæ veræ fidei consentientes; illud enim cum demonstraverint, omnia se consecutos esse existimant et se tanquam orthodoxos a ceteris gentibus, simplicioribus præsertim, habitum iri et hoc præcipuo pacto suas doctrinas plerisque probabiles reddituros [3]. »

1. Hic patriarchæ quasdam novitates latinas enumerant : communionem sub una specie, titulum capitis Ecclesiæ Papæ tributum, processionem Spiritus Sancti etiam a Filio.

2. Non omnia verba, sed sensum hujus paragraphi referimus.

3. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVII, col. 397-404 : « τοῦτο γὰρ ἀποδείξαντες, οἴονται ἔχειν τὸ πᾶν καὶ ὡς ὀρθόδοξοι παρὰ τοῖς ἄλλοις ἔθνεσι νομίζεσθαι. » Vide quomodo lucrum faciant ex recursu ad fidem Ecclesiæ græco-russicæ, qui tum Catholicis tum Protestantibus sæculo XVII solennis fuit.

Eamdem demonstrationis rationem plerosque theologos russos sæculi XVIII, Theophanis Procopovitch discipulos, amplexos fuisse comperimus. Hoc, ut videtur, exinde provenit quod hujusmodi ratio valde sit affinis duplici criterio a Protestantibus proposito, nempe rectæ verbi Dei prædicationi necnon rectæ sacramentorum administrationi. Notum est enim Theophanis discipulos influxui theologiæ protestanticæ prorsus fuisse obnoxios. Ita Theophylactus Gorskii hoc duplici criterio veram Ecclesiam discernit :

« 1º Ibi est vera Christi Ecclesia, ubicumque est professio integra, non diminuta in essentialibus ac necessariis ad salutem, quæ fuit in primitiva Ecclesia; 2º Ibi vera Ecclesia esse non potest, ubi integra non est illa professio, sed diminuta et contraria illi primitivæ Ecclesiæ seu in toto seu in parte. Hinc a vera Ecclesia excluduntur hæretici, schismatici et persecutores [1]. »

Ut veritatem Ecclesiæ græco-russicæ demonstret, Plato Levkhin sequentia profert :

« Veritas nostræ Ecclesiæ græco-russicæ argumentis firmatur indubiis, quatenus inde ab apostolorum ævo usque nunc integras servavit non solum fidem ab eis prædicatam, verum etiam antiquas Ecclesiæ traditiones... Exinde colligimus nostram Ecclesiam orthodoxam non solum esse veram, sed et solam et eamdem esse a constitutione mundi [2]. »

Idem criterium proponunt Iacynthus Karpinskii [3], hieromonachus Juvenalis [4], Irenæus Falkovskii, qui ad aliquam sanctitatis notam insuper provocat his verbis :

« Illa Ecclesia, in qua nulli peccatores ad seriam vitæ emendationem adducuntur vera esse nequit; e contra, illa quæ pessimos etiam et improbissimos aliquos ab omnibus ipsorum pristinis vitiis liberare et in constanti pænitentia ad mortem usque conservare valet, falsa esse non potest [5]. »

1. *Op. cit.*, p. 271-272; cf. supra, p. 574, definitionem apostolicitatis ab eodem traditam.

2. *Op. cit.*, pars II, § 28, ed. g., p. 129-130.

3. *Compendium orthodoxæ theologicæ doctrinæ*, Lipsiæ, 1786, p. 168.

4. *Systema christianæ theologiæ* (russice), Mosq., 1806, pars III, p. 47.

5. *Christianæ orthodoxæ dogmatico-polemicæ theologiæ... compendium*, ed. Mosq., 1802, t. II, p. 150-151.

In suis *Dialogis de orthodoxia orientalis Ecclesiæ catholicæ*, Philaretus Drozdov inde probare vult Ecclesiam græco-russicam non esse schismaticam, sed peccatum schismatis in Ecclesiam occidentalem refundendum esse, quod illa integritatem Symboli immutabiliter custodiat; item, quod in sua ordinatione ecclesiatica conservet omnia et ea sola, quæ septem concilia œcumenica decrevere [1].

Sæculo XIX, Macarius Bulgakov ejusdem rationis apologeticæ præcipuus patronus exstitit in sua *Introductione in theologiam orthodoxam*. Primum, tum duplicis criterii Protestantium, tum demonstrationis per quatuor notas Symboli censuram agit. De hac ultima dicit eam omni efficacia carere, quod quatuor proprietates in Symbolo notatas nulla auctoritas infallibilis definierit. Aliter, inquit, scriptores Romani eas explicant paulo aliter nos ipsi, ut nostræ Ecclesiæ veritatem astruamus; unde arbitrariis interpretationibus ac partium studio via lata aperitur. Postea suum criterium his verbis concipit :

« Vera Ecclesia illa est, quæ vere et absque mutatione conservat *infallibilem doctrinam antiquæ Ecclesiæ universæ*, et ei fidelis perstat in omnibus [2]. »

Hoc criterium, inquit, non solum vacat defectibus, quibus laborant aliæ duæ demonstrationis viæ, sed etiam omnibus potitur dotibus principii veri nominis. Est enim : 1° *plene clarum ac certum*, cum restringatur *ad infallibiles definitiones conciliorum œcumenicorum* necnon *ad unanimem doctrinam omnium Patrum Ecclesiæ*; 2° *est principium fundamentale*, maximum habens momentum pro omnibus. Ei vere jus competit tribunalis supremi ad quæstionem dirimendam de orthodoxia hujus vel illius Ecclesiæ particularis. Hanc Ecclesiæ universæ infallibilitatem agnoscunt Romano-Catholici; hanc recipere debent Protestantes, cum in sacra Scriptura fundetur; 3° *non est obnoxium partium studio* et particularium Ecclesiarum arbitrario judicio; judex enim constituitur antiqua Ecclesia universalis in sua propria immutabili stricte definita doctrina [1].

1. *Op. cit.*, *versio græca Valliani*, p. 54 : « Τοῦτο δὲ ἄθικτον τοῦ συμβόλου ἀπαρασαλεύτως φυλάττει καὶ μέχρι τοῦδε ἡ Ανατολικὴ 'Εκκλησία, καθὼς καὶ ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ διατάξει αὐτῆς διατηρεῖ πᾶν καὶ μόνον ὅ, τι ἐθεσπίσθη ὑπὸ τῶν ἑπτὰ οἰκουμενικῶν συνόδων »
2. *Op. cit.*, ed. 5, Petropoli, 1884, p. 389.

Addit theologus russus alteram remanere viam ad quæstionem de veritate Ecclesiæ solvendam, scilicet novum concilium œcumenicum. At vero, ait, talis via nequaquam necessaria est; siquidem novum concilium vere legitimum sententiam ferre non posset antiquis conciliis œcumenicis et unanimi Patrum doctrinæ haud consonam, quia infallibilitatis auctor unus est, nempe Spiritus Sanctus [2].

His positis, quæstionem dirimit ad normam principii accepti. Unice veram invenit Ecclesiam græco-russicam. Contra Protestantes, demonstratio nimis facilis : per se patet. Contra Catholicos duæ potissimum proferuntur criminationes, scilicet additio vocis *Filioque* ad symbolum œcumenicum; introductio novi dogmatis de primatu Papæ, de suprema ejus potestate ut vicarii Christi in Ecclesiam universam et in omnes ejus episcopos. Hoc novum dogma multis canonibus conciliorum œcumenicorum adversatur scilicet : 1° canoni sexto concilii Nicæni I, quo asseritur antiqua æqualitas omnium episcoporum præcipuarum civitatum imperii Romani; 2° canoni tertio secundi concilii œcumenici; 3° vigesimo octavo canoni Chalcedonensi; 4° trigesimo sexto canoni Trullano; 5° octavo canoni concilii tertii (Ephesini), quo statuitur, ut unicuique provinciæ integra et inviolata serventur jura ab initio habita, et vetatur episcopis alienæ provinciæ invasio [3].

1. *Ibid.*, p. 390-391.
2. *Ibid.*, p. 393.
3. *Ibid.*, p. 397-406. Impetibus Macarii in Ecclesiam catholicam jam responderunt Russi haud pauci, ii scilicet, qui quæstionem de processione Spiritus Sancti *ab utroque* inter *theologumena* remiserunt, et quicumque confessi sunt Romanum Pontificem in antiquam Ecclesiam verum jurisdictionis primatum exercuisse, non reclamantibus sed sæpe approbantibus aliis episcopis. Criterium Macarii non sufficere ad dignoscendam veram Ecclesiam ipsi Græci hoc modo arguere poterunt : « Habemus, dicent, Ecclesiam bulgaricam; omnia omnino tenet quæ tu requiris quoad doctrinam Ecclesiæ antiquæ. Atqui illa Ecclesia nobis est schimatica, anathemati subjecta, extra veram Ecclesiam posita. »

Inter recentes Macario assentiunt Alexander Bieliaev [1], Græcus Sakellaropulus [2], Gegle [3], etc.

III. — Alia veræ Ecclesiæ criteria a quibusdam proposita.

Sæculo XVII, Metrophanes Critopulus ut præcipuas veræ Ecclesiæ notas (τὰ κυριώτερα γνωρίσματα) habebat quatuor sequentia :

1° Quod omnes ejus doctores et pastores consentiant, et in omnibus inter se concordent, id quod in aliis non reperitur, quandoquidem harum sectarum præpositi et scribere et dicere alii contra alios non pauca apparent [4];

2° Promptam ac prudentem docilitatem ad recipiendum absque ulla additione vel detractione quidquid a multis fide dignis traditum est ac contestatum, seu piam ac moderatam credulitatem [5];

3° Quod ea neminem persequatur sed persecutionem potius ab omnibus perpetiatur, nec persecutionibus cedat, sed iis constanter resistat et divina virtute prævaleat [6];

4° Quod fideliter et sincere servet verbum Dei a Deo per prophetas et apostolos revelatum et sibi concreditum. Hanc notam dicit omnium manifestissimam [7].

Harum notarum prima ad unitatem fidei recidit; secunda est nimis vaga et incerta, quanquam non omni vi caret contra Protestantes liberi examinis sectatores; tertia ad invictam stabilitatem reducitur; quarta ipsa est doctrinæ apostolicitas.

1. *O. soedinenii Tserkvi* (*De Ecclesiarum unione*), p. 68. Criterio Macarii addit tamen Bielaev « consonantiam cum Ecclesia antiqua universali *in præcipuis principiis* regiminis et ordinationis canonicæ. »
2. Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον, Athenis, 1898, p. 8.
3. Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Patris, 1899, p. 66-67.
4. Criterium dirigitur contra Protestantes. Contra Ecclesiam græco-russicam facile quis illud detorquebit.
5. Non verba, sed sensum Metrophanis referimus.
6. Neque Ecclesia byzantina, neque Ecclesia russica mansuetudine fulsit erga hæreticos et heterodoxos.
7. *Confessio fidei*, c. VII, Kimmel, t. II, p. 103-104. Postquam dixit Ecclesiam græco-russicam servare fideliter verbum Dei, Metrophanes tradit canonem Scripturarum, ex quo contra communem Ecclesiæ græcæ traditionem expellit libros deuterocanonicos Veteris Testamenti.

Quatuor patriarchæ orientales, in *Epistola encyclica ad omnes orthodoxos* anno 1848 data, Ecclesiæ græco-russicæ veritatem arguunt : 1° ex hoc quod fideliter retineat doctrinam Evangelii, apostolorum et conciliorum œcumenicorum; 2° quod corpus ejus pastorum ordoque monachorum antiquam servet in moribus, in gradibus et in ipso vestitu gravitatem; 3° quod persecutionem semper patiatur [1].

Bernardakis criterii a Macario explicati censuram agit, quod et universalitate et necessitate carere pronuntiat; universalitate, quia Protestantes non admittunt talem Ecclesiam œcumenicam, qualem a priori ponit theologus russus; necessitate, quia simplex conservatio antiquæ doctrinæ non est sufficiens veritatis Ecclesiæ indicium. Unde huic indicio, quod ipse retinet, duo adjicienda putat, videlicet rectam sacramentorum administrationem et regimen ad normam constitutionum apostolorum et conciliorum [2].

Alexander Svietlakov, episcopus Mogiaiskiensis, quinque notas enumerat scilicet : septenarium sacramentale; hierarchiam ecclesiasticam divinitus constitutam; unitatem et immutabilitatem doctrinæ; ecclesiarum particularium concordiam in omnibus quæ ad Ecclesiæ essentiam pertinent; media efficacia ad salutem hominum procurandam [3].

Juxta A. S. Glagolev, tres sunt veræ Ecclesiæ notæ : 1° doctrina vera; 2° doctrina cohærens, quæ nempe inter se

1. Mansi-Petit, t. XL, col. 413 : « Ses pasteurs, son honorable corps sacerdotal, son ordre monastique conservent cette antique et pure gravité des premiers siècles du christianisme, et dans la graduation de leurs dignités et dans leur genre de vie, et jusque dans la simplicité de leurs vêtements. Contre ce saint bercail se sont continuellement précipités et se précipitent encore de nos jours des loups ravisseurs, suivant la prédiction de l'Apôtre : preuve que les vraies brebis du suprême pasteur se trouvent en ce bercail. »
2. *Op. cit.*, p. 144-1149 : « Ἡ ἀληθὴς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία εἶνε ἐκείνη, ἥτις α') τηρεῖ ἀλώβητον τὴν διδασκαλίαν, β') τελεῖ προσηκόντως τὰ μυστήρια, καὶ γ') διοικεῖται κατὰ τὰς διατάξεις τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν συνόδων. »
3. *De necessariis notis veritatis sanctæ Ecclesiæ*, Mosquæ, 1891, 1894. Opus novimus ex recensione edita in commentario *Slavorum litteræ theologicæ*, t. I, 1905, p. 153.

pugnantia non admittat; 3° perseverantia historica seu indefectibilitas [1].

Quid de hujusmodi apologeticis rationibus sit judicandum, doctus lector haud ægre inveniet.

ARTICULUS VI

De Græco-Russorum argumentis contra veritatem Ecclesiæ catholicæ.

Demonstratio anticatholica theologorum et polemistarum græco-russorum tota eo spectat, ut ostendat Ecclesiam catholicam carere quatuor proprietatibus et notis in Symbolo expressis.

Multi, inde a Photio ad nostra usque tempora, eam apostolicitate doctrinæ spoliare satis habuerunt, novitates in fide seu hæreses et nova dogmata ei exprobrantes. Hanc unam viam elegerunt antiqui polemistæ byzantini. In periodo moderna, ab omnibus etiam retinetur; sed multi de aliis tribus proprietatibus litem insuper movent. Quænam fuerint præcipuæ novitates, quæ temporum decursu tanquam schismatis causæ prolatæ sunt, in tomo I hujus operis jam diximus [2]. Nostris diebus, plerique repetunt ea quæ habet Macarius Bulgakov, scilicet novitatem simul liturgicam et dogmaticam per additionem vocis *Filioque* expressam, et primatum Romani Pontificis. Eo ipso Ecclesiæ catholicæ denegant tum apostolicitatem regiminis, tum etiam apostolicitatem societatis, seu indefectibilitatem et unitatem historicam [3]. Quidam item inde colligunt eam esse schismatis ream, quatenus addendo ad Symbolum commune fidei voculam *Filioque*, vel nova dogmata definiendo *inconsulta Ecclesia orientali*, unitatem communionis et fraternæ caritatis disruperit [4].

1. *Supernaturalis revelatio et naturalis Dei cognitio extra veram Ecclesiam*, Kharkovii, 1900, p. 408-414.
2. Cf. t. I, p. 374-391.
3. Ita, v. g., A. Lebedev, *op. cit.*, p. 116-117, et in appendice : *Examen operis presbyteri Astachkov*, p. 241.
4. Ita Philaretus Drozdov in *Dialogis de orthodoxia*, v, versio græca, p. 53 sq.

Pauci notæ unitatis eam expertem esse exinde volunt, vel quod antiquam fidei unitatem suis novitatibus fregerit [1]; vel quod multi papæ temporum decursu diversa senserint, et innumerabiles sint opiniones Scholasticorum [2]; vel quod unitas qua gaudet non sit nisi unitas mere externa super obedientia cæca fundata. Juxta A. Lebedev, Ecclesia catholica vera unitate fidei, quæ est in intima ac libera adhæsione, caret [3].

Notam sanctitatis ei quidam auferunt : 1° *sanctitatem mediorum*, quod loco mediationis Christi mediationem Papæ ponat [4]; quod veram morum doctrinam pervertat tenendo infallibilitatem esse a sanctitate subjecti independentem [5]; quod spiritu terrestri ac carnali imbuatur et insignia præ se ferat falsarum sectarum, scilicet partium studium, captionem et rationalismum [6]; 2° *sanctitatem membrorum :* cum Ecclesia catholica spiritum Christi non habeat, sancti latini ad effigiem papismi configurati sunt : spiritu obedientiæ cæcæ et fanatismo ducuntur [7]. Ceterum, ad veram sanctitatem requiritur orthodoxa fides et fraterna caritas [8]. Diversitatem ordinum religiosorum apud Latinos, schismatum et divisionum feracem carpit Nectarius Hierosolymitanus, qui et monachis latinis divitiarum copiam, remissius vitæ genus, abstinentiæ negligentiam exprobrat [9];

1. Ita Ph. Gumilevskii, *op. cit.*, p. 232.
2. Ita Nectarius, *op. cit.*, p. 362 : « Vestrorum enim paparum seriem, qui in multis discordant, habemus... Ad Scholasticos autem vestros quantum et in quantis differant, potissimum seraphicæ vestræ mentes, Aquinas et Scotus, ipsi melius dixeritis. »
3. *Op. cit.*, p. 111.
4. Cf. quæ supra dicta sunt, p. 418 sq.
5. Ita præsertim, A. Lebedev, *op. cit.*, p. 76 sq., et in appendice : *De notis veræ Ecclesiæ*, p. 323-329.
6. *Ibid.*, p. 78 et 353-367.
7. *Ibid.*, p. 118-119.
8. Nectarius, *op. cit.*, p. 304-306. Invehitur præsertim Nectarius contra sanctum Thomam Aquinatem, quod adversus Græcos scripsit, « quasi errores detecturus, cum et ipse erroribus scateret. »
9. *Ibid.*, p. 307-311 : « Si unicam agnoscitis evangelicam perfectionem, quid tandem monastici ordinis nomina pro confusarum observantiarum varietate multiplicatis?... Abstinentia, quæ ab antiquioribus apud vos monachis culta fuit, nunc negligitur, et carnem edere,

3° *sanctitatem charismatum* Ecclesiæ catholicæ idem polemista denegare videtur ubi scribit :

« Ostendite nobis relicta in terra sanctorum corpora; quæ si incorrupta et bene olentia, unguentumque manantia et miracula efficientia conserventur, prout ea quæ apud Orientales monstrantur, et sanctos occidentales recipiemus; sin vero ea vos celetis tanquam visui non exponenda, suspecta sane usque manebunt [1]. »

Ad proprietatem catholicitatis quod attinet, quidam, ut A. Lebedev, eam Ecclesiæ catholicæ deesse dicunt, quod hæc tum unitate historica, id est catholicitate temporis, tum vera unitate interna careat. Unum invenimus, nempe Nectarium, qui excellentiam quoad catholicitatem spatii et personarum præ Ecclesia græco-russica illi abnuat, dum multi inter recentiores, ut vidimus, catholicitatem hujusmodi ut a genuina catholicitatis notione alienam parvipendunt et Ecclesiæ catholicæ ultro relinquunt :

« Vos, qui gloriamini quod per quatuor orbis partes latina lingua et fides personent, ait Nectarius, dicite quot sunt qui latinizent ab Ægypto usque ad Oceanum et per omnem Africam, quæ est maxima et terræ quarta pars? Rarissimi sunt, et illi in portubus, propter mercaturam. Per omnem Arabiam desertam et Petræam et Felicem, quot? Forsan ne quidem unus. Per Achaiam, et Thraciam, et Macedoniam, Græciam et Epirum, Asiam et Pamphiliam et Ciliciam Pontum et Bithyniam, Mysiam et Bulgariam, in plerisque nullus. Per Colchidem et Iberiam, Hircaniam et Persidem, Mediam et Parthiam, apud Elamitas et eos qui ex utraque parte Indos, quot? Nullus. In minori et majori Scythia, in vastissima Moscovitarum monarchia, quæ fere tanta est quanta est Europa christianorum? Fere nullus. Per Syriam et Phænicen, Mesopotamiam et Assyriam et nostras Palæstinas, ubi vos videmus, et a vobis videmur, etiamsi magno auri pondere laborem impendatis ad infirmos demulcendos, quot? Et illi facile numerandi. Quomodo igitur vobis credam dicentibus orbem in Oceano ad vestras accessisse

prout jactitant, aut suprema auctoritate, aut ex privata sua ipsorum doctrina indulgetur. »

1. *Ibid.*, p. 306.

partes, idque sub Hispanorum imperio? Et quomodo de mendaciis gloriamini? Ubi et Britanni et Flandri et Hollandi, qui vestrarum partium non sunt, tantum imperium habent? Si autem fidelium multitudinem inter nos et vos consideremus audeo dicere Russorum solas nationes, quæ nostrarum sunt partium, vobis æquiparandos et æqualis numeri, ac etiam majores et vobis plures esse.. Quomodo igitur catholica respectu loci et multitudinis sit latina Ecclesia, quæ tantum est dispersa, derelicta a suis, et quod præcipuum est, Orientalium demonstratione caret [1]. »

Cum Nectario de ipsius rationariis non litigabimus. Sufficiat hæc transcripsisse ad cautam argumentandi rationem contra heterodoxos commendandam.

ADNOTATIO AD CAPUT OCTAVUM

Quod Ecclesia græco-russica non sit vera Christi Ecclesia: Demonstrationis adumbratio ad Græco-Russos accommodata.

Ecclesiam græco-russicam non esse veram Christi Ecclesiam, theologi catholici demonstrare solent per viam quatuor notarum in Symbolo positarum. Hanc viam nos ipsi in præcedentibus articulis secuti sumus, haud pauca a nostris hactenus vix notata afferentes; quam *objective validam* et vi demonstrativa in se munitam libenter agnoscimus, si quædam excipias ab aliquibus apologetis prolata, quæ contra Græco-Russos nihil vel minus probant [2]. Attamen illam,

1. *Ibid.*, p. 253-256.

2. Ita aliquando Tanquerey, *Synopsis theologiæ dogmaticæ fundamentalis*, ed. 2, 1897, p. 407, exinde colligebat Ecclesiam græco-russicam unitatis nota carere, quod in Ecclesia russica plures sectæ essent. Atqui Russi de suis sectariis seu rascolnikis idem sentiunt quod Catholici de variis sectis Protestantium, quæ ad Ecclesiam catholicam non pertinent. Item, Van Noort, *De Ecclesia*, ed. 3, 1913, p. 144, contra unitatem fidei Ecclesiæ dissidentis urget quod multi ex clericis cultioribus hujus Ecclesiæ protestantismo et rationalismo infecti sint. Græco-Russi ei objicient clericos modernizantes, qui in regionibus catholicis nuper latebant. Idem auctor, p. 153, ut notam sanctitatis Græco-Russis deneget, vitium ebrietatis inter clericos et monachos

utpote nimis implicatam et discrepantibus definitionibus a nostris theologis propositis aliquatenus obscuratam, ad Græco-Russorum positionem parum accommodatam existimamus. Nostro judicio, faciliori ac efficaciori ratione progreditur ille qui, typo trito quatuor notarum derelicto, ad lumen principiorum ab ipsis Græco-Russis admissorum inquiret utrum Ecclesia græco-russica ea omnia revera habeat, quibus ex Græco-Russorum communi doctrina insigniri debet vera Christi Ecclesia. Porro hujusmodi principia a Græco-Russis simul et a Catholicis communiter agnita duplicis sunt generis, scilicet libri Novi Testamenti divinitus inspirati, et traditio Ecclesiæ catholicæ octo priorum sæculorum, saltem prout *clare* manifestatur in Actis septem conciliorum œcumenicorum et in Patrum communi doctrina.

His positis, Ecclesiæ græco-russicæ falsitas sequentibus rationibus, ex aliis multis quæ afferri possent, arguitur :

I. Quantum ad magisterium : A) Vera Ecclesia a Christo accepit dotem perpetuam docendi infallibiliter ipsius doctrinam, secundum illa verba : *Euntes docete... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* (Mat., xxviii, 18-20) — *Spiritus Sanctus docebit vos omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis* (Joa., xiv, 26). Ipsi Græco-Russi hanc dotem veræ Ecclesiæ necessario competere confitentur.

Atqui Ecclesia græco-russica, ex quo ab Ecclesia romana se segregavit, *facultatem docendi infallibiliter de facto amisit*, perpetuis variationibus in docendo semper obnoxia fuit et adhuc manet, nullam controversiam infallibili sententia dirimere potuit neque contra Catholicos, neque contra Protestantes, neque contra ipsos suos fideles inter se pugnantia opinantes. Ipso infallibilitatis organo, scilicet concilio œcumenico, privatur, quamdiu schisma cum Ecclesia catholica perdurat, fatentibus multis ex ejus theologis. Demonstratio paucis contracta est in articulo xii capitis septimi [1]. Ex tota nostra expositione ejus theologiæ dogmaticæ luculente colligitur.

B) Vera Christi Ecclesia totam ejus doctrinam docere debet, nihil vero huic doctrinæ contradicens, secundum illud : *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (Math., xxviii, 20) ; quod per se patet et a nemine ex Græco-Russis negatur.

Atqui Ecclesia græco-russica unum saltem, omnibus obvium et notum, doctrinæ Christi directe contrarium tum speculative, tum *præsertim practice* docet, scilicet dissolubilitatem contractus matrimonialis inter christianos ob multiplices causas (plus quam viginti), quas in *Tractatu de sacramentis* enumeravimus [2]. De matrimonio enim loquens, Christus pronuntiavit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (Math., xix, 6). Concedamus aliquam esse obscuritatem quantum ad adulterium, propter verba in Evangelio Matthæi relata : *excepta fornicationis causa* (παρεκτὸς λόγου πορνείας, μὴ ἐπὶ πορνείᾳ (Math., v, 32; xix, 9) : quis unquam putabit tot divortii causas, ab Ecclesia græco-russica publice et praxi quotidiana per tot sæculorum decursum admissas, et doctrinæ et voluntati Christi non aperte contraire?

C) Vera Ecclesia munus a Christo acceptum et impositum habet docendi omnes gentes, prædicandi Evangelium usque ad ultimum terræ, secundum illud : *Euntes docete omnes gentes... Eritis mihi testes... usque ad ultimum terræ* (Math., xxviii, 19; Act., i, 1, 8).

Atqui, ex quo schisma perfectum est, id est inde a sæculo xii, Ecclesia græco-russica officium prædicandi Evangelium gentibus infidelibus vel heterodoxis ex toto fere neglexit et adhuc negligit, si parva illa et infelicia missionum tentamina excipias, quæ Ecclesia russica recentiori tempore inierat; de quibus quædam supra diximus [3].

russos inolitum memorat : periculosa sane apologiæ ratio! R. Schultes, *De Ecclesia catholica*, Parisiis, 1925, p. 244, tanquam signum manifestum decompositionis Ecclesiæ græco-russicæ habet, quod post bellum novæ Autocephaliæ exortæ sunt, quædam vero aliæ quæ prius existebant, evanuerunt ut in unam solam coalescerent, ut factum est in Yugoslavia et Rumenia. Verum hujusmodi mutationes non sunt nisi consueta applicatio autocephalismi, vi cujus, si omnes Autocephaliæ in unius Status civilis territorio unquam continerentur, unam Autocephaliam, unam numero Ecclesiam constituerent.

1. Cf. p. 525-529; vide etiam, p. 470-473.
2. Cf. t. iii, p. 459-467.
3. P. 555, n. 1; 572, n. 1.

II. Quantum ad conspirationem cum antiqua Ecclesia tum in doctrina tum in regimine. — Vera Christi Ecclesia, utpote indefectibilis et infallibilis, per sæculorum decursum sibi semper constare debet tum in doctrina, tum in constitutione et ordinatione sociali, eademque substantialiter quantum ad hæc duo semper permanere, ita ut, si de doctrina agatur, nunquam rejiciat et neget quæ suo magisterio sive ordinario sive solemni semel docuit. Unde recte dicunt theologi russi veram Christi Ecclesiam cum antiqua Ecclesia octo priorum sæculorum tum in doctrina, tum in regimine conspirare debere.

Atqui Ecclesia græco-russica cum hac antiqua Ecclesia neque in doctrina neque in regimine conspirat, saltem quoad hæc duo : nempe *quoad processionem Spiritus Sancti a Patre per Filium* seu *a Patre et Filio, et quoad primatum jurisdictionis Petri et Romani Pontificis, ejus successoris.* Processio Spiritus Sancti refertur tantum ad doctrinam: primatus Petri et Romani Pontificis ad doctrinam simul et ad regimen.

Antiqua Ecclesia magisterio suo ordinario docuit Spiritum Sanctum non a *Patre solo,* excluso Filio, procedere seu existentiam habere, sed a *Patre per Filium,* ut dixerunt plerique Patres græci, vel *a Patre Filioque* secundum plerosque Patres latinos, vel *ab utroque,* ut dixerunt quidam Latini et quidam Græci. Ipso sæculo viii, apud Græcos, sanctus Joannes Damascenus haud semel docet Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere, ἐκπορεύεσθαι. Idem profitetur sanctus Tarasius in epistola et confessione fidei ad Orientales missa et in septimo concilio œcumenico publice lecta et approbata. Huic doctrinæ communiter contradixit Ecclesia græco-russica, inde a perfecto schismate, quanquam de hac quæstione certam ac definitam sententiam ferre nunquam potuit, ita ut nunc quidam ex ejus theologis quæstionem inter *theologumena* remittant.

De primatu Petri et Romani Pontificis adhuc evidentior apparet antiquæ Ecclesiæ *doctrina* simul et *praxis*; ad quod probandum sufficit lectio Actorum septem conciliorum, vel eorum quæ in tomo i hujus operis scripsimus de primatu Petri et Romani Pontificis apud Byzantinos, ipso Photii

ævo [1]. Quid vero de eodem primatu inde a schismate senserit Ecclesia græco-russica, in præsenti volumine ob oculos habes.

Conclusio haud dubia est : ad quam non magno cum labore quisquis mediocriter doctus pervenire potest, neglectis innumeris illis cavillationibus et argutiis a polemistis antilatinis temporum decursu congestis, considerata insuper et retenta doctrina et praxi liturgiæ byzantinæ, præsertim de primatu, ut supra notatum est [2].

III. Quantum ad unitatem socialem seu communionis. — Ex doctrina Christi et apostolorum, vera Ecclesia debet esse una unitate sociali seu charitatis et communionis, et unum regnum, unum ovile, unum corpus efficere. Hanc unitatem ipse Christus dedit tanquam signum et criterium Ecclesiæ a se fundatæ : *In hoc,* inquit, *cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Jo. xiii, 25). — *Ut omnes unum sint..., ut credat mundus quia tu me misisti* (Jo., xvii, 21). Ut supra vidimus, theologi græco-russi hujus unitatis necessitatem agnoscunt.

Atqui hac unitate sociali seu communionis Ecclesia græco-russica de facto caret, ut supra ostendimus. Multi Græco-Russi cum Ecclesia bulgarica communicant; multi eam extra Ecclesiam rejiciunt tanquam schismaticam. Nostris diebus, patriarchas orientales vidimus communionem indiscriminatim servare cum variis factionibus Ecclesiæ russicæ invicem se anathematizantibus et excommunicantibus. Per totum sæculum xix varia fuerunt schismata *particularia* intra cœtum Ecclesiarum autocephalarum.

Hic defectus unitatis socialis arguit defectum unitatis regiminis, quæ revera non existit inter Autocephalias, ut omnibus notum est. Defectus vero unitatis fidei, quæ, ut diximus, quantum ad aliquod veritatum minimum existit, haud paucis discrepantiis inter unam et alteram Autocepha-

1. Cf. t. i, p. 110-153.

2. Cf. supra, p. 334 sq., 375 sq. Facilius sane Græco-Russis demonstrabis primatum Romani Pontificis, vel etiam processionem Spiritus Sancti ab utroque ex certis antiquæ traditionis testimoniis, quam illis persuadebis Ecclesiam græco-russicam proprietate et nota sanctitatis carere.

liam, v. g., inter Ecclesiam russicam et Ecclesiam græcam, exterius manifestatur. Notare satis sit Ecclesiam russicam validitatem baptismi Catholicorum et Protestantium recipere, Ecclesiam græcam vero eosdem habere ac tractare ut meros infideles.

IV. Quantum ad independentiam Ecclesiæ in potestatis spiritualis exercitio. — Christus suam Ecclesiam instituit ut societatem perfectam in persequendo proprio fine ab omni dominio et auctoritate Status terrestris independentem: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo et in terra, Euntes docete...* (Math., xxviii, 18 sq.).— *Ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis* (Marc., xiii, 9). Hanc independentiam in sua agendi ratione ostenderunt apostoli cum Petro dicentes : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act., ii, 29). Hanc Ecclesiæ vindicarunt Patres antiqui, inter quos Joannes Damascenus; pro hac tuenda constanter decertarunt ac certant Romani Pontifices. Hujus prærogativæ veræ Ecclesiæ necessitatem multi theologi græco-russi agnoverunt, ut in capite ix mox dicetur.

Atqui Ecclesia græco-russica hanc independentiam et libertatem tum in docendo frequenter negavit, tum practice *semper* in manus Status abdicavit, Cæsarisque serva facta est. Suprema auctoritas jurisdictionis in rebus spiritualibus apud Græco-Russos a potestate civili de facto detinetur, et post schisma semper retenta est.

V. Quantum ad fructus sanctitatis. — Veræ Ecclesiæ finis proximus et specialis est hominum sanctificatio. Christus enim *dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut sit sancta et immaculata* (Eph., v, 25-27). — *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorum bonorum operum* (Tit., ii, 14). Unde fructuum sanctitatis copiam dat ipse Christus ut suæ Ecclesiæ notam et insigne, secundum illud : *Qui manet in me et ego in illo, hic fert fructum multum... Ego posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (Joa., xv, 5, 16). — *A fructibus eorum cognoscetis eos* (Math., vii, 17, 21).

Atqui, ex quo Ecclesia græco-russica a communione Ecclesiæ romanæ recessit, fructus sanctitatis admodum paucos protulit et nunc etiam profert, ut norunt quicumque in regionibus ubi schisma byzantinum invaluit, aliquamdiu degerunt. Demonstratio brevis allata est in articulo de *Ecclesiæ sanctitate*.

Omnes defectus, quibus laborat Ecclesia græco-russica et ex quibus constat illam non posse haberi ut veram Ecclesiam a Christo fundatam, illi veniunt ex eo quod Petrum non habet, quod Petram dereliquit super quam Christus Ecclesiam suam ædificavit. Petrus enim seu Papa in Ecclesia catholica est *principium unitatis, principium infallibilitatis, principium progressus et fecunditatis, principium independentiæ et libertatis.* Dissidentes illum non habent nisi ut principium servitutis quantum ad alios Ecclesiæ pastores. Est autem sub hoc respectu non principium servitutis, sed principium obedientiæ. Nil mirum quod Christus, qui *factus est obediens usque ad mortem*, et ad hoc venit, ut regnum Satanæ, id est, regnum superbiæ destrueret, suæ Ecclesiæ pastores super virtutem obedientiæ stabiliri voluerit. Ad hoc sane animum non attendunt qui in primatum Romani Pontificis tam vehementer insurgunt.

CAPUT NONUM

DE ECCLESIÆ ET STATUS MUTUA HABITUDINE AC SOCIETATE EX GRÆCO-RUSSORUM DOCTRINA ET ECCLESIÆ GRÆCO-RUSSICÆ HISTORIA

Prænotamina.

Gravissima quæstio de Ecclesiæ et Status mutua habitudine ac societate in compendiis theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum vix tangitur; neque in hujusmodi operibus articulum specialem invenies de proprietate Ecclesiae quam nostri theologi vocant *perfectionem seu independentiam*. Hanc independentiam implicite tantum asserunt, ubi de triplici sacræ hierarchiæ potestate, docendi scilicet, regendi ac sanctificandi, tractant, et quidem omnino breviter; nec quæstionem movent de Ecclesiæ potestate in res externas et temporales. Quæstiones hujusmodi canonistis relinquunt; quos consulere debuimus ad præsens caput conscribendum. Eorum autem multi de principiis parum curant, et quæstionem præsentem potius historice investigant; in ipsis vero factis historicis narrandis et interpretandis inter se non consentiunt. Quidam enim omnia quæ fuerunt inveniunt laudabilia; quidam vero rerum veritati satis vicinum judicium proferunt.

Istud sane caput de Ecclesiæ et Status mutua societate ex iis unum est, in quibus doctrina speculativa theologorum vel canonistarum a vera praxi maxime discrepat. Unde animum attendere opus est non solum ad illam, sed etiam ad istam, si veritatem assequi velis. Utramque breviter exponere aggredimur in quinque articulis, scilicet :

1º De Byzantinorum variis sententiis circa Ecclesiæ ac Status mutuam societatem;

2º De vero usu Byzantinorum;

3º De mutua Ecclesiæ ac Status societate apud Russos;

4º Græcorum, Serborum et Rumenorum doctrina de eadem quæstione;

5º De Ecclesiæ ac Status mutua societate in Autocephaliis recentioribus.

ARTICULUS I

Byzantinorum variæ sententiæ de Ecclesiæ ac Status mutua societate.

Ut in tomo I hujus operis diximus [1], multo ante schisma perfectum apud Byzantinos invaluerat illa ratio societatis inter Ecclesiam et Statum, quæ cæsaropapismus audit. Hanc sæpius approbare visi sunt patriarchæ et episcopi orientales [2]; huic vero quidam sancti Patres et doctores reclamaverunt, pro tuenda Ecclesiæ libertate atque independentia fortiter certantes, inter quos eminent Maximus Confessor, Joannes Damascenus, Theodorus Studita. Post schisma autem admodum paucos reperimus independentiæ Ecclesiæ defensores, multos vero cæsaropapismi fautores.

Mirandum est sane quod ipsi imperatores byzantini, in quibusdam effatis suis et legibus, independentiæ Ecclesiæ, immo ejus præcellentiæ super Statum aliquatenus suffragari visi fuerint. Ita Basilius Macedo in ultima sessione concilii œcumenici octavi (870) his verbis Patres allocutus est :

« Laico cuicumque nulla ratione de ecclesiasticis causis disputandi, aut universam Ecclesiam œcumenicamque synodum oppugnandi fas esse dico. Hoc enim investigare et quærere patriarcharum, pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui

1. P. 66 sq.

2. Cf. *ibid.*, p. 100-101. Aliud exemplum habes in iis, quæ ad populum dixit patriarcha Constantinopolis, Joannes II (518-520), occasione institutionis synaxis pro concilio Chalcedonensi commemorando (15 et 16 julii, 518) : Patriarcha hanc solemnitatem instituere recusat absque prævio consensu imperatoris; cf. Mansi, *op. cit.*, t. VIII, col. 1058-1066; S. Salaville, *La fête du concile de Nicée et les fêtes de conciles*, in *Echos d'Orient*, t. XXIV, 1925, p. 445-470, speciatim, p. 457, 460.

ligandi et solvendi potestatem habent; qui ecclesiasticas et cælestes adepti sunt claves; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel a ligamento solvi egemus. Nam laicus, etsi omni pietatis et sapientiæ laude præstat, tamen, donec laicus est, ovis vocari non desinet... Quæ ergo nobis ratio est in ordine ovium constitutis pastorum verbo subtiliter discutiendi, et ea, quæ super nos sunt, quærendi et ambiendi? Oportet nos cum timore et fide sincera hos adire et a facie eorum vereri, cum sint ministri Domini omnipotentis... et nihil amplius quam ea quæ sunt nostri ordinis requirere [1]. »

Idem Basilius, in *Epanagoge,* unionem Ecclesiæ et Status confert cum unione animæ et corporis seu formæ et materiæ. Ibidem dicit imperium seu Statum esse quasi quoddam corpus animatum seu compagem humanam, cujus duo præcipua membra sunt imperator et patriarcha. Ex eorum conspiratione et in omnibus consensione pendent subditorum pax ac felicitas tum quoad animam, tum quoad corpus. Utriusque, imperatoris scilicet et patriarchæ, quasi duorum æqualium, officia et jura describuntur [2]. Ex hac intima unione, seu potius mutua compenetratione et περιχωρήσει utriusque potestatis, factum est, ut canones ecclesiastici vim legum civilium ab imperatoribus acceperint, et vice versa, leges civiles ab Ecclesia pro canonibus in quibusdam materiis habitæ fuerint. In casu vero discrepantiæ et contradictionis canonum et legum, communiter traditum est canones prævalere et leges civiles eis adversantes irritas esse [3]; ex

1. Mansi, *op. cit.*, t. xvi, col. 188, 407 D.
2. « Εἰκονικῶς τεθείκαμεν μετὰ τὴν σωματοποίησιν οἱονεὶ τῆς πολιτείας ὥσπερ καὶ τὴν ψυχογονίαν συντάξαντες, ἢ καθάπερ ὕλῃ τῇ πολιτείᾳ τὸ εἶδος, ἤγουν τὴν Ἐκκλησίαν, συντεθεικότες... Τῆς πολιτείας ἀναλόγως τῷ ἀνθρώπῳ συνισταμένης τὰ μέγιστα καὶ αναγκαιότατα μέρη βασιλεύς ἐστι καὶ πατριάρχης. » *Epanagoge*, ed. Zachariæ, *Jus græco-Romanum*, Lipsiæ, 1852, p. 65 sq.
3. Ita in *Syntagmate* seu *Nomocanone quatuordecim titulorum, tit.* I, c. ii : πῇ μὲν ὅτι οἱ κανόνες ὡς νόμοι κρατοῦσι, πῇ δὲ ὅτι τοῖς κανόσιν οἱ νόμοι ἀκολουθοῦσι, καὶ βιβλίον α', διατάξει ιϐ', ὅτι οἱ τοῖς κανόσιν ἐναντιούμενοι πραγματικοὶ ἄκυροί εἰσιν. » *P. G.*, t. civ, col. 456. Idem tenent Balsamon et Matthaeus Blastares, Rhallis et Pothis, Σύνταγμα τῶν ἱερῶν κανόνων, t. i, p. 38, 52, 60, 68, 73, 315; t. vi, p. 317.

quo sane excellentia quædam Ecclesiæ præ Statu agnoscitur. Adsunt tamen textus huic effato oppositi. Ita, Leo Sapiens in novella septima statuit legem rebus magis consentaneam canoni minus utili præferendam esse; et vice versa [1]; quod omnem canonum præcellentiam tollit et paritatem inter leges et canones inducit.

Item utriusque potestatis æqualitatem edocet imperator Joannes Comnenus in *Litteris ad Honorium papam II de unione Ecclesiarum* :

« Duas istas divisas res circa omnem nostram conversationem ratio novit... Earum una spiritualis potestas est, quæ a magno et primo mundi pontifice, pacifico rege Christo, sacris ejus discipulis et apostolis data est, donum præcipuum, per quod ministri sermonis omnium hominum gesta et ligant et solvunt secundum divinam voluntatem. Altera vero mundana corporalisque potestas lege divina ac dispositione auctoritatem habens etiam ipsa, secundum quam rationem et omnium Dominus quæ sunt Cæsaris reddi jussit. Hæ duæ res nostram vitam continentes separatæ quidem sunt ac diversæ, sicut prædictum est; unitæ vero atque connexæ commodiores fiunt, altera alteram adjuvante et utraque supplente alterius defectum. Hinc quidam, quod in Evangelio a summo discipulorum de duobus gladiis dictum est, quos sufficientes esse respondit Salvator, de duobus istis principatibus intellexerunt, quandoquidem utraque potestate res nostræ pariter indigent. Quanto magis ergo utriusque unionem ad vitæ nostræ utilitatem conferre ratio suadet, tanto majus efficit malum et nocumentum utriusque separatio [2]. »

Ad theologos autem et canonistas quod attinet, multi

1. « Ἐπείπερ ἐφαίνετο τῆς πολιτείας ὁ νόμος μᾶλλον τοῦ ἱεροῦ νόμου τὸ ἄσφαλες τοῖς πράγμασι παρεχόμενος, ἐκείνῳ παρέσχομεν τὴν προτίμησιν. » C. E. Zachariæ a Lingenthal, *Jus græco-romanum, pars III, Novellæ constitutiones*, Lipsiæ, 1857, p. 78.
2. Apud A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum*, Vindobonæ, 1872, p. 4-6 : « Ταῦτα τὰ δύο συνεκτικὰ τῆς καθ' ἡμᾶς ζωῆς πράγματα διῃρημένα μὲν εἰσὶ καὶ διάφορα, καθὼς εἴρηται, ἑνούμενα δὲ καὶ συναρμοζόμενα λυσιτελέστερα γίνεται, θατέρου τῷ ἑτέρῳ προσϐοηθοῦντος καὶ ἀναπληροῦντος ἑκατέρου τὸ τοῦ ἑτέρου ὑστέρημα. »

Agapeti diaconi, in *Capitibus admonitoriis ad Justinianum* vestigia premunt, imperatorique tribuunt supremam etiam in res ecclesiasticas auctoritatem seu jurisdictionem. Bal, samone teste, aliqui docebant « imperatorem neque legibus-neque canonibus obnoxium esse, et ideo in ejus potestate esse episcopatus in metropoles erigere et a propriis metropolibus alienare; similiter etiam antistitum terminos dividere, et de novo episcopos et metropolitanos constituere; jubere episcopis, ut absque ullo præjudicio in alienis diœcesibus sacra facere, invitis etiam locorum ordinariis, et alia hujusmodi episcopalia jura exercere possunt [1]. » Ipse Balsamon eorum sententiam probat, qui imperatorem ad canones servandos non teneri opinabantur [2], effatumque refert inter civiles judices tritum, scilicet imperatoriam potestatem omnia facere posse, v. g., episcopos civili tribunali mancipare, vel, e contra, laicos episcoporum judicio subjicere [3]. Ipse imperatorem in hoc patriarcham præcellere pronuntiat, quod imperator et corporum et animarum curam gerat, patriarcha vero animarum tantum [4].

Demetrius Chomatenus, sæculi XIII canonista illustris, supremam jurisdictionem in Ecclesiam imperatori aperte tribuit, quem nomine communis *epistemonarchæ* Ecclesiarum, id est, doctrinæ fidei ac disciplinæ ecclesiasticæ præsidis, decorat :

« Imperator enim, inquit, ut communis Ecclesiarum ἐπιστημονάρχης existens et nominatus, synodalibus præest sententiis et robur tribuit, ecclesiasticos ordines componit, et legem dat vitæ politiæque eorum, qui altari serviunt; immo judiciis episcoporum clericorumque et vacantium Ecclesiarum suffragiis præpositus est. E minore etiam gradu ad majorem eas evehit, ab episcopatu videlicet in metropolim,

1. *In can. 16 Carthag.*, *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 93 B : « καὶ προστιθέασιν ὡς ὁ βασιλεὺς οὔτε νόμοις, οὔτε κανόσιν ὑπόκειται. »
2. *Ibid.*
3. *In can. 15 Carthag.*, *P. G.*, *ibid.*, col. 74 D : Ἡ βασιλικὴ ἐξουσία πάντα δύναται ποιεῖν. »
4. *Meditata sive Responsa de patriarcharum privilegiis*, *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 1017 D : « Τῶν μὲν αὐτοκρατόρων ἡ ἀρωγὴ πρὸς φωτισμὸν καὶ σύστασιν ἐπεκτείνεται ψυχῆς τε καὶ σώματος, τὸ δὲ μεγαλεῖον τῶν πατριαρχῶν εἰς μόνην ψυχικὴν ἐστενοχώρηται λυσιτέλειαν. »

vel viri alicujus virtutem vel civitatem ornans... Et ut uno verbo dicam, solo sacrificandi excepto ministerio, reliqua pontificalia privilegia imperator repræsentat (εἰκονίζει), quando legitime canoniceque agit [1]. »

Demetrio plane consonat Macarius ille Ancyranus, cujus doctrinam de suprema imperatoris potestate in omnia, quæ ad concilium œcumenicum convocandum, dirigendum, regulandum, confirmandum spectant, supra retulimus [2]. Idem auctor imperatorem habet ut pontificem et sacerdotem et fidei doctorem, qui una excepta sacrificii oblatione, episcopis in omnibus æquiparetur, atque a Deo acceperit non solum regni, sed etiam ipsius Ecclesiæ gubernacula, sitque Ecclesiæ ἐπιστημονάρχης et defensor a Christo constitutus [3]. Habemus sane in his verbis veri cæsaropapismi delineationem.

Qui huic immodicæ atque anticanonicæ prorsus auctoritati imperatoris in res ecclesiasticas contradixerint ad modum pauci fuere per totam epocham byzantinam. Imperatoriis placitis quidam patriarchæ œcumenici restiterunt, præsertim in rebus ad fidem pertinentibus; qui a sua sede plerumque violenter pulsi sunt. Inter theologos autem qui doctrinæ cæsaropapisticæ quadamtenus reclamaverunt nominandus est Simeon Thessalonicensis, qui in suo *Tractatu de sacris ordinationibus* invehitur in signa submissionis et obsequii, quæ episcopus recenter ordinatus, ex quibusdam abusibus haud pridem introductis, imperatori exhibet; siquidem coram eo sedente se sistit *ejusque manum deosculatur*. Contra talem sacerdotii servitutem jure indignatur Simeon necnon in alia jura pontificalia ac vere papalia Cæsari tributa :

1. *Responsa ad Constantinum Cabasilam*, apud Leunclavium, *Jus græco-romanum*, l. V, p. 317 : « Ὁ βασιλεὺς γὰρ οἷος κοινὸς τῶν Ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης καὶ ὢν καὶ ὀνομαζόμενος, καὶ συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται καί, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πλὴν μόνου τοῦ ἱερουργεῖν, τὰ λοιπὰ ἀρχιερατικὰ προνόμια σαφῶς εἰκονίζει ὁ βασιλεὺς ἐφ' οἷς πράττει νομίμως τε καὶ κανονικῶς. »
2. Cf. supra, p. 499 sq.
3. *Op. cit.*, c. CXI, p. 194-195 : « Ὡς τῆς οἰκουμένης συμπάσης τοὺς οἴακας πρὸς Θεοῦ ἐγκεχειρισμένος ἐπιστημονάρχης τε ὢν καὶ δεφένσωρ τῆς Ἐκκλησίας, καὶ ταύτην δὲ αὐτῷ τοῦ Χριστοῦ παραθεμένου. »

« Vide quantum et quale sit id quod fit. Sanctificatus Spiritu, consecratus episcopus, qui manum habet sanctificatam, ita ut possit et ordinare et benedicere, et cruce signare viros pios, ipse manibus ligatur. Manus vero ad benedicendum non consecratas, sed mundanas et bellicosas labiis sacris et sanctificatis, quæ jam heri et unoquoque die tremendam communionem attingunt, non tantum serviliter osculatur, sed etiam sedenti imperatori adstat... In Christum recurrit dedecus... Verum, ista non tam ab imperatoribus quam ab adulatoribus fiunt, qui eos humanis verbis falsa persuasione *commovent ad majora perpetrandum*, ita ut audeant promovere episcopos et translationes facere. Papæ! ordinatum per Spiritum Sanctum hujus Ecclesiæ pastorem alterius constitui pastorem ab iis qui non habent sacerdotii potestatem et virtutem, et præter Spiritus sententiam! Si ad Ecclesiæ ædificationem oportet aliquem episcopum in majori urbe constitui, hoc a Spiritu statuendum est, a quo et ordinatus est, non autem a mundana potestate... Sed utinam fiat hujus gravissimi mali quædam sanatio, *et quæ sunt Cæsaris dimittantur Cæsari, et quæ Dei Deo*, ut omnia fiant Dei benedictione digna, consistantque sacra et conserventur, atque sæcularia augeantur [1]! »

Non repugnat quidem Simeon omni participationi imperatoris in eligendo et proclamando patriarcha, sed bene monet hanc participationem esse ab Ecclesia concessam Uncto Domini, quippe qui per ritum sacræ chrismationis Ecclesiæ defensor atque *minister* sit constitutus. Senatores imperatoris personam gerentes electum patriarcham his verbis declarant : « Potens et sanctus noster dominus et imperator necnon divina et sacra magnaque synodus advocant sanctitatem tuam ad excelsissimum thronum patriarchii Constantinopolitani. » In sensu obvio hujusmodi verba cæsaropapismum redolent. Simeon vero canonice ea interpretatur in hunc modum :

« His testantur imperatorem non a seipso, sed quæ

1. *De sacris ordinationibus*, c. CCXXIX-CCXXXI, *P. G.*, t. CLV, col. 432-433 : «᾽Αλλ᾽εἴθε γένοιτό τις θεραπεία τοῦ δεινοῦ τούτου, καὶ εἴησαν μὲν τὰ τοῦ Καίσαρος Καίσαρος, τὰ τοῦ Θεοῦ δὲ τοῦ Θεοῦ, ὡς ἂν καὶ ἠξιωμένα ἅπαντα γένοιτο εὐλογίας τοῦ Θεοῦ. »

synodus statuit simul cum ipso pronuntiare et solum ministerium præbere. Unde nugantur quidam rerum novarum inventores, invidia impulsi, cum dicunt : « Imperator patriarcham creat. » Nullo modo id facit imperator sed synodus, ministrante pio imperatore, ut demonstratum est, non tantum quoniam defensor est et imperator ab Ecclesia unctus, sed ut sit cooperator et minister diligens, et firma conservans quæ ad Ecclesiam spectant [1]. »

Vides quantum discrepet Simeonis sententia a doctrina Demetrii Chomateni, Macarii Ancyrani aliorumque cæsaropapismi doctorum. Secundum Simeonem, imperator in quibusdam rebus mere ecclesiasticis peragendis ab Ecclesia tanquam minister, ὑπηρέτης, et cooperator benigne assumitur, utpote qui ab ipsa Ecclesia fuit chrismate unctus ad ejus defensionem ac tutelam. Cæsaropapismi vero doctores imperatorem habent ut visibile Ecclesiæ supremum caput in ordine regiminis et jurisdictionis ab ipso Deo et Christo constitutum.

ARTICULUS II

De vero usu Byzantinorum quantum ad mutuam societatem Ecclesiæ et Status.

Postquam varias imperatorum, theologorum vel canonistarum sententias de mutua Ecclesiæ ac Status societate breviter exposuimus, inquirendum manet utrum theoriæ praxis, doctrinæ facta revera responderint. Facta bene nota sunt, quæ nemo doctus negare potest, ex quibus certo constat Ecclesiæ byzantinæ independentiam in proprio regimine et propriis negotiis nonnisi in speculatione exstitisse; in rerum autem veritate imperatorem caput ejus visibile fuisse, quantum ad supremam in personas et res ecclesiasticas juridictionem, eodem fere modo ac Papa in Ecclesiam catho-

1. *Ibid.*, c. CCXXVI-CCXXVII, col. 440 : « Φλυαροῦσι τοίνυν οἱ λέγοντες καινοτόμοι φθόνῳ βαλλόμενοι, ὡς ὁ βασιλεὺς τὸν πατριάρχην ποιεῖ· οὐδαμῶς γὰρ ὁ βασιλεὺς ἀλλ᾽ ἡ σύνοδος ἐνεργεῖ, ἐξυπηρετουμένου μόνον τοῦ βασιλέως, εὐσεβοῦς ὄντος. »

licam supremam juridictionis potestatem exercet. Unde cæsaropapismi nomen non est merum figmentum Ecclesiæ dissidenti detrahere volentium, sed factis omnino congruit. Hoc non impedit quominus imperatores in commodum Ecclesiæ multa fecerint, adversus heterodoxorum et hæreticorum intestinorum impetus eam tuiti fuerint, privilegiis et bonis temporalibus haud semel illam honoraverint; at vero in eam dominatum semper servaverunt ac usurparunt, de omnibus ad eam spectantibus cognoscere voluerunt, ut propriam provinciam illam administraverunt ac gubernarunt. Byzantii, conditio imperatoris erga Ecclesiam fuit conditio mariti erga sponsam; exstitit verum ejus caput, secundum illud Apostoli : *Caput mulieris, vir* (I Cor., xi, 3). Hic vir autem fuit quandoque procax, irritabilis ac violentus, sui ipsius amator, commodorum sponsæ immemor; quam ut humilem servam haud semel tractavit.

Visne veram hujus mutui consortii indolem quasi de visu perspicere? Lege historiam tentaminum unionis cum Latinis, quæ per totam epocham byzantinam habita sunt. Lege præsertim Acta synodi Florentinæ. Ferraræ ac Florentiæ, præsules græci et ipse patriarcha œcumenicus nihil dicunt, nihil faciunt inconsulto imperatore. Interrogati a Latinis et ab ipso Papa de quibusdam quæstionibus, respondent se non posse de tali capite disputare absque consensu imperatoris; vel si aliquando respondent, Latinos monent se ut privatos loqui, nihil certi proprio marte decernere posse absque imperatoris præsentia ac licentia. Imperator est verus dux, papa et caput Orientalium, quemadmodum Eugenius IV est papa et caput Latinorum; et hi sane majori loquendi, disputandi et opinandi libertate gaudent quam illi. In Actis Florentinis genuinum deprehendis cæsaropapismum, ejus agendi rationem, ejus indolem, ejus in Ecclesiam absolutum dominatum.

Hujus cæsaropapismi existentiam nostris diebus candide confitentur plerique recentes historici et canonistæ græco-russi. De eo præclare disseruerunt Th. Kurganov [1], A. P. Le-

1. *Relationes* (*Otnocheniia*) *inter ecclesiasticam et civilem potestatem in Byzantino imperio*, Kazanii, 1880.

bedev [1], A. Pavlov [2], N. Suvorov [3]. Ex eorum investigationibus colligitur imperatores byzantinos sibi vindicasse tum privilegia quædam liturgica, ex quibus vocabantur ἀρχιερεῖς, tum præsertim supremam ac vere papalem in res et personas ecclesiasticas quascumque jurisdictionem; siquidem:

1º Leges ferebant pro Ecclesia, etiam in rebus mere spiritualibus, præter et contra canones ecclesiasticos, quæ nomine *novellarum*, νεαραί, designabantur. Romanorum Paparum instar, constitutiones de rebus ecclesiasticis bulla aurea signatas (χρυσόβουλλα) edebant. Suam supremam in Ecclesiam jurisdictionem exercebant tum directe, tum per patriarcham a se nominatum et synodum permanentem (σύνοδος ἐνδημοῦσα), cujus decreta approbabant et confirmabant. Harum legum imperialium exempla sequentia habes : novos dies festos instituebant; de canonizandis sanctis haud semel curarunt; proprias leges sub anathematis poena imponebant [4]; dispensationes matrimoniales in gradibus a canonibus prohibitis concedebant; jurisdictionem immediatam in monasteria montis Atho sibi reservarunt [5];

1. *Adumbratio* (*Otcherki*) *historiæ internæ Ecclesiæ byzantinæ-orientalis sæculis* ix, x *et* xi, ed. 2, Mosquæ, 1902, p. 1-84; ejusdem : *Historica adumbratio condicionis Ecclesiæ byzantino-orientalis a sæculo IX exeunte usque ad sæculum XV medians*, ed. 2, Mosquæ, 1902.

2. *Kurs tserkovnago prava* (*Cursus juris ecclesiastici*), Serghiev Possad, 1902, p. 467-474.

3. *Extensio tribunalis disciplinaris et jurisdictionis Ecclesiæ tempore conciliorum œcumenicorum*, c. vi, p. 260-325, Iaroslaviæ, 1884; ejusdem : *Cursus juris canonici*, 2 vol., Iaroslavii, 1890, t. i, p. 62-66, 232-240, 282-284; t. ii, pars 2, p. 456-461; ejusdem : *Enchiridion* (Utchebnik) *juris ecclesiastici*, ed. 4, p. 75-78. Inter Occidentales vero de hac materia consulendi sunt : Petrus de Marca, *De concordia sacerdotii et imperii*, Parisiis, 1704, l. II et IV; Pichler, *Geschichte der Kirchlichen Trennung zwischen dem Orient und Occident von den ersten Anfängen bis zur jungsten Gegenwart*, Monaci, 1864, 2 vol., qui multa testimonia in unum collegit de mutua societate Ecclesiæ et Status tum apud Byzantinos, tum etiam in recentioribus Autocephaliis.

4. Vide *Novellam de seditiosis* a quibusdam Constantino Porphyrogenito, ab aliis Romano III Argyro (1028-1034) tributam, apud Zachariæ, *op. cit.*, pars iii : *Novellæ constitutiones*, p. 320-321 : « Τοῖς μέλλουσιν ἢ ἐπιβουλαῖς ἀπό γε τοῦ νῦν ἐπιχειρεῖν ἢ τουμούλτῳ, ἀνάθεμα. »

5. Cf. Porphirii, episcopum, in *Trudy* Academiæ Kioviensis, 1871-1872 : *Historia montis Atho*.

statuta de Eucharistia recipienda promulgarunt; sententias sacerdotum vel episcoporum in imponendis *epitimiis* seu pænitentiis sacramentalibus pro certis quibusdam delictis aliquando recognoverunt ac resciderunt [1] : integritati fidei invigilabant et in hæreticos proprio motu sæviebant ;

2° Synodos convocabant illisque præsidebant. Eorum definitiones promulgabant. Haud raro accidit, ut ipsi de rebus dogmaticis quasi ex cathedra pronuntiaverint et propriam sententiam vi ac metu episcopis intimaverint ;

3° Patriarcham Constantinopolitanum sibi gratum a synodo eligendum curabant [2]; suis placitis reluctantem deponebant [3]; electioni item aliorum præsulum se immiscebant; quos, data occasione, e sedibus pellebant. Jus illis agnoscebatur supprimendi, creandi, in metropoles mutandi sedes episcopales, earumque territorium circumscribendi [4]. Illis item prærogativa competebat tribuendi episcopis licentiam ferendi τὸν σάκκον [5];

4° Supremum jus inspectionis in Ecclesiam exercebant; unde, ut vidimus, vocabantur ἐπιστημονάρχαι τῆς Ἐκκλησίας. De sententia patriarchali ad imperatorem permittebatur recursus, contradicentibus tamen quibusdam canonistis;

5° Ad prærogativas liturgicas quod attinet, ea omnia imperatori concessa sunt, quæ laico ordinis potestate carenti tribui poterant. Ita, ad altare liber accessus illi patebat secundum canonem 69 Trullanum; pontificum instar, cum

1. Cf. Balsamonem, *In canonem 74 S. Basilii, P. G.*, t. CXXXVIII, col. 781 : Manuel Comnenus rescindit sententiam cujusdam antistitis qui pœnam mitiorem militi homicidæ irrogaverat, et ipsum antistitem pœna suspensionis ab officio ad aliquantum temporis mulctat. Hoc tamen facit per synodum ἐνδημοῦσαν.

2. Tria nomina grata proponebat synodus episcoporum; unum eligebat imperator. Haud raro accidit, ut muneri obeundo impares eligerentur, quorum speciale meritum erat ad placita Cæsaris facilis obsequentia.

3. Depositiones patriarcharum sæculis XIII et XIV frequentes fuere.

4. Cf. supra, p. 602.

5. Σάκκος est quædam tunica, quam loco planetæ seu φελωνίου in celebrando missæ sacrificio episcopi gerunt. Primitus solis tribuebatur patriarchis et metropolitis. Imperatores episcopis τὸν σάκκον concedebant quemadmodum Papa metropolitis pallium confert. Habes hic aliam potestatis papalis imitationem.

tricerio populum benedicebat, thus adolebat; in solennibus processionibus ornamentis pontificalibus indutus incedebat, sermonem ad populum pro libitu faciebat in sacra hierarchia; gradum *deputati* (δεπουτᾶτος) obtinebat, et in ipso sacro faciendo aliquam partem habebat [1].

Hanc rationem societatis inter Ecclesiam et statum, quæ *byzantinismus* vel *cæsaropapismus* vulgo audit, laudandam potius quam improbandam pronuntiant multi Græco-Russi, nec concedere volunt Ecclesiam byzantinam in rebus ecclesiasticis ac spiritualibus suam independentiam revera amisisse. Non infitiantur quidem quosdam abusus exstitisse, imperatores propriæ jurisdictionis fines quandoque transgressos esse et Ecclesiæ sua placita vi imposuisse; addunt vero hanc mutuam utriusque potestatis compenetrationem, quam quidam συναλληλίαν vocant [2], de consensu Ecclesiæ introductam fuisse, in ejus commodum plerumque cessisse, nec illius independentiam in essentialibus læsisse. Hanc thesim contra Occidentales, qui cæsaropapismum in ore semper habent, ubi de Ecclesia byzantina agitur, apologetice propugnare solent [3]; quam ut argumentis fulciant, ad asserta speculativa quorumdam imperatorum et theologorum de utriusque potestatis æqualitate ac independentia, ex quibus aliqua in præcedenti articulo retulimus, provocare solenne habent. At vero, ut jam diximus et ut fatentur recentes historici et canonistæ russi supra laudati, inter doctrinam et usum in hac quæstione distinguere opus omnino est. De facto Ecclesia byzantina Cæsaris dominatui

1. Cf. A. P. Lebedev, *Otcherki historiæ intestinæ byzantino-orientalis Ecclesiæ, sæculis* IX, X et XI, p. 68-71; Suvorov, *Enchiridion juris ecclesiastici, loc. cit.*

2. Ita C. Andrutsus, Ἐκκλησία καὶ πολιτεία, Athenis 1920, p. 9-21.

3. Hanc sententiam præsertim tuetur I. Berdnikov contra N. Surorov, in suo opere : *Osnovyiia natchala tserkovnago prava pravoslavnoi Tserkvi* (*Fundamentalia principia juris ecclesiastici orthodoxæ Ecclesiæ*), Kazanii, 1902. Eidem suffragantur; 1° Apostolus Christodulu, Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον, p. 134-157, qui affirmare non dubitat imperatores contra canones nunquam leges tulisse : οὐδέποτε ἐνομοθέτουν ἀσύμφωνόν τι πρὸς τοὺς κανόνας (p. 142); 2° M. Sakellaropulus, Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον, Athenis, 1898, p. 21-22; 3° Andrutsus, *op. et loc. cit.*; 4° P. Lapin, *op. cit.*, p. 81 sq.

ac præpotentiæ, etiam in mere spiritualibus, resistere non valuit; ejus supremæ ac vere papali jurisdictioni revera subjacuit. Si non fuit semper serva, nupta tamen exstitit mariti voluntati submissa ac subordinata. Hoc non impedit quominus Cæsar multa bona ei contulerit, quippe qui christianus erat, ab ipsa Ecclesia coronatus et chrismate unctus, ejusque defensor vocatus.

ARTICULUS III

De Ecclesiæ et Status mutua societate apud Russos.

In prima periodo suæ existentiæ, id est usque ad concilium Florentinum et imperii byzantini ruinam, Ecclesia russica una fuit ex metropolibus patriarchatus Constantinopolitani, et jurisdictioni patriarchæ œcumenici obnoxia remansit. Metropolitæ Kiovienses qui per hoc tempus exstiterunt, natione Græci et immediate a Byzantinis delecti et missi omnes fuere, quinque tantum exceptis [1]. Cum autem eodem tempore Russia in diversos principatus feudales divisa esset, et inde ab anno 1239 ejus maxima pars in Mongolorum dicionem venisset, singuli principes seu kniazi potestate debiliores erant quam ut Ecclesiam Kioviensem sibi subjicere possent; unde factum est, ut in hac periodo Ecclesia russica aliqua relativa autonomia seu independentia potita fuerit cæsaropapismumque localem evaserit. Ex quo vero kniazi Moscoviæ suum dominatum extendere suamque auctoritatem firmare inceperunt, imperatorum byzantinorum vestigia mox presserunt Ecclesiamque sibi penitus subjecerunt.

Hanc brevem cæsaropapismi russici historicam adumbrationem in quatuor sectiones dividimus. Loquemur: 1º De Ecclesiæ ac Status mutua societate a secundo dimidio sæculi XV usque ad Niconem patriarcham; 2º De contentione sacerdotii et imperii tempore Niconis; 3º De cæsaropapismo

1. Ex his quinque duo ad sedem metropolitanam evecti sunt absque ulla participatione patriarchæ œcumenici; alii tres, in Russia electi, Constantinopolim missi sunt, ut a patriarcha ordinarentur; cf. Suvorov, *Cursus juris ecclesiastici*, t. I, p. 129.

Petri Magni et Theophanis Procopovitch necnon de ratione agendi et opinandi Russorum erga hunc cæsaropapismum; 4º De recentiorum theologorum et canonistarum doctrina circa mutuam utriusque potestatis habitudinem.

I. — De Ecclesiæ ac Status societate in antiqua Russia usque ad Niconem patriarcham [1].

Inde a Constantinopoli a Turcis capta, kniazi et tsari Moscoviæ Ecclesiam russicam ab omni subjectionis vinculo erga patriarcham œcumenicum de facto liberarunt, non quidem ut eam propria independentia frui sinerent, sed ut ipsi, imperatorum byzantinorum instar, eam defenderent, protegerent ac regerent. Kniazi novas diœceses creabant, sedes episcopales mutabant, metropolitas nominabant. Basilius Vasilievitch dicebat : « Qui nobis erit dilectus, metropolita totius Russiæ erit. » Reliquiarum translationes, novas sanctorum festivitates et canonizationes decreto principis fiebant. Inde ab Ivano III (1462-1505), investitura metropolitæ per traditionem baculi pastoralis facta est. Ex quo vero principes nomen imperatoris sive tsari sibi sumpserunt, eorum potestas « ad omnes generatim ecclesiasticæ vitæ partes se extendebat, ita ut, ait Suvorov, aliquid ægre inveneris quod a competentia imperiali exclusum fuerit. Ecclesiastici ritus, canonizatio sanctorum, novorum festorum institutio, ecclesiastica disciplina, monasteriorum reformatio, tribunalis ecclesiastici processus sub imperialis potestatis vigilantiam cadebant [2]. » Tsarus syno-

1. Cf. N. Suvorov, *op. cit.*, t. I, p. 141-146; ejusdem, *De ecclesiasticis pœnis*, Petropoli, 1876, p. 112-120; Macarium, *Historia Ecclesiæ russicæ*, t. VI, VIII, X-XI; præsertim N. Th. Kapterev, *Patriarch Nicon i tsar Alexei Mikhailovitch*, t. II, c. II, p. 50-121, Serghiev Possad, ubi quæstionem ex professo tractat. De constitutione patriarchatus Mosquensis vide magnum opus A. Ja. Chpakov : *Status et Ecclesia eorumque mutua societas in Mosquensi imperio. Regnum Feodori Ivanovitch : Constitutio patriarchatus in Russia*, Odessæ, 1912, XXII-400 p. ; cf. etiam P. V. Verkhovskii, *Constitutio collegii ecclesiastici et ecclesiasticum Regulamentum*, Rostovii, 1916, t. I, p. 11-42.

2. Suvorov, *ibid.*, p. 141 sq., et in *Enchiridio juris ecclesiastici*, ed. 4, p. 93 et 97.

dum episcoporum russorum convocabat, eos omnes qui synodo interfuturi erant ipse designabat, quæstiones examinandas, eas etiam quæ ad vitam intestinam Ecclesiæ spectabant, proponebat, deliberationibus præerat, decreta vel rejiciebat vel approbabat propriaque auctoritate ac nomine promulgabat, ipsorum Actorum synodalium ultimæ redactioni invigilabat [1]. Ipsam patriarchatus Mosquensis institutionem non quidem episcopi russi moliti sunt, sed tsarus paravit ac perfecit, ut constat ex omnibus documentis ad hanc rem pertinentibus [2].

Quid ad hanc continuam immixtionem potestatis civilis in res ecclesiasticas hierarchia russica? Semel et iterum in certis casibus vix reclamavit. Quando Joannes III, Magnus dictus (1462-1505), bona ecclesiastica publicare voluit, clerus eum monere non dubitavit de canonibus ecclesiasticis etiam tsaro necessario servandis, utpote eamdem ac Scriptura sacra auctoritatem habentibus, et ad legem Dei pertinentibus. Item metropolita Philippus II (1565-1568) Joannem IV Terribilem commonefecit ipsum imperatorem ratione peccati subjacere clero, cui data est potestas ligandi atque solvendi [3]. Generatim metropolitæ et episcopi russi hunc cæsaropapismum non solum ratum, sed etiam gratum habuere [4]. Tsari enim Ecclesiæ commoda quærere solebant, privilegiis ac bonis temporalibus eam cumulabant. Cæterum voluntati ac libidini imperiali resistendi nulla facultas. Unde clerus hujusmodi rerum statui a Byzantio hæreditate accepto sensim assuefactus est, eumque legitimum et rebus conformem practice duxit, ad omnem imperatorum in res ecclesiasticas interventum passive se habens.

II. — De contentione sacerdotii et imperii tempore Niconis [5].

Hæc erat Ecclesiæ russicæ habitudo ad potestatem imperialem, quando Nicon ad sedem patriarchalem anno 1652

1. Pavlov, *op. cit.*, p. 168; Kapterev, *op. cit.*, p. 50.
2. Chpakov, p. XI-XII.
3. Verkhovskii, *op. cit.*, t. I, p. 127 sq.
4. Chpakov, p. XII-XV; Verkhovskii, p. 11-42; Kapterev, p. 120-121.
5. Kapterev, *op. cit.*, t. II; W. Palmer, *The Patriarch and the Tsar*,

evectus est; qui principiis catholicis de utriusque potestatis mutua societate imbutus, Cæsaris jugum excutere voluit, Ecclesiamque in proprio ordine liberam ac independentem reddere aggressus est. Tentamen sane ei prospere non cessit. Tsarus enim et vi ei restitit, et ut inceptum canonice infringeret, ad patriarcharum orientalium auctoritatem provocavit, quos adjutores benevolos in hac re invenit. Hoc tamen reformatoris laudi dandum, quod veram doctrinam de proposita quæstione in Oriente publice docuerit verboque ac scripto propugnaverit. Suum propositum mutandi Ecclesiæ russicæ conditionem respectu potestatis sæcularis statim ab initio manifestavit; non enim prius munus patriarchale suscipere voluit quam tsarus, boiari, episcopi totaque natio cum juramento super Evangelium ipsi promisissent se observaturos præcepta et dogmata evangelica, sanctorum apostolorum ac Patrum canones, piorum imperatorum leges, eique, Niconi, tanquam superiori, pastori et patri in omnibus obsecuturos. Sacramentum hujusmodi præstiterunt tsarus et alii.

Secundum Niconem, utraque potestas, ecclesiastica scilicet et sæcularis, duobus gladiis significatur : gladium spiritualem tenet pontifex, temporalem imperator; hoc puniuntur malefactores; illo ligantur animæ. In rebus spiritualibus, quæ Dei gloriam respiciunt, pontifex imperatore excellit; imperator vero præstat **in rebus temporalibus** administrandis. Unde non sibi invicem apponuntur. Pontifici tamen competit aliqua immixtio in res sæculares ad meliorem earum ordinationem, et quatenus illæ religionem et bonum animarum respiciunt; imperator vero nullum jus habet in res ecclesiasticas. Si imperator in legem Dei peccaverit, ad pontificem pertinebit illum non qua imperatorem, sed qua prævaricatorem excommunicationis pœna mulctare. Absolute loquendo, sacerdotium imperio præstat, sicut sol excellit lunam. Perfectum suum splendorem imperator a ponti-

(sex volumina documentorum), Londini, 1871, 1876, præsertim, t. I; *The replies of the humble Nicon by the mercy of God patriarch against the questions of the boiar Simeon Streshneff, and the answers of the metropolitan of Gaza Paisius Ligarides.* In his *Responsis* Nicon suam doctrinam evolvit de Ecclesiæ atque Status mutua societate.

fice accipit, quatenus ab eo coronatur et chrismate ungitur. Potestas sacerdotalis *diebus*, id est, animabus, imperat; potestas imperialis *noctibus*, id est, corporibus, præest. Quanto cælum terra altius, tanto et fine et origine superius imperio sacerdotium. Ecclesia postulante brachii sæcularis auxilium adversus fidei hostes et persecutores, tunc imperator, utpote ejus protector ac defensor, ejus parere debet voluntati, et in hoc potestas civilis ecclesiasticæ subjicitur. Vicissim Ecclesia sua auctoritate spirituali Statum munit eique adjumento est. Patriarcha est vivens imago Christi. Ipse solus est Ecclesiæ rector ac supremum caput, ab imperatoris auctoritate omnino independens, totiusque vitæ civilis ac socialis summus inspector [1].

Ut ex his patet, Nicon de utriusque potestatis mutua habitudine catholice omnino sentiebat. Hæc doctrina nova quidem plerisque Moscovitis visa est atque tsaro Alexio Mikhailovitch summe displicebat; illam vero libenter amplexi sunt episcopi russi, qui tutelam magistratuum imperialium in administranda sua diœcesi excutere mox inceperunt. Quod ut vidit imperator, quatuor patriarchas orientales de Ecclesiæ ac Status mutua societate consulere statuit, eisque viginti quinque quæstiones solvendas proposuit.

Patriarchæ suis responsis, in quibus ambigua quædam occurrunt, thesi cæsaropapisticæ haud obscure suffragati sunt atque doctrinæ Niconis in multis adversati sunt [2]. Dixerunt siquidem : 1° imperatorem esse omnium dominum arbitrumque cujusvis civilis negotii; patriarcham vero illi obnoxium esse, *quoniam majori pollet auctoritate et vindex Dei est*, neque ullo modo jus habere quidquam in *rebus civilibus vel agendi vel obtinendi quod regiæ sententiæ contrarium sit* [3];

1. Summam *Responsorum* Niconis hic damus ex opere Kapterev, t. II, c. III, IV, p. 121-208.

2. *Responsa* patriarcharum edidit M. Gedeon, Κανονικαὶ διατάξεις, t. I, Constantinopoli, 1888, p. 341-368; Delicanis, Πατριαρχικὰ ἔγγραφα, t. III, p. 92 sq. ; editio Gedeonis mendis scatet.

3. *Responsum* II : « τὸν μὲν βασιλέα κύριον εἶναι καὶ ἐξουσιαστὴν παντὸς πολιτικοῦ πράγματος μόνον, τὸν δὲ πατριάρχην εἶναι ὑποκείμενον αὐτῷ ὡς ἐν ἐξουσίᾳ ὑπερεχούσῃ ὄντι καὶ ἐκδίκῳ Θεοῦ, καὶ μηδαμῶς ἐξεῖναι βούλεσθαι ἢ πράττειν ἢ ἐνεργεῖν ἐν τοῖς πολιτικοῖς ὅ τι ἂν ἀντίξουν εἴη τῇ βασιλικῇ γνώμῃ. » Gedeon, p. 345.

2° patriarcham nullum jus habere repetendi ab imperatore scriptum vel de levissimo negotio; cum enim imperator sit civitatis fundamentum, si quid hujus generis accideret, duo in eadem monarchia principatus essent æquas vires habentes, ex quo discordia sequeretur [1]; 3° placitum imperatoris legem esse neminemque, ne patriarcham quidem, licentiam habere decreto imperiali resistendi [2].

Responsa patriarcharum episcopis russis minime placuerunt, utpote ambigua et cæsaropapismo faventia. Unde ipsi petierunt, ut in concilio Mosquensi anni 1667 quæstio de utriusque potestatis mutua habitudine publice agitaretur; quod factum est [3]. Episcopi russi haud pauca attulerunt testimonia Patrum pro tuenda Ecclesiæ independentia et libertate in rebus ecclesiasticis. Absoluta contentione, concilium decrevit imperatorem independentem esse et autonomum in rebus civilibus, patriarcham vero eadem autonomia gaudere in rebus ecclesiasticis; neutrum autem debere alterius negotiis se immiscere. Hujusmodi decreto postponebatur quidem et indirecte profligabatur doctrina de potestate indirecta Ecclesiæ in res temporales et de subordinatione Status ratione religionis, quam Nicon diserte prædicaverat; erat tamen maximi momenti, quatenus et ambiguitatem *Responsorum* patriarcharum orientalium dispellebat et independentiam Ecclesiæ in proprio ordine edocebat. Nec omni efficacia caruit; episcopi enim russi, eo innixi, abrogationem quarumdum legum civilium postularunt Ecclesiæ libertatem ac jura violantium [4]. Præterea, quidam episcopi et theologi doctrinam Niconis de excellentia sacerdotii supra imperium in suis scriptis expresse propu-

1. *Resp.* III : « Οὐδεμία ἄδεια δέδοται τοῖς προϊσταμένοις πνευματικῶς ζητεῖν ὑποσχέσεις παρὰ τοῦ ἡγεμονεύοντος πολιτικῶς ἐφ'οἱουδήτινος πράγματος, ἵνα μὴ τὸ ἓν εἰς δύο εὑρεθῇ διαιρούμενον. »

2. *Resp.* V : « Ὅπερ ἀρέσει τῷ βασιλεῖ νόμος ἐστίν... Οὐδεὶς οὐδεμίαν ἄδειαν ἔχει ἀνθίστασθαι τῷ βασιλικῷ ἐπιτάγματι (νόμος γάρ ἐστιν), οὐδ'ὁ ἐκκλησιαστικῶς προϊστάμενος, κἂν πατριάρχην εἴποις. »

3. De hac contentione Acta publica concilii altum servant silentium. Hujus narrationem texit Paisius Ligarides in suo opere : *De judicio synodali Niconis patriarchæ*, cujus bonam partem anglice reddidit W. Palmer, *op. cit.*, t. III, Londini, 1873; cf. Kapterev, p. 227-250.

4. Kapterev, p. 249-250.

gnaverunt [1]. Hanc thesim suam facit Stephanus Iavorskii in *Petra fidei*, ubi hæc habet :

« Potestatem imperialem honoramus, quippe quæ a Deo data est, sed non ad ferendas dogmaticas definitiones. Ædificium ecclesiasticum, ordo et canones ecclesiasticæ jurisdictionis, utpote ad fidem pertinentia, apostolis eorumque successoribus a Deo commissa sunt. Christus non Tiberio Cæsari, sed Petro apostolo, et in persona Petri omnibus apostolis Ecclesiam suam credidit... Rex Saul, sacerdotalem potestatem usurpare ausus, imperium amisit; ex quo clare videtis Deum suæ Ecclesiæ administrationem ac directionem non potestati sæculari, sed spirituali commisisse... Imperatori in rebus civilibus, supremo autem pastori in rebus fidem respicientibus parere debemus. Imperatores christiani dominantur christianis non quatenus christiani sunt, sed quatenus sunt homines, quemadmodum et dominari possunt Judæis, Mahometanis vel paganis. Unde imperialis potestas corporum potius quam animarum hominum curam agit; potestas autem spiritualis animabus potius quam corporibus subditorum consulit. Imperatores eo spectant, ut temporalem quietem corporalemque subditorum integritatem in tuto ponant; potestas autem spiritualis ad hoc tendit, ut vitam et beatitudinem tum secundum corpus tum secundum animam afferat. Imperatores visibiles hostes debellant; potestas spiritualis contra invisibiles hostes dimicat... Revera imperatores divinarum et ecclesiasticarum legum custodes sunt, non vero latores, vel auctores canonum et articulorum ad fidem spectantium. Tales fuere pii imperatores Constantinus Magnus, Valentinianus, Marcianus et alii [2]. »

In ultimo vero capite ejusdem operis *Petra fidei*, inscripto : *De punitione hæreticorum*, Iavorskii dicit Ecclesiam sanctam sub se habere spirituales ac sæculares duces, in manibus tenere utrumque gladium, spiritualem scilicet ac temporalem,

1. Ita Joachimus, metropolita Novogrodii : « Quantum anima a corpore differt, quantum a terra distat cælum, tantum potestate civili præstat sacerdotium. » Kapterev, p. 250-251.

2. *Kamen viery*, ed. 3, Mosquæ, 1749 : *Dogma de sanctis imaginibus*, pars I, prob. 13, p. 81; cf. Iu. Th. Samarin, *Opera omnia*, Mosquæ, 1880, t. V, p. 266-268.

qui sibi mutuo præstant auxilium. Ubi spiritualis gladius parum valet, temporalis adjutorium affert [1].

III. — De cæsaropapismo Petri Magni et Theophanis Procopovitch. De Regulamento ecclesiastico.

Eo tempore quo Stephanus Iavorskii talia scribebat, Petrus Magnus jam meditabatur suam reformationem ecclesiasticam rigidum cæsaropapismum spirantem, cujus publicam enuntiationem invenimus in *Statuto* seu *Regulamento ecclesiastico* a Theophane Procopovitch concinnato [2].

Doctrina Theophanis de Ecclesiæ habitudine ad Statum exponitur non solum in *Regulamento ecclesiastico*, verum etiam in duabus aliis opellis ejus, quarum prima inscribitur : *Rozysk o Pontifexie* (*Disquisitio de Pontifice*), Petropoli, 1721 [3]; altera vero : *Pravda voli monarchei v opredielenii nasliednika derjavy svoei* (*Æquitas voluntatis imperatoris in designando successore ejus imperii*), Petropoli, 1722 [4]. Hujus doctrinæ summa sequentibus propositionibus contrahi potest : 1° Potestas sæcularis imperatoris summo imperio seu majestate (*verkhovenstvo*) potitur; consequenter, quævis alia potestas, etiam ecclesiastica, hanc majestatem non habet, et ideo potestati civili juridice subordinatur; 2° Suprema imperatoris potestas soli Deo obnoxia est, nullatenus vero legibus humanis, sed neque canonibus ecclesiasticis; 3° Si imperator Deo non obsecutus fuerit et in peccatum

1. Samarin, *ibid.*, p. 241.

2. *Regulamenti ecclesiastici* optimam editionem copiosis ac doctis adnotationibus illustratam publicavit C. Tondini : *Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand, traduit en français sur le russe avec introduction et notes*, Parisiis, 1874; quam L. Petit, *Collectioni conciliorum Mansianæ* inseruit, t. XXXVII. De historia redactionis et promulgationis hujus documenti vide Runkevitch, *Istoria russkoi Tserkvi pod upravleniem sviateichavo sinoda* (*Historia Ecclesiæ russicæ, sanctissima synodo gubernante*), t. I, Petropoli, 1900; J. Bois, *Le Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand*, in *Echos d'Orient*, t. VII, 1904, p. 85-90, 151-156; præsertim *op. cit.* P. V. Verkhovskii, in quo omnia fere invenies quæ ad historiam documenti spectant.

3. Hanc opellam iterum edidit Verkhovskii, *op. cit.*, t. II, append. 10, p. 5-20.

4. Libellus scriptus est occasione exhæredationis Alexii Petrovitch, filii Petri Magni, qua jure successionis in throno paterno privatus est.

lapsus fuerit hujus quæstionis solus ipse judex est, et ab nemine judicari potest; 4° Imperatores appellari possunt et revera sunt non solum *episcopi*, sed etiam *episcopi episcoporum* seu ἀρχιερεῖς suæ gentis, quatenus supremo jure inspectionis potiuntur in omnes res ad nationem spectantes; non sunt tamen in sensu proprio episcopi et ἀρχιερεῖς, quatenus sacerdotalem ordinationem non receperunt [1].

His principiis imbutus erat et Petrus Magnus; his totum inficitur illud *Regulamentum ecclesiasticum*, quod tsarus vi ac dolo Ecclesiæ russicæ imposuit eique per ducentos annos constitutionis intestinæ loco fuit. Cæsaropapismus in eo expressus et in praxim per tantum tempus revera deductus antiquo cæsaropapismo byzantino multo rigidior est et Ecclesiæ juribus magis adversans. In hoc systemate, Ecclesia Statui omnino subordinatur ac subjicitur; nullam propriam servat potestatem ad seipsam regendam et administrandam; sola ei remanet potestas ordinis ad sacramenta conferenda, ad liturgicas actiones obeundas. Synodus enim *dirigens* nuncupata, et a potestate imperiali revera *directa*, quam in locum patriarchatus suffecit Petrus, non est nisi organum per quod tsarus suam supremam auctoritatem ac jurisdictionem in Ecclesiam orthodoxam exercet, ut expresse dicitur in *Collectione legum imperii russici* [2]. Ut *Regulamenti ecclesiastici* et Synodi Dirigentis indoles anticanonica prorsus et independentiæ Ecclesiæ destructiva clare pateat, hæc notanda sunt :

1° Nova constitutio auctorem habuit non potestatem ecclesiasticam, sed imperatorem, cujus docilis minister exstitit Theophanes Procopovitch, primum *Orthodoxus*,

1. De doctrina Procopovitch in hac materia fuse agit Verkhovskii, *op. cit.*, t. I, c. IV, p. 116-141; cf. præsertim p. 126.

2. *Polnyi svod zakonov rossiiskoi imperii* (*Completa collectio legum russici imperii*), ed. A. L. Saattchian, Petropoli, 1911 : *Collectio legum fundamentalium*, t. I, pars I, c. VIII : *De fide*, § 64-65, p. 6 : « Imperator, qua christianus princeps, est supremus defensor et custos dogmatis Confessionis præcellentis, protector Orthodoxiæ totiusque rectæ ordinationis in sancta Ecclesia. In hoc sensu imperator vocatur *caput Ecclesiæ* (*glavoiu Tserkvi*) ; in gubernanda Ecclesia, potestas autocratica agit per sanctissimam synodum gubernantem seu dirigentem a se institutam. »

postea Catholicus, deinde Lutheranus, demum ad Orthodoxiam reversus sed lutheranismo revera addictus remanens. Hoc expresse declarat Petrus in prooemio Statuti : « Nos, inquit, regum priorum, qui tum sub Veteri tum sub Novo Testamento floruerunt, exemplum æmulati, *curam ordinis etiam ecclesiastici ad meliora reducendi suscepimus.* »

2° Statuto propria manu subscripserunt quidem episcopi et archimandritæ russi, at non in synodum adunati et post deliberationem in commune factam, sed singuli seorsim sumpti nec absque vi, saltem morali [1]. Insuper animadvertendum est clerum russicum nullo pacto approbasse leges a) *De moribus sacerdotum, diaconorum ceterorumque clericorum;* b) *De monachis;* c) *De officio supremi Procuratoris synodi*, quæ per modum appendicis ad *Regulamentum ecclesiasticum*, durante anno 1722, promulgatæ sunt, et indolem cæsaropapisticam Statuti haud parum aggravant;

3° Quanquam Synodus exhibetur ut suprema auctoritas ecclesiastica in locum patriarchæ Mosquensis suffecta ad regendam Ecclesiam russicam, non solis constat episcopis, qui ex jure divino ut apostolorum successores ad regendam Ecclesiam positi sunt, sed plerumque plura habuit membra ex clero inferiori regulari et sæculari delecta [2] ;

1. « Le lieutenant-colonel Davidof, chargé de porter à Moscou l'exemplaire du règlement qui devait être soumis à la signature des évêques et des archimandrites... devait communiquer à ceux-ci, au fur et à mesure de leur arrivée à Moscou, le document en question et les inviter à le signer sans attendre la présence des représentants des autres éparchies, puis les renvoyer immédiatement chez eux. Si quelque évêque, par suite de maladie, se trouvait dans l'impossibilité de se transporter à Moscou, Davidof et Antoine devaient se rendre auprès de lui et obtenir sa signature et celle des représentants des moines. Que si l'un d'entre eux s'avisait de refuser sa signature, il faudrait exiger de lui un exposé par écrit des motifs de son refus, et au cas où il ne consentirait pas à le livrer, envoyer à Saint-Pétersbourg un courrier spécial pour en informer le Sénat et interdire au récalcitrant de quitter Moscou avant la réponse du tsar. » J. Bois, *art. cit.*, p. 153-154.

2. Synodus primum constitit quinque episcopis, quatuor archimandritis, duobus hegumenis, hieromonacho uno, archipresbyteris duobus et duobus aliis clericis. Inde ab anno 1819, septem saltem membra fuere, nempe episcopi quatuor, archimandritæ vel archipresbyteri tres. Sub Alexandro III, episcopi soli ad Synodum vocabantur.

4° Anno 1723, Jeremias III, patriarcha Constantinopolitanus, et Athanasius Antiochenus, rescribentes Petro Magno, qui ad eos dolose scriptam miserat expositionem reformationis Ecclesiæ russicæ a se factæ [1], constitutionem Synodi Dirigentis approbarunt, eique omnia jura patriarchalia agnoverunt [2]; at vero : a) patriarchæ orientales nullam jurisdictionem habebant in Ecclesiam russicam, quæ Autocephalia autonoma erat; b) approbatio petita est non ab ipsa Ecclesia russica, sed a potestate sæculari per legatos laicos; c) patriarchæ nonnisi valde confusam habuerunt cognitionem mutationis a Petro perpetratæ; siquidem textus *Regulamenti ecclesiastici* et juramenti membrorum Synodi a Petro non fuit eis traditus, ut ex certis constat indiciis [3]; ignorarunt pariter leges per modum appendicis anno 1722 promulgatas. Hæc ignorantia quadamtenus, non ex toto, eos excusat [4];

1. Vide hanc Petri epistolam apud Mansi-Petit, *loc. cit.*, col. 99-102. Petrus patriarcham œcumenicum appellat τὸν πρῶτον αὐτῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς 'Εκκλησίας ἀρχιποιμένα καὶ κατὰ πνεῦμα ἡμῶν πατέρα. Dicit se instituisse ecclesiasticam synodum patriarchis æqualem, id est summum quoddam ecclesiasticum gubernans Collegium e clericis constans commendatione dignis, episcopis nempe et cœnobiarchis, et hoc μετὰ πολλὴν ὀρθὴν κρίσιν καὶ βουλὴν μετά τε τοῦ ἱερατείου καὶ τοῦ τῶν λαϊκῶν τάγματος.

2. Patriarcharum epistolæ apud Mansi-Petit, *ibid.*, col. 103 : « Mediocritas nostra, inquiunt, decernit, ut synodus a piissimo totius Moscoviæ imperatore instituta (habes hic haud velatam cæsaropapismi approbationem) nostra in Christo soror ab omnibus dicatur et sit, jusque habeat faciendi atque perficiendi quæcumque a quatuor apostolicis patriarchalibus sedibus fiunt atque perficiuntur, καὶ ἔχει ἄδειαν τελεῖν καὶ ἐπιτελεῖν ὅσα οἱ τέσσαρες ἀποστολικοὶ ἁγιώτατοι πατριαρχικοὶ θρόνοι. » Quonam jure potuerunt isti synodum Petrinam divinæ Ecclesiæ constitutioni haud obscure oppositam sedibus patriarchalibus Orientis exæquare?

3. Cf. Verkhovskii, *op. cit.*, t. I, p. 680-683.

4. De hac patriarcharum orientalium agendi ratione episcopus Russus, Nicodemus Ivanovitch, anno 1874 jure scribebat : « La ratification du Règlement du Synode russe par les patriarches orientaux porte en soi des marques de nullité : 1° Les patriarches n'ont vu en personne aucun des évêques russes; ils n'ont pas entendu leur parole vivante et libre au sujet de ce Règlement, qui, vu son contenu, devait nécessairement soulever des objections de leur part; 2° Ces mêmes patriarches n'avaient pas le droit, en l'absence des intéressés et sur la

5° Omnia synodi seu collegii spiritualis membra ab imperatore, qui quos voluerit, eligit, directe nominantur, nec clerus russicus ullam partem habet in constituenda hac suprema auctoritate Ecclesiæ gubernandæ præposita;

6° In formula sacramenti, quo unusquisque collega erga imperatorem se obstringit, hæc verba occurrunt : « Confiteor et jurejurando assevero *supremum hujusce collegii ecclesiastici judicem esse ipsum totius Russiæ monarcham*, dominum nostrum clementissimum [1]. »

7° Locum tenens seu vicarius tsari apud Synodum, *ejus oculus*, ut Petrus ipse dixit, est laicus quidam, nomen habens supremi procuratoris, qui omnibus Synodi deliberationibus interest, et ipsam deliberationum materiam proponit et indicat; immo vero temporum decursu accidit, ut ipsa de quibuscumque negotiis decreta non ab ipsa Synodo, sed in variis cancellariis a procuratore supremo pendentibus plerumque redacta fuerint, et ita oblata fuerint Synodo subscribenda [2]. Curat supremus procurator, ut collegæ Synodi sua munia adimpleant ; illos, si opus fuerit, admonet; toti cancellariæ synodali præest; decretorum synodalium exsecutioni invigilat;

8° Hujusmodi decreta tanquam imperialia decreta (*ukazy*) nomine imperatoris promulgantur; quippe quæ revera sunt

seule présentation d'un séculier, fût-il empereur, de confirmer des décisions relatives à la réforme des tribunaux et du gouvernement de l'Église de tout un empire qui leur était étranger et inconnu, d'une Église qui comprend les deux tiers de toute la population orthodoxe de la terre. » *Commentarius episcopi Nicodemi de sancta Synodo*, anno 1874 conscriptus in *Bogoslovskii Viestnik*, t. III, n. 10, anni 1905, editus est cum permissu rectoris Academiæ Mosquensis. Eodem anno, separatim vulgatus est. Locus citatus, p. 4, occurrit. Nicodemus severam censuram agit Petrinæ institutionis, ostenditque eam divinæ Ecclesiæ constitutioni repugnare, quatenus totam Ecclesiæ administrationem potestati civili et laicis committit.

1. Hæc verba e sacramento expuncta sunt, anno 1901; mutatio mere verbalis, quæ de consueto usu nihil detraxit neque libertati Ecclesiæ aliquid contulit.

2. « Les affaires sont examinées et les décisions sont rédigées dans les chancelleries du Synode, à son insu, sous la surveillance du seul procureur. Ce sont ces décisions qui sont présentées à la signature des membres du Synode ». Episcopus Nicodemus, *loc. cit.*, p. 7.

auctoritatis imperialis edicta in re ecclesiastica; synodus enim non est nisi organum per quod imperator Ecclesiam administrat, ut in legibus fundamentalibus imperii dicitur. Unde ne mireris quod in Russia per *ukazy* sancti canonizentur, dispensationes dentur de jejuniis, de causis matrimonialibus, etc; quod episcopis concedatur licentia a propria diœcesi discedendi vel peregrinandi. Ad judicia ecclesiastica quod attinet, « autocratica potestas imperialis processui tribunalis ecclesiastici non se immiscet directe, sicut et in civilibus non computatur inter ordinarias instantias; sed in casibus extraordinariis suprema ejus auctoritas est juris fons summus pro quibuslibet causis et pro personis cujuslibet jurisdictionis, non exclusa ipsa ecclesiastica jurisdictione. Ad supremum Nomen permittitur relatio petitionum et criminationum ad causas ecclesiasticas et regimen Ecclesiæ orthodoxæ spectantium [1]. » Uno verbo : « Potestas imperatoris in Ecclesiam russicam ad hoc omne se extendit, quod in jure ecclesiastico catholico vocatur potestas jurisdictionis [2]. »

9º Synodus Dirigens, utpote autonomia carens, cum aliis Ecclesiis autocephalis per commercium litterarum non directe, sed per rerum exterarum moderatorem vel ejus legatos ad alias nationes, communicabat.

Hanc duram cæsaropapismi servitutem per ducentos annos toleravit Ecclesia russica. Huic ita assuefacti sunt episcopi russi, ut hujusmodi regiminis laudem aliquando texuerint, theologisque catholicis pronuntiantibus Ecclesiam russicam de facto amisisse suam independentiam ac libertatem vehementer reclamaverint. Ita Georgius Konisskii (1717-1795), Russiæ Albæ archiepiscopus, in quodam sermone in sanctorum apostolorum Petri et Pauli festivitatem, ad tsaros accommodat verba Christi ad Petrum : *Tu es Petrus*, etc. (Matth., XVI, 18) :

« Quando nostri imperatores, inquit, tibi respondent, o Christe Salvator, ut olim Petrus : *Tu es Filius Dei vivi*, tunc et tu quod apostolo tuo et illis respondes : « Tu, Tsare,

1. Suvorov, *Utchebnik ecclesiastici juris*, ed. 4, p. 298.
2. *Ibid.*, p. 216.

es Petrus, tu es petra firma; super confessionem tuam orthodoxam stabiliam simul Ecclesiam russicam et thronum imperialem tuum, et portæ inferi de eis triumphum non agent [1] ».

Quorumdam præsulum assentationes in imperatorem ita immodicæ fuere, ut tsarus Alexander I, anno 1817, *ukazum* tulerit, quo vetaret ne ecclesiastici oratores laudes soli Deo debitas Majestati imperiali in suis sermonibus tribuerent. Edictum collectioni legum imperialium insertum est [2].

Pauci tamen theologi russi cæsaropapisticas theses Theophanis Procopovitch amplexi sunt. In suo *Compendio theologiæ christianæ*, Plato Levkhin asserit quidem imperatorem in terra neminem habere sibi superiorem; ei vero nihil amplius tribuere videtur, quantum ad res ecclesiasticas, nisi officium Ecclesiam tuendi et quoddam jus supremæ inspectionis in ejus rectam administrationem [3]. Recentiori vero tempore, id est ab Alexandro II imperante (1855-1881), theologi et canonistæ regiminis synodalis a Petro Magno instituti censuram agere inceperunt primum quidem timide [4], inde vero ab anno 1905, quo aliqua opinandi ac loquendi libertas concessa est, omnino audacter ac vehementissime. Instaurationem patriarchatus omnes fere expostularunt, necnon concilii panrussici convocationem. Imperiali decreto constituta est specialis virorum doctorum Commissio ad parandam synodum generalem russicam, quæ multas habuit sessiones [5]. Consulti sunt episcopi de

1. *Collectio operum Georgii Konisskii*, ed. 2, Petropoli, 1861, t. I, p. 233.
2. *Collectio completa legum, prima series*, 27115.
3. Pars II, § 29, ed. græca cit., p. 135 : « τρίτον, τὸ νὰ προσέχωσιν εἰς τὸ νὰ κυβερνᾶται ἡ Ἐκκλησία εὐτάκτως καὶ νὰ θαρρύνωσι τοὺς πιστοὺς οἰκονόμους καὶ κυβερνήτας. »
4. Vide, v. g., J. V. Elaghin, *Tchevo nado gelat dlia nachei Tserkvi* (*Quid Ecclesiæ nostræ exoptandum*), 2 vol., Petropoli, 1882 et 1885. Auctor omnino obsequenter censuram agit regiminis synodalis, ostenditque Ecclesiam russicam a Statu quasi penitus absorptam fuisse omnemque liberam activitatem amisisse. Rejicit systema separationis utriusque potestatis a Liberalibus propugnatum, postulatque reformationem regiminis existentis, ut Ecclesia revera appareat et sit autonoma societas ab Statu distincta, etsi cum eo intime conjuncta.
5. *Acta et sessiones* (*Giurnali i protocoly*) *sessionum* hujus Commissionis quatuor replent volumina, Petropoli, annis 1906-1907 edita.

reformatione ecclesiastica operanda [1]. Innumeræ conscriptæ sunt dissertationes de eadem quæstione [2]; ex quibus omnibus clare apparet Russos fere omnes, tum clericos tum laicos, regimen cæsaropapisticum abhorruisse, libertatem et independentiam expetivisse, et nonnisi invitos ac vi coactos tamdiu tolerasse jugum Regulamenti ecclesiastici a Petro Magno et Theophane Procopovitch excogitati.

IV. — Recentiorum theologorum et canonistarum doctrina de utriusque potestatis mutua societate.

Idem colligi poterat, etiam ante annum 1905, ex quorumdam theologorum dissertationibus et canonistarum compendiis, quanquam censuræ metus liberæ confessioni veritatis maxime obstabat. Doctrina in his operibus expressa cum doctrina catholica fere congruit. Ita I. V. Elaghin in suo opere : *Quid Ecclesiæ nostræ optandum?* 2 vol., Petropoli 1882, 1885, de proposita quæstione catholice omnino sentit. Docet enim Ecclesiam et Statum esse duas societates inter se distinctas, in proprio ordine perfecte independentes, quamvis ratione finis Ecclesia Statum præcellat; alteram ab altera non sejungendam esse, ut volunt moderni Liberales. Postea mutua utriusque societatis officia probe exponit, et in rebus mixtis ait necessarium esse concordiæ animum, ut utrinque quædam amice concedantur. Demum, Liberalium systema de Ecclesia libera in Statu libero tanquam utrique societati nocivum rejicit. Cæsaropapismum byzantinum, quemadmodum et illud quod vocat *papocæsarismum* Medii Ævi, utpote ex peculiaribus circumstantiis historicis utrumque ortum, facile excusat [1].

Quintum volumen, continens alphabeticum indicem et analysim eorum quæ in hujusmodi sessionibus a variis oratoribus dicta sunt, anno 1909 Petropoli vulgatum est sub titulo : *Alphabitnyi ukazatel k giurnalam i protokolam zassiedanii Vyçotchaiche utchregdennago Predsobornago Prissustviia.* Ibi invenies opiniones doctorum russorum nostri ævi de utriusque potestatis mutua societate.

1. *Responsiones* (*Otzyvy*) *episcoporum eparchiarum russicarum circa reformationem ecclesiasticam* publicatæ sunt Petropoli, 1906, 4 vol., in-folio.

2. Vide commentarios Academiarum ecclesiasticarum, ab anno 1905; cf. etiam bibliographicum indicem ab A. Palmieri paratum, *Theologia dogmatica orthodoxa*, t. I, p. 612-613, et ejusdem opus : *La Chiesa russa*, Florentiæ, 1908.

Canonista A. C. Pavlov item docet Ecclesiam esse societatem perfectam, ex jure divino in suo ordine independentem. Accidere potest, inquit, ut Status vi usurpet Ecclesiæ jura. Tunc Ecclesia, quæ rerum perturbationi adversatur, injuriæ cedere cogitur; ejus vero patientia ac tolerantia minime significat eam violationi juris suffragari et factum pro jure habere [2]. Libera et independens Ecclesiæ potestas circa sequentia versatur : 1º Doctrinam fidei et morum; 2º Sacramenta et sacros ritus; 3º Directionem organorum separatorum potestatis ecclesiasticæ, episcoporum nempe, conciliorum, etc., secundum juris canonici regulas; 4º Disciplinam erga clericos et laicos quoad eorum obligationes religiosas; 5º Judicium de delictis et litibus ecclesiasticæ indolis; 6º Administrationem et usum bonorum Ecclesiæ propriorum [3].

Eamdem doctrinam invenies apud alios canonistas [4] et quosdam theologos a theologia *classica* independentes [5]. Ex his omnibus patet canonistas et theologos russos recentioris ævi non Theophanis Procopovitch, sed Niconis fuisse discipulos, eo etiam tempore quo Ecclesia russica durum cæsaropapismi jugum invita tolerabat.

1. *Tchevo nado gelat dlia nachei Tserkvi.* Vide præsertim caput I tomi I, p. 5-95, inscriptum : *Ecclesia et Status.*

2. *Op. cit.*, p. 492.

3. *Ibid.*

4. Vide, v. g., Berdnikov, *op. cit.* Suvorov solus thesim cæsaropapisticam probare videtur; cf. ejus *Compendium ecclesiastici juris*, p. 39-203, 262.

5. Inter quos vide Svietlov in suo opere : *Idea regni Dei ejusque momentum pro christiana mundi conceptione*, Serghief Possad, 1906, p. 185-211, ubi Ecclesiæ russicæ independentiam ac libertatem expostulat.

ARTICULUS IV

Græcorum, Serborum et Rumenorum doctrina de eadem quæstione.

Sub Turcarum jugo, Ecclesia græca majore libertate intestina et independentia usa est quam sub imperatoribus byzantinis; non poterat enim sultanus infidelis quoad res ecclesiasticas omnia agere, quæ sibi vindicabat ὁ βασιλεὺς christianus; retinuit tamen ille in hoc ordine quidquid potuit, nempe quamdam supremam jurisdictionem et inspectionem in administrationem externam Ecclesiæ. Constantinopolitanum patriarcham nominavit secundum morem antea receptum; invisum deposuit. Invisus autem cito fiebat ille qui minus pecuniæ dare poterat ad sedem servandam quam ambitiosus æmulus ad illam simoniace usurpandam. Inde patriarcharum œcumenicorum depositiones multo frequentiores quam in periodo præcedenti. Inde Byzantii Turcarum hæc portentosa res sæpissime accidit : unus et idem præsul bis, ter, quater, quinquies vel etiam septies sedem patriarchalem vicissim occupavit. Ex centum et duobus patriarchis, qui ab anno 1453 ad annum 1912 fuere, viginti novem tantum in sede mortui sunt; ex aliis septuaginta tribus pauci se abdicarunt, plerique depositi sunt [1].

Anno 1767, occasione suppressionis duarum sedium patriarchalium, Achridanæ scilicet et Ipekiensis, patriarcha œcumenicus Samuel Khanzerid (1763-1768) summo Turcarum tyranno jus agnovit *novellas* seu constitutiones de rebus ecclesiasticis condendi, sicut faciebant antiqui imperatores. Sultano speciatim gratias agit ille, quod decretum *nomine novellæ imperatoriæ vere dignum* ediderit de duobus

1. De hac quæstione vide dissertationem S. Vailhé : *Les patriarches grecs de Constantinople*, in commentario *Echos d'Orient*, t. x, 1907, p. 210-221, ubi varia rationaria invenies de patriarchis byzantinis. Notandum est autem depositiones patriarcharum non semper Turcarum cupiditati, verum etiam præsulum græcorum ambitioni adscribendas esse.

archiepiscopatibus Achridano et Ipekiensi œcumenicæ sedi restituendis [1]. Mira sane prærogativa imperatori infideli tributa!

Item anno 1848, quatuor patriarchæ orientales, in *Litteris encyclicis ad omnes Orthodoxos directis*, gubernio turcico quoddam jus supremæ instantiæ ad dirimendas controversias ecclesiasticas in rebus administrationem respicientibus publice adscripserunt his verbis :

« Patriarchæ Alexandriæ, Antiochiæ et Hierosolymorum, in casibus extraordinariis et solutu difficilibus, patriarchæ Constantinopolis scribunt, quod hæc civitas imperii sedes est et in synodis primas habet ejus præsul; quod si fraterna cooperatio quod corrigendum est correxerit, res bene se habet; sin autem, negotium etiam ad gubernium defertur secundum statuta; neque hoc fraternum adjutorium, in rebus ad fidem pertinentibus, in servitutem cedit Ecclesiarum Dei [2]. »

Revera in litibus intestinis quatuor patriarchatuum orientalium, propria auctoritate controversiis haud semel finem imposuit Status infidelis; immo annis 1860-1862, jubente et approbante sultano, nova constitutio interna (κανονισμοί) ad supremum regimen ecclesiasticum spectans, patriarchatui Constantinopolitano data est, quæ usque ad recentes annos in praxim deducta est.

Quatuor patriarchas orientales aliquam propensionem ad cæsaropapismo suffragandum manifestare consuevisse, non solum ex documentis mox allatis, verum etiam ex eorum agendi ratione in præcedenti articulo descripta tum in re Niconis, patriarchæ Russorum, tum in approbando Regulamento ecclesiastico Petri Magni, haud obscure colligitur. Eamdem viam sequuntur quidam canonistæ græci. Ita

1. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XXXVIII, col. 913-918 : « ὃ δὴ τῷ ὄντι νεαρὰν βασιλικὴν καὶ τάξιν καὶ νόμον εὖ ἔχοντα εἰκότως ὀνομάζομεν ὡς εἰς κοινὴν ἀφορῶντα σύστασιν καὶ ὠφέλειαν τῶν ἐκκλησιῶν ἐκείνων καὶ ὡς παρὰ γνησίου βασιλέως καὶ τὰ σκῆπτρα κατὰ διαδοχὴν φέροντος νενομοθετημένον. »

2. Mansi-Petit, t. XL, col. 402 : « Καὶ εἰ μὲν ἡ ἀδελφικὴ σύμπραξις διορθώσει τὸ διορθωτέον, εὖ ἔχει· εἰ δὲ μή, ἀναγγέλλεται τὸ πρᾶγμα καὶ εἰς τὴν Διοίκησιν κατὰ τὰ καθεστῶτα. »

Meletius Sakellaropulus, qui in suo compendio classico juris ecclesiastici, de Ecclesiæ ac Status societate doctrinam praxi in Ecclesia hellenica receptæ consonam profert. Distinguit siquidem inter ordinationem internam Ecclesiæ et ejus ordinationem seu administrationem externam. Primam tribuit sacræ hierarchiæ, alteram Statui, « qui regulat quidquid spectat ad vitam externam et profectum et progressum Ecclesiæ. » Secundum eumdem, potestas civilis jus habet se immiscendi in res ecclesiasticas, *quando Ecclesia canones non observat et correctione indiget*; quod firmat auctoritate Isaaci Angeli imperatoris [1].

Eutaxias pronuntiat Ecclesiam orthodoxam nullam specialem de Ecclesiæ et Status societate rationem docere; hanc mutuam societatem pro variis Statibus variare; apud antiquos Byzantinos necnon in Russia moderna systema quod vocat πολιοκρατικόν, id est prævalentiam Status super Ecclesiam seu cæsaropapismum, obtinuisse [2]. E contra, Apostolus Christodulu independentiam Ecclesiaæ qua societatis perfectæ tuetur, tenetque ejus summam potestatem non solum ad res spirituales, verum etiam et ad res temporales, quatenus ejus fini conducunt, se extendere :

« Generatim loquendo, inquit, non solum in antiqua œcumenica Ecclesia, sed etiam in Ecclesia orientali orthodoxa post schisma perfectum, inviolabiliter profitebantur tum infimam tum supremam administrationem Ecclesiæ ad sola organa potestatis ecclesiasticæ pertinere [3]. »

Subjicit imperatores byzantinos ea tantum jura in Ecclesiam obtinuisse, quæ illis ipsa concedebat potestas ecclesiastica. In hoc casu, inquit, imperator agebat non virtute summæ potestatis ratione suæ dignitatis sibi competentis, sed tanquam ecclesiasticæ potestatis mandatarius, eodem prorsus modo ac privilegia in civili administratione a

1. Ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον, Athenis, 1898, p. 21-23 : « Καὶ ἡ πολιτεία ἔχει τὸ δικαίωμα νὰ παρεμβαίνει ἐνίοτε ἐν περιπτώσει καθ'ἣν βλέπει, ὅτε ἡ Ἐκκλησία ἐνεργεῖ παρὰ τὰ ὁριζόμενα ὑπὸ τῶν κανόνων καὶ νὰ ἀπαιτῇ τὴν προσήκουσαν διόρθωσιν. »

2. *Cursus juris canonici manuscriptus*, p. 525-526.

3. Δοκίμιον ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου, Constantinopoli, 1896, p. 122-128.

lege episcopis concessa ad eos pertinebant ratione delegationis a potestate civili manantis [1].

Eodem fere modo cæsaropapismum byzantinum explicat et excusat canonista serbus N. Milasch, qui de Ecclesiæ et Status mutua habitudine omnino orthodoxe disserit [2], si quæstionem excipias de potestate indirecta Ecclesiæ in res temporales et civiles, ex qua consequitur Statum Ecclesiæ sub aliquo respectu subordinari [3]. Agnoscit tamen Ecclesiæ hic auctor non quidem jus immixtionis in res civiles, sed jus admonitionis ad principes, quando isti violant regulas fidei et ethicæ christianæ [4]. Thesim liberalem damnat propugnatque utriusque potestatis intimam unionem ad bonum commune hominum promovendum. Stricte ecclesiasticarum, stricte civilium, deinde mixtarum rerum longam seriem tradit. In mixtis commendat inter utramque potestatem amicam compositionem [5]. Quantum ad societatem cum aliis Confessionibus christianis heterodoxis, Milasch a voce *tolerantiæ* abhorret, utpote spiritui christiani amoris minus consona, commendatque amicum cum chris-

1. *Ibid.*, p. 157 : « Γενικῶς εἰπεῖν, οὐ μόνον ἐν τῇ ἀρχαίᾳ οἰκουμενικῇ Ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ μετὰ τὸ σχίσμα ὀρθοδόξῳ ἀνατολικῇ ἀμεταβλήτως ἀνωμολογεῖτο, ὅτι ἥ τε κατωτάτη καὶ ἀνωτάτη κυβέρνησις ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀνήκει εἰς μόνα τὰ ὄργανα τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἐξουσίας... Ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὁ αὐτοκράτωρ ἐπὶ τῶν Βυζαντινῶν τοιαῦτα μόνον ἐκέκτητο δικαιώματα, ὁποῖα παρεῖχεν αὐτῷ ἡ ἐκκλησιαστική ἐξουσία. » C. Andrutsus, in sua opella : Ἐκκλησία καὶ πολιτεία, Athenis, 1902, tenet fontes Revelationis nihil habere de mutua Ecclesiæ atque Status societate; tria invenit unionis utriusque potestatis systemata, nempe τὴν συναλληλίαν Byzantinorum, τὴν πολιτειοκρατίαν Protestantium, τὴν ἱεροκρατίαν Catholicorum. Ἡ συναλληλία ei multum placet, separationis systemata a priori rejicit; attamen, ubi πολιτειοκρατία obtinet, ut in Ecclesia hellenica, eligenda potius est separatio; ex quo apparet eum Ecclesiæ independentiam tueri et cæsaropapismo adversari.

2. *Op. cit.*, § 15 et § 221-225, p. 69-73, 983-1024 ed. græcæ.

3. *Ibid.*, p. 996-999. Falso omnino asserit Milasch conflictus inter sacerdotium et imperium, qui in Occidente fuere, Romani Pontificis culpa accidisse.

4. P. 991 : « Νομικῶς ἡ ἐξουσία τῆς πολιτείας εἶναι ἐντελῶς ἀνεξάρτητος ἀπὸ πάσης ἄλλης ἐξουσίας, οὕτω δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς. »

5. *Ibid.*, p. 1016-1017.

tianis heterodoxis commercium, quanquam in sacris communionem vetat [1].

Ex quo Ecclesia rumenica in Autocephaliam mutata est 1865-1867), non libertatem, sed servitutem sub potestatis civilis dominatu revera cognovit. Multi præsules novum rerum statum practice saltem probarunt, dum alii cæsaropapismo reclamare non destiterunt. Inter independentiæ Ecclesiæ defensores statim ab initio emicuit Neophytus Scriban, episcopus Edessensis, qui novam constitutionem organicam a principe Alexandro Cuza Ecclesiæ impositam tanquam anticanonicam vehementer carpsit; unde e synodo constituta exclusus est (1865). Neophytus hæc inter alia dixit :

« Nemini agnosco jus dandi leges Ecclesiæ, nisi soli Deo, quia Ecclesia est independens... Hodie potestas civilis id dedit quod non licuit, nempe leges Dei Ecclesiæ, eo pacto canones violando, Ecclesiæ traditiones necnon doctrinam sanctorum Patrum... Confunditur potestas civilis cum auctoritate religionis; quod observatur etiam principiis nunc ab Europa cultiori professis Ecclesiæ liberæ in Statu libero... Igitur quæcumque leges in hoc cœtu anticanonico, cui titulus ac nomen synodi, pro nostra ferentur Ecclesia, ego virtute potestatis qua in hac fruor Ecclesia ut episcopus Jesu Christi, eas nullas ac irritas declaro relate ad Ecclesiam, quæ est palladium gentis nostræ nunc et in perpetuum, ac postulo Ecclesiæ libertatem plenam et integram [2]. »

Paulo post, id est anno 1867, mense julio, sacerdos I. Paunescu et Joannes, episcopus Evantiensis, novæ constitutioni Ecclesiæ rumenicæ utpote canonibus adversanti intercedebant; qui pœnis canonicis a synodo mulctati sunt [3].

Canonista Andreas Schaguna de mutua utriusque potestatis societate eadem fere docet ac N. Milasch. Hanc societatem confert cum unione animæ et corporis : Ecclesia est anima, Status est corpus; unde ab invicem separanda non sunt, sed intime ac amice invicem unienda. Mutuo sibi

1. *Ibid.*, p. 1026-1028.

2. *Synodi Bucarestienses* (1865-1867), apud Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XLII, col. 128-129.

3. *Ibid*, col. 131-132.

auxilium præstare debent; nec curiose investigandum est quænam ex utraque societate majora commoda ex mutua unione reportet, cum hujusmodi quæstio inutiles lites generare nata sit. Idem auctor liberum potestatis ecclesiasticæ exercitium vindicat, docetque Ecclesiam jus habere postulandi protectionem Status in quibusdam casibus extraordinariis, v. g., contra hæreticos et Ecclesiæ hostes [1].

Eamdem fere doctrinam apud recentiores canonistas invenies. Speculativum jus Ecclesiæ ad liberum ac plene independens exercitium propriæ potestatis a nemine negatur, a multis expostulatur, a potestate civili de facto non conceditur, ut ex sequenti articulo patebit.

ARTICULUS V

De Ecclesiæ ac Status mutua societate in Autocephaliis recentioribus.

Quod de antiqua Ecclesia byzantina necnon de Ecclesia russica supra demonstravimus, nempe illas Ecclesias vera independentia semper caruisse et potestati civili tanquam supremæ auctoritati dirigenti et administranti obnoxias fuisse, hoc etiam de præcipuis Autocephaliis recentioris originis verum omnino est, quidquid speculative dicant et doceant canonistæ et theologi dissidentes. In quacumque Autocephalia, paucis nunc exceptis [2], vera suprema auctoritas, *ad regimen quod spectat*, de facto est potestas civilis

1. *Compendium des kanonischen Rechtes* (versio germanica e rumenica dialecto ab A. Senk), Hermannstadt, 1868, § 293-306, p. 275-291.

2. Ante recens bellum, cæsaropapismus in omnibus Autocephaliis plus minusve vigebat. Nunc vero quædam Ecclesiæ ab Statu de facto separantur. Ita Ecclesia russica, quæ tamen, ut notum est, diras subit persecutiones intra Russiæ fines, libertate vero alibi potitur; item Ecclesia Antiochena, de cujus intestino regimine non curat Syriæ præfectus; quæ nunc magnis agitatur dissensionibus et novam constitutionem sibi dare in votis habet. Ecclesiæ Hierosolymitanæ status internus adhuc incertus est. Patriarchatus Constantinopolitanus sua jura civilia amisit, inde ab anno 1923, nec amplius a gubernio turcico pendet quantum ad propriam administrationem.

illius regionis in qua constituitur Ecclesia autocephala. Hoc ex praxi quotidiana luculente constat, quamvis multi Græco-Russi de hac re nobiscum convenire nolint, et cæsaropapismum in sua Ecclesia vigentem variis distinctionibus et explicationibus occultare vel attenuare conentur. Sequentem propositionem ut veritatem inconcussam ponimus :

In qualibet Autocephalia, quibusdam nunc exceptis, potestas civilis, QUANTUM AD REGIMEN ECCLESIASTICUM PROPRIE DICTUM, *illas fere partes obtinet, quas Romanus Pontifex agit in suprema Ecclesiæ catholicæ administratione.*

Notandum est singulas Autocephalias non in eodem subjectionis gradu inveniri erga Statum. In quibusdam enim Ecclesiis jurisdictio, quam sibi retinet Status in personas vel res ecclesiasticas, similitudinem refert jurisdictionis papalis prout ante schisma in Ecclesias orientales communiter exercebatur; in præcipuis vero ex illis hujusmodi jurisdictio Paparum modernorum exercitam jurisdictionem omnino imitatur. Neque hoc mirandum, cum potestas civilis semper propensionem habeat ad sibi subjiciendum societatem religiosam in suo territorio constitutam. Sola Ecclesia catholica cum Dei adjutorio Cæsaris jugum excutere, et propriam independentiam haud sine continuo labore ac certamine tueri ac servare potuit.

Hoc etiam animadvertas velim cæsaropapismum multa quidem incommoda ac detrimenta in ordine præsertim spirituali Ecclesiis dissidentibus gignere, maximi vero emolumenti illis auctorem esse, quatenus Status hujusmodi Ecclesias contra inimicorum et hostium impetus efficaciter protegit, illis quandoque internam reformationem imponit, qua ab imminenti ruina defenduntur, intestinas dissensiones vi sopit ac sistit, eas amplis sæpe munit temporalibus subsidiis. Unde hoc a vero alienum esse non putamus, scilicet quod cæsaropapismus seu protectio Status sit stabilitatis ac perseverantiæ harum Ecclesiarum præcipuum fundamentum; quo remoto, illas versus ruinam vergere ac in diversas sectas dispesci ac evanescere necesse sit; quod confirmari videtur ex recentibus Ecclesiæ russicæ intestinis divisionibus.

His per transennam dictis, propositionis præfatæ veri-

tatem quantum ad præcipuas Autocephalias nunc existentes breviter ostendamus.

I. — De Ecclesia hellenica.

Ex quo Ecclesia hellenica autocephala evasit, quadruplex *a potestate civili accepit statutum*, annis nempe 1833, 1852, 1923 et 1925. In primo statuto, hæc in articulo I occurrebant :

« Orthodoxa orientalis Ecclesia regni Græciæ, in spiritu non agnoscens aliud caput præter christianæ fidei fundatorem, Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, *secundum administrativam vero rationem ducem habens regem Græciæ*, est autocephala et independens a qualibet alia potestate, inviolabiliter servata dogmatica unitate secundum ea quæ, inde ab initio, ab omnibus orthodoxis orientalibus Ecclesiis retinentur [1]. »

Articulus vero II sic sonabat :

« Suprema ecclesiastica auctoritas reponitur, sub *regis dominatu*, in manibus synodi permanentis nomen ferentis : *Sacra Synodus regni Græciæ* [2]. »

Verba : *secundum administrativam rationem ducem habens Græciæ regem*, necnon illa : *sub dominatu regis*, in statuto anno 1852 promulgato posita non sunt; eorum vero sublatio de suprema regis jurisdictione in personas et res ecclesiasticas nihil detraxit. Etenim :

1° Omnes episcopi a rege directe nominantur, qui unum e tribus a synodo propositis eligit;

1. « Ἡ ὀρθόδοξος ἀνατολικὴ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία τοῦ βασιλείου τῆς Ἑλλάδος, ἐν πνεύματι μὴ ἀναγνωρίζουσα ἄλλην κεφαλὴν παρὰ τὸν θεμελιωτὴν τῆς χριστιανικῆς πίστεως, τὸν κύριον καὶ σωτῆρα ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, κατὰ δὲ τὸ διοικητικὸν μέρος ἔχουσα ἀρχηγὸν τὸν βασιλέα τῆς Ἑλλάδος, εἶναι αὐτοκέφαλος καὶ ἀνεξάρτητος ἀπὸ πάσης ἄλλης ἐξουσίας, φυλαττομένης ἀπαραχαράκτου τῆς δογματικῆς ἑνότητος κατὰ τὰ παρὰ πασῶν ὀρθοδόξων ἀνατολικῶν ἐκκλησιῶν ἀνέκαθεν πρεσβευόμενα. » Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, col. 203-204.

2. Ἡ ὑπερτάτη ἐκκλησιαστικὴ ἐξουσία ἐναπόκειται ὑπὸ τὴν τοῦ βασιλέως κυριαρχίαν εἰς χεῖρας συνόδου διαρκοῦς, φερούσης τὸ ὄνομα « ἱερὰ σύνοδος τοῦ βασιλείου τῆς Ἑλλάδος. » *Ibid.*, 204.

2° Singuli episcopi juramentum præstant coram rege, quem *suum regem* suumque appellant dominatorem (τὸν βασιλέα καὶ κυριάρχην μου) promittuntque se non solum constitutioni ac legibus regni parituros, sed etiam suum officium pastorale fideliter obituros;

3° Episcopus transferri vel deponi non potest absque regis approbatione;

4° Singulis episcopis quatuor assident dignitates a rege nominatæ, nempe protosyncellus, archidiaconus, archipresbyter, œconomus vel skevophylax;

5° Sede episcopali vacante, gubernium, sacra synodo proponente, concilium episcopale constituit rebus spiritualibus diœcesis invigilaturum, donec legitimus episcopus nominetur;

6° Membra synodi, juxta statutum anni 1833, a rege directe eligebantur; ab anno vero 1852 ab eodem quotannis vicissim ad synodum vocabantur quatuor ex episcopis regni, habita ratione temporis ordinationis singulorum; qui juramentum præstabant secundum formam consuetam. Synodi secretarii a rege, scribæ vero a ministro rerum ecclesiasticarum designabantur;

7° Synodi officia in interiora et exteriora dividuntur. Quantum ad interiora (τὰ ἐσωτερικὰ καθήκοντα), ea nempe quæ respiciunt dogmata, divinum cultum, disciplinam clericorum, instructionem religiosam plebis, ordinandorum probationem, templorum consecrationem, synodus independenter agit a potestate civili. Quantum vero ad officia exteriora — sub hoc vero nomine veniunt pomparum definitio in officiis ecclesiasticis, præscriptiones circa seminaria cleri, cæremoniæ ecclesiasticæ extraordinariæ — synodus agit cum cooperatione et approbatione gubernii. Notandum vero est independentiam synodi circa officia quæ interiora vocantur, non esse absolutam sed omnino relativam ac circumscriptam, quandoquidem ad validitatem cujuscumque actus vel decreti synodalis requiritur præsentia vel saltem subscriptio regii procuratoris, qui omnibus sessionibus interest. Hic vero procurator est laicus a rege directe nominatus, cujus munus est observare et inspicere omnia quæ in synodo fiunt : « Etenim ad supremam regiam auctoritatem regni

dominatum habentem pertinet inspectio eorum quæ intra regnum aguntur [1]. »

8° Membris synodi proprio officio deficientibus, gubernium legitimos regni episcopos convocat ad delinquentes secundum canones judicandos, nisi de re politica agatur; quo in casu negotium ad potestatem civilem defertur;

9° Synodus jus habet recipiendi appellationes pro toto regno hellenico; ejus autem sententiæ pœnales, quoties ultra quindecim dies protrahuntur, approbatione indigent sive ministri rerum ecclesiasticarum, sive ipsius regis, ut vim legis obtineant. Clericus a synodo depositus jus habet appellandi ad regem, qui causæ recognitionem coram synodo novis aucta membris præscribere potest;

10° Excommunicatio laicorum nominatim facta prohibetur nisi gubernii approbatio præcesserit [2];

11° Quicumque adversus ecclesiasticam auctoritatem ob potestatis abusum probabilem habet criminationem, ad protectionem potestatis civilis recurrere potest [3];

12° Synodus nullum habere potest litterarum commercium cum auctoritatibus extraneis sive politicis, sive etiam ecclesiasticis nisi per ministerium rerum ecclesiasticarum;

13° In officiis liturgicis et diptychis principum nomina a clero primum recitantur; postea de synodo fit mentio;

14° Diœcesum circumscriptio ad gubernium spectat;

15° Demum bonorum ecclesiasticorum suprema administratio ad potestatem civilem etiam pertinet.

Huic duræ cæsaropapisticæ constitutioni Ecclesia hellenica usque ad annum 1923 subjecta remansit; quo tempore servitutis vincula nova lege haud parum relaxata sunt. Suprema auctoritas ecclesiastica conventui plenario episco-

1. « Ἐπειδὴ εἰς τὴν ὑπερτάτην βασιλικὴν ἐξουσίαν, εἰς ἣν ἐναπόκειται ἡ κυριαρχία τοῦ κράτους, ἀνήκει καὶ ἡ ἐποπτεία ἐφ᾽ὅλων τῶν ἐντὸς τοῦ βασιλείου γινομένων, κτλ... Πᾶσα δὲ ἀπόφασις ἢ πρᾶξις τῆς ἱερᾶς συνόδου, γινομένη ἐν ἀπουσίᾳ τοῦ βασιλικοῦ ἐπιτρόπου, ἢ μὴ φέρουσα τὴν προσυπογραφὴν αὐτοῦ, εἶναι ἄκυρος. » Mansi, col. 483.

2. « Προσωπικὸς ἀφορισμὸς ἐναντίον λαϊκῶν δὲν ἐκδίδοται εἰ μὴ μετὰ προηγουμένην ἔγκρισιν τῆς κυβερνήσεως. » *Ibid.*, col. 486.

3. « Πᾶς ὅστις ἔχει εὔλογον κατὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχῆς παράπονον διὰ κατάχρησιν ἢ ὑπέρβασιν τῆς ἐξουσίας της, ἔχει τὸ δικαίωμα νὰ ἐπικαλῆται τὴν ὑπεράσπισιν τῆς πολιτικῆς ἀρχῆς. » *Ibid.*, col. 487..

porum semel in anno convocando tributa est; potestas vero executiva, cuidam synodo permanenti quinque episcopis constanti. Synodi sessionibus interest semper laicus procurator, sed cum voce tantum consultativa, nec ejus reclamatio decretorum synodalium executionem impedire potest. Anno 1925, nova lex conventum plenarium episcoporum suppressit aliasque mutationes introduxit; procuratori tamen laico priora jura non restituit, ita ut Ecclesia hellenica majori nunc libertate potiatur; quæ sane a plena independentia longe distat, quandoquidem semper immutata remanet distinctio inter res exteriores et res interiores.

II. — De patriarchatu Rumenorum.

Ecclesia rumenica plures jam habuit constitutiones, quæ omnes per modum legis a potestate civili ei datæ sunt sigillumque præferunt cæsaropapismi. De ultima tantum, quæ nunc in usu est, sermonem faciemus. Anno 1925, die 4 maii promulgata est [1]. Quatuor Autocephalias intra novæ Rumeniæ fines prius existentes in unam Ecclesiam redegit, quæ titulo patriarchatus Rumenorum decorata est. Hanc Ecclesiam sub suprema auctoritate administrativa Status positam esse ex sequentibus præscriptis novæ constitutionis luculente apparet :

1º Patriarcha eligitur a collegio mixto constante laicorum majori numero; siquidem inter electores veniunt membra conventus nationalis ecclesiastici, in quo numero prævalent laici, et omnes deputati et senatores Confessioni *orthodoxæ* addicti. Rex electionem sua auctoritate confirmat et electo tradit investituram;

2º Eodem fere modo eliguntur episcopi et metropolitæ. Præter membra conventus nationalis ecclesiastici et collegii diœcesis vacantis, suffragium ferunt : concilii ministrorum præses, cultuum minister, senatus præses, cameræ deputatorum præses, summi tribunalis cassationis primus præses,

1. Versionem gallicam hujus constitutionis habes in *Echos d'Orient*, t. xxv, 1926, p. 62-70.

Academiæ rumenicæ præses, Universitatuum rectores, facultatum theologiæ decani, dummodo hi omnes Orthodoxiæ adhæreant. Rex electionem confirmat et dat investituram.

3º Omnis Ecclesiæ rumenicæ actio et agendi ratio inspectioni Status obnoxia est. Hoc supremæ inspectionis munus obit minister cultuum (art. 4).

4º Lege Status mutantur nomen et territorialis circumscriptio episcopatuum et archiepiscopatuum, novæ diœceses constituuntur (art. 3).

5º Omnis electio vel nominatio ad officium stipendio Status honoratum ministro cultuum nota facienda est (art. 22).

6º Omnium bonorum ecclesiasticorum administratio supremæ ministri cultuum inspectioni subjacet (art. 24).

7º Item instructio religiosa in omnibus regni scholis alumnis *orthodoxis* datur, inspicientibus tum Ecclesia, tum ministro publicæ instructionis, secundum leges regni (art. 33).

8º Scholas clericales dirigit quidem Ecclesia; specialis tamen lex tum studiorum libellum, tum modum eligendi professores certo definit. (art. 34).

9º Omnis mutatio præsentis constitutionis regulamento derogans a ministrorum consilio approbanda est (art. 37).

Hæc et plura alia minoris momenti, quæ notare supersedemus, haud obscure ostendunt Ecclesiam rumenicam vera autonomia et independentia in rebus ecclesiasticis gerendis et administrandis non frui, sed dominum habere Statum, nec societatem distinctam independentem constituere, sed esse specialem provinciam administrationis civilis.

III. — De patriarchatu Serborum.

Patriarchatus Ipekiensis Serborum, anno 1920 ex quinque præcedentibus Autocephaliis coalitus, statuto organico, die 13 decembris, anno 1920 a potestate civili promulgato regitur [1]. Sicut constitutio Ecclesiæ rumenicæ, hujusmodi statutum purum spirat cæsaropapismum. Etenim :

1. Vide versionem gallicam statuti in *Echos d'Orient*, t. xxi, 1922, p. 186-199.

1º Patriarcha ex tribus candidatis, quos conventus generalis episcoporum proposuit, eligitur a collegio iisdem fere membris constanti ac collegium mixtum Rumenorum. Electio a rege confirmatur [1].

2º Specie tenus maxima auctoritas tribuitur duobus collegiis ex solis episcopis compositis, scilicet conventui generali episcoporum, qui potestatem legislativam detinet, et synodo episcopali septem membra habenti, cui competit potestas executiva. Horum tamen collegiorum decreta per se non valent nisi referantur ad dogma, vel ad cultum, vel *ad forum internum*. Quidquid vero pertinet *ad forum externum*, executioni mandari non potest nisi postquam a ministrorum consilio approbatum fuerit, proponente cultuum ministro.

3º Præterea : « A la tête de toutes les chancelleries : du patriarcat, du concile, des évêques, du synode episcopal et du conseil administratif suprême, est placé le chancelier du patriarcat serbe, qui est le chef de tout le personnel administratif, c'est-à-dire des fonctionnaires des corps ci-dessus mentionnés; il dirige spécialement les travaux de l'administration dans le concile des évêques et au synode; c'est sous sa surveillance que le secrétaire dresse les procès-verbaux des séances de ces corps.

« Il assiste aux séances du concile et du synode avec voix délibérative.

« Il est choisi par le concile des évêques et nommé par décret royal sur la proposition du ministre des cultes. C'est un fonctionnaire de l'Etat; il a le rang, le traitement et les autres prérogatives des membres du conseil d'Etat.

« Il ne peut être relevé de ses fonctions, à moins qu'il ne soit privé de sa charge par une sentence des tribunaux ordinaires ou par décision du saint concile [2] » (art. 14).

Ut ex his paucis apparet, cæsaropapismus serbicus non ita aperte se prodit ut cæsaropapismus rumenicus, non tam molestus quam cæsaropapismus russicus vel hellenicus;

1. Cf. R. Janin, *Les Eglises séparées d'Orient*, Parisiis, 1930, p. 100-101.
2. *Echos d'Orient, loc. cit.*, p. 191-192.

de facto tamen sub suo dominatu Ecclesiam tenet, quæ ei se subtrahere nullatenus potest.

De aliis Autocephaliis tacebimus. Ubique fere Status suum principatuum in Ecclesiam variis præscriptis manifestat. Ipse Ecclesiæ dat leges et statuta ad illius regimen spectantia. Inter omnes ecclesiasticas constitutiones liberalior apparet constitutio exarchatus bulgarici; quod specialibus circumstantiis historicis tribuendum est. Nota tamen anno 1921 dictatorem Stambuliski aliquod nationale concilium convocasse ad Ecclesiam reformandam [1]. In hoc concilio, ex clericis inferioribus et laicis viris maxima ex parte composito, multa agitata sunt, multa decreta, quæ lucem nondum aspexere. Episcopi bulgari prærogativas et independentiam, quibus gaudent, servare ac tueri connituntur.

1. Vide sermonem Stambuliski, quem ad Patres concilii habuit, Petro Magno haud indignum, in *Echos d'Orient*, t. xx, 1921, p. 191-194, et in commentario *Documentation catholique*, n. 104.

GENERALIS CONCLUSIO

MANANS EX TOTA EXPOSITIONE THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

ECCLESIÆ GRÆCO-RUSSICÆ

Expositioni theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum finem hic imponentes, operæ pretium ducimus conclusionem generalem proferre, quæ, nostra sententia, ex ea sponte fluit. Doctrinam publicam Ecclesiæ græco-russicæ, illam dicimus quæ hac appellatione revera censeri potest, quæ per sæculorum decursum firma et immutata permansit, accurate notavimus. Varias etiam theologorum dissidentium de quocumque capite opiniones, quas passim detegere potuimus, ordine retulimus, in illis quæstionibus potissimum insistentes, quæ inde ab initio separationis et post schisma perfectum infinitis litibus ac contentionibus pro temporum varietate materiam subministrarunt. Quonam vero nos perduxit hæc longa investigatio? Quis hujus laboris exitus? Duplici hac propositione exhiberi potest :

Prima propositio : Ecclesia græco-russica nullam habet doctrinam firmam ac vere dogmaticam circa omnes veritates et quæstiones, quæ a septem primis conciliis œcumenicis, vel a synodis particularibus expresse approbatis ab illis septem non fuerunt definitæ et solutæ. Dogmata Ecclesiæ græco-russicæ ad has definitiones reducuntur; illis tanquam certis limitibus circumscribuntur. Quidquid extra illas positum est, ad campum opininionum seu, ut dicunt, *theologumenorum*, pertinet. De hoc toto non definito — quam vero amplum sit, quam late pateat, omnes norunt — Græco-Russis licet pro libitu sentire et opinari. Illa libertate per sæculorum decursum, et nostris præsertim diebus, eos large usos fuisse, non infitias ibit qui hæc nostra volumina perlegerit.

Secunda propositio : Intra *theologumenorum* seu libere disputatorum provinciam veniunt omnia illa capita controversa, seu differentiæ, seu dogmaticæ novitates, quas Photio ac Michaele Cærulario ducibus polemistæ græco-russi Latinis et Catholicis exprobrare consueverunt. Horum capitum nullum a septem conciliis œcumenicis expresse ac directe fuit definitum, quanquam Romani Pontificis primatus a magisterio ordinario antiquæ Ecclesiæ clare docebatur. Cum autem theologorum dissidentium præcipuus labor circa illa capita versatus sit, eorum etiam variæ opiniones circa illa ipsa temporum decursu potissimum multiplicatæ sunt et frequentiores fuere quam circa alias quæstiones, quæ in controversiam nunquam venerunt; quod sane omnino mirandum est. Qui enim de novitatibus in fide alios reprehendunt, de iis quæ ad fidem pertinent inter seipsos saltem convenire deberent. Atqui contrarium omnino accidisse certis documentis probavimus, sive sermo sit de processione Spiritus Sancti, sive de primatu Petri et Romani Pontificis, sive de azymis, sive de purgatorio et retributione post mortem, sive de immaculato conceptu beatæ Mariæ Virginis, sive de forma Eucharistiæ et epiclesi, sive de canone Scripturarum, sive de multis aliis quæstionibus minoris momenti. De his omnibus novitatibus seu καινοτομίαις latinis dictis bonam, et haud semel numero ac pondere majorem partem Græco-Russorum catholice sensisse deprehendimus.

Quid inde practice colligendum ac concludendum? Hoc plane : schisma quo Ecclesia græco-russica ab Ecclesia catholica per tot sæcula divisa est et adhuc separatur, nullo nititur fundamento vere dogmatico ex parte Ecclesiæ græco-russicæ, quatenus hæc Ecclesia nullum prætendere habet dogma veri nominis quod doctrinæ catholicæ definitæ adversetur. Huic doctrinæ nihil opponere valet nisi quorumdam suorum theologorum, polemistarum, patriarcharum dissonas opiniones, dum ex ejus theologis alii multi de propositis quæstionibus cum Catholicis omnino conveniunt. Ergo Græco-Russus quilibet ad horum theologorum, qui catholice senserunt, auctoritatem provocando, Vladimiri Soloviev agendi rationem omnino logice imitari potest seipsumque

Ecclesiæ catholicæ conjungere, ea omnia confitendo quæ ab Ecclesia catholica inde ab anno 787 definita fuere; sicque perfecte orthodoxus evadet. Ergo theologiæ græco-russicæ historica expositio unioni dissidentium cum Ecclesia catholica facilem aperit viam, nedum aliquo pacto ei impedimento esse possit.

Nostri laboris exitus alter — speculativus ille — in hoc, ni fallimur, erit, quod theologiæ Græco-Russorum accuratior cognitio tum ad veritates dogmaticas nova luce illustrandas ac explicandas, tum etiam ad quarumdam conclusionum plus minusve certarum verum pondus detegendum severiorique examini subjiciendum nostris aliquantulum auxilio esse poterit; quod si contigerit, per arduas theologiæ orientalis semitas tamdiu tamque laboriose cucurrisse non pænitebit.

I

NOMINUM INDEX ALPHABETICUS [1]

A

B

1. Compendiorum dogmaticæ theologiæ auctorum nomina, cum ubique fere et quandoque haud semel in eadem pagina occurrant, non indicantur nisi ubi eorum locus aliquis ad verbum exscribitur, aut latine vertitur.

C

D

E

F

G

N

O

P

R

S

T

U

II

CODICUM ET COMMENTARIORUM LAUDATORUM INDEX ALPHABETICUS

III

INDEX RERUM ANALYTICUS

TRACTATUS DE NOVISSIMIS

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

ARTICULUS VII

CAPUT TERTIUM

De suffragiis pro mortuis eorumque efficacia

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

CAPUT QUARTUM

De secundo Christi adventu. De mortuorum resurrectione et sæculi consummatione.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

CAPUT QUINTUM

De retributione post judicium universale.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

TRACTATUS DE ECCLESIA

De Ecclesia Christi secundum doctrinam Græco-Russorum necnon de ipsa Ecclesia græco-russica ex rerum veritate descripta.

CAPUT PRIMUM

De Ecclesiæ græco-russicæ hodierno statu ac regimine.

CAPUT SECUNDUM

De Ecclesiæ generica notione ac variis definitionibus apud Græco-Russos.

CAPUT TERTIUM

De Ecclesiæ membris, seu de extensione Ecclesiæ universæ militantis necnon de necessitate Ecclesiæ adhærendi ad salutem consequendam, secundum doctrinam Græco-Russorum.

CAPUT QUINTUM

De primatibus orientalibus.

CAPUT SEXTUM

De Pentarchia et Tetrarchia.

CAPUT SEPTIMUM

De Ecclesiæ infallibili magisterio secundum doctrinam Græco-Russorum.

ARTICULUS IX

ARTICULUS X

ARTICULUS XI

ARTICULUS XII

CAPUT OCTAVUM

De Ecclesiæ proprietatibus et notis secundum doctrinam Græco-Russorum.

ARTICULUS I

ARTICULUS II

ARTICULUS III

ARTICULUS IV

ARTICULUS V

ARTICULUS VI

ADNOTATIO AD CAPUT OCTAVUM

CAPUT NONUM

De Ecclesiæ et Status mutua habitudine ac societate ex Graeco-Russorum doctrina et Ecclesiae græco-russicæ historia.

Imprimé en France. -- Paris, Letouzey et Ané. -- 1931. -- R. C. Seine 218.260 B

C'est dire qu'il diffère notablement du *Dictionnaire de* Bergier, qui a rendu de grands services, mais est devenu tout à fait insuffisant. Notre Dictionnaire n'est pas non plus une imitation du *Kirchenlexicon*, dont la première édition (publiée en 1847) a été traduite par Goschler. Il fournit des renseignements plus complets que l'édition qui se publie actuellement. Il en a l'ampleur et le caractère scientifique, il s'enferme dans une étude plus approfondie de la théologie catholique et des questions connexes. Sans revêtir la forme apologétique du *Dictionnaire apologétique*, notre travail constitue par le fait même une vaste apologie de la foi catholique. C'est en effet par sa doctrine que le catholicisme est divin; d'ailleurs, presque toutes les controverses religieuses ont pour objet des questions de doctrine, alors même qu'elles agitent des problèmes historiques et scientifiques.

Dans ses articles scripturaires, le Dictionnaire de Théologie catholique s'en tient aux enseignements dogmatiques et moraux des Livres saints. Il évite ainsi de revenir sur tant de matières parfaitement traitées dans le Dictionnaire de la Bible de M. Vigouroux, dont il est, à bien des égards, la continuation.

Même dans ces limites, notre cadre est encore très vaste. Il embrasse, sous leurs nombreux aspects, toutes les questions qui rentrent dans nos traités actuels de théologie fondamentale, de théologie dogmatique et de théologie morale.

Le Dictionnaire de Théologie catholique étudie par conséquent :

1° les *preuves du fait de la Révélation*, fournies par l'Ancien et le Nouveau Testament, par l'histoire et les caractères de l'Église catholique;

2° les *dogmes de foi* et les *conclusions théologiques certaines;*

3° les *principes de la morale chrétienne* et leurs multiples applications;

4° les *données* les plus importantes de la *mystique* et de l'*ascétique;*

5° les *diverses opinions théologiques*, sans se prononcer entre celles qui divisent encore les écoles;

6° les *hérésies*, les *erreurs* et les *systèmes théologiques* ou *philosophiques* condamnés par l'Église;

7° les *enseignements de chacun des Livres saints* et des principaux textes scripturaires;

8° les *décisions dogmatiques* ou *morales* des papes et des conciles, ainsi que les autres documents de la tradition qui intéressent la théologie;

9° les *monuments archéologiques*, les *textes* ou *usages liturgiques*, les *institutions*, les *pratiques*, les faits *historiques* d'une importance doctrinale notable;

10° les *preuves philosophiques* ou *scientifiques* des vérités connues par la raison, relativement à Dieu, à la nature de l'homme et à la morale;

11° les *données des sciences juridiques, sociales, économiques, financières, historiques, archéologiques, épigraphiques, critiques, ethnographiques, médicales, physiologiques, géologiques, astronomiques* et autres qui servent à la solution des questions dogmatiques ou morales;

12° les *principales objections* faites à la doctrine catholique;

13° l'*histoire des divers points de cette doctrine*, à l'époque des Pères, au Moyen Age et dans les temps modernes;

14° les *papes*, les *conciles*, les *Églises* et les *institutions* (universités, ordres religieux, etc.) qui ont le plus contribué au développement de la doctrine catholique;

15° les *croyances*, les *institutions*, les *usages* et l'*histoire religieuse des diverses Églises orientales* unies ou non unies, syrienne, arménienne, copte, grecque, russe, etc.;

16° les *sectes hérétiques* anciennes et modernes;

17° les *principales religions* non chrétiennes;

18° des *notices* seront consacrées à tous les *Pères*, aux *théologiens catholiques* dont les ouvrages ont été imprimés, aux *théologiens schismatiques* ou *hérétiques* les plus connus, aux principaux écrivains qui ont combattu la doctrine catholique;

19° le Dictionnaire donne l'*explication des formules théologiques* les plus usitées;

20° il contient aussi de *nombreux renseignements bibliographiques*.

Un spécimen est envoyé à toute personne qui en fait la demande. De grandes facilités de paiement pour les fascicules parus peuvent être accordées aux personnes qui le désirent.